


21-6



C. 18. v.

21-G

BENEDICTI

PAPÆ XIV.

BULLARIUM.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI

PAPÆ XIV.


BULLARIUM,

TOMUS PRIMUS,

*IN QUO CONTINENTUR CONSTITUTIONES, EPISTOLÆ,
ALIAQUE EDITA AB INITIO PONTIFICATUS USQUE
AD ANNUM MDCCXLVI.*

Volumen 1.


EDITIO NOVA, SUMMO STUDIO CASTIGATA.



MECHLINIÆ,

Typis P.-J. HANICQ, typographi Celsiss. Domini *PRINCIPIS*
DE MEAN, Archiepiscopi Mechliniensis.


Superiorum permissu. — 1826.



DEC
DEC 1 - 1937

10291

MONITUM TYPOGRAPHI.




QUUM anno MDCCCXXIII typis nostris ederetur Benedicti XIV. De Synodo Diocesana opus doctissimum, jam tum in animo nobis fuit aliquando etiam recudere celeberrimi illius Pontificis alia nonnulla opera, si modo Illustrissimo Belgii Catholici Clero grata foret prioris operis editio. Quam quum brevi animadverterim gratissimam fuisse, ex celeri venditione plurimorum exemplarium, statueram quamprimum in publicam lucem denuò emittere Benedicti XIV. Bullarium, variis abhinc annis apud Nostrates rarissimum, et a plurimis Ecclesiasticis Viris summoperè expetitum. Hinc, difficultatibus nonnullis, executionem typographicam spectantibus, superatis, tandem sumptuosissimam hanc provinciam, adjuvante D. O. M., suscipere non dubitavi.

Bullarii Benedicti XIV. præstantissima editio sanè illa est quæ Romæ typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, prodiit quatuor voluminibus in fol., Tomus I nempe anno 1746, Tomus II anno 1749, Tomus III anno 1753 et Tomus IV anno 1757, quibus quatuor itidem adjiciuntur Appendices. Ast in hac Editione Romaná desideratur Appendix


altera Tomi IV, in quâ continuatio Constitutionum, Epistolârum etc., ab anno 1757 usque ad diem 3. mensis Maii anni 1758, quo Sapientissimus ille Pontifex, annis et laboribus fractus, e vita discessit. Hoc vero supplementum Tomi IV. in editione, quæ anno 1768 Venetiis prodiit, habetur. Ut igitur omnino nostra Editio integra foret et cum omnibus suis numeris prodeat, has duas Editiones, Romanam nempe et Venetam, sedulò contulimus; et, ne Constitutionum ordo immutetur, sed prorsùs idem maneat, singulus Tomus in fol. veteris Editionis tria volumina nostræ efficiet. Tandem ut hæc publicis votis magis accommodata evadat, ex quatuor Indicibus, qui sparsi atque inconcinni in singulis tomis reperiuntur, unicum generalem rerum et verborum indicem, seu Repertorium Generale totius operis, exactiori ordine alphabetico digestum, describendum curavimus, quem continebit Tomus ultimus.

Igitur quod insumpsimus laboris, commoditati, utilitatique tuæ inservientes, Benevole Lector, despiciere noli, imò frui doctissimo hoc opere ad insignem tui ipsius eruditionem: id quod sincerè precamur.



BENEDICTUS PAPA XIV.

*DOCTORIBUS ET SCHOLARIBUS UNIVERSIS
BONONIÆ COMMORANTIBUS, ET JURI
CANONICO ET CIVILI STUDENTIBUS.*



JAM fere sextus annus præteriit; ex quo Deus Optimus Maximus Nos licet immerentes, ad Summum Pontificatum evexit. Hoc temporis spatio omnem sane operam pro tenuitate nostrarum virium conferre haud prætermisimus, ut Sacrum Fidei Depositum, et Ecclesiasticam disciplinam tueremur, corruptelis aditum intercluderemus, quæ ipsam labefactare poterant, ac rationes omnes, et consilia adhiberemus, quibus in Urbe Roma, totaque Pontificia Ditione unicuique Justitia probe administraretur: Neque populorum, qui a Nobis remotissimi sunt, et totius Orientalis Ecclesiæ (quantum in Domino potuimus) curam suscipere negleximus. Id autem conspici potest ex hoc eodem Libro, quem Nos exemplo ducti Prædecessorum nostrorum Typis committi permittimus. Nam etsi ipsorum Constitutiones, ac aliqua Brevia congesta fuerint in Romanum

Bullarium, quod quidem privata auctoritate confectum est; tamen Innocentii Duodecimi Diplomata alio privato Libro impressa continentur, quem Georgius Firmianus, dum Pontifex adhuc inter vivos ageret, evulgavit. Multa quoque præclara Volumina in omnium manibus versantur, in quibus Clementis Undecimi Constitutiones, ac Brevia solum habentur; quos quidem Libros magnificenter adornatos, Annibal Cardinalis Albanus, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarius, Nepos ejusdem Pontificis, in lucem edi curavit. His exemplis permoti Typis emittimus hoc primum Volumen, quod nostras Constitutiones, videlicet Bullas, et aliqua Brevia, Literas Encyclicas, et alia hujusmodi complectitur, ex quibus non mediocrem utilitatem futuram putavimus: Nonnulla vero, quæ ad privata tantum negotia pertinebant, omisimus. Etsi autem fere omnia, quæ in hunc Librum congegimus, publicam jam lucem adspexerint; tamen experientia compertum est, has exiguas pagellas diuturnitate temporis concidere, ac penitus interire; cum perpauci eo studio teneantur, ut ipsas colligant, et simul in volumen redigant. Quare Nos ipsi libenter has laboris partes subivimus, ut posteritatem hac molestia levaremus. Quam accurate hæc facta sint, vel inde cognosci poterit, quod nostras

Constitutiones, ac cætera omnia describi in isto Codice, atque excudi eo prorsus modo jussimus, quo primum vulgata fuerunt: Ideo post singula fere Diplomata notantur illorum nomina, qui nihil præstiterunt aliud, quam ipsa referre in acta, vel ad fidem faciendam subscribere.

Illud quoque palam, ac manifestum facere haud prorsus inutile duximus, nihil omnino contineri in hoc Libro, quod a Nobis inter gravissimas Pastoralis officii curas vel confectum integre, vel primo excogitatum, et sermone Italico digestum, et postea latine redditum, ac deinde oculis nostris exhibitum accurato studio non inspexerimus, ne aliquid vel oscitantia omissum, vel errore immutatum esset ex iis, quæ Nobis antea in animo statuenda, edicendaque proposueramus. Porro harum nostrarum Constitutionum, ac Brevium exemplaria de more servantur in iisdem Archivis, ubi retineri solent aliorum Pontificum Diplomata, quæ vel Romano Bullario, vel privatis Libris consignata leguntur. Neque illud a Nobis prætereundum est Romanis Pontificibus morem perpetuo fuisse, ut Episcopos universos, vel alicujus tantum Provinciæ ad Catholicam Fidem custodiendam, morumque disciplinam aut servandam, aut restaurandam, Literis Encyclicis excitarent. Qua in re postremis hisce tempo-

ribus usi sunt operâ Congregationum, vel Romanæ Inquisitionis, vel de Propaganda Fide, et frequentius Congregationum, quibus negotia Episcoporum, et Regularium examinandi cura, aut Tridentini Concilii explicandi, interpretandique munus demandatum est. Has Literas Præsules, qui erant a Secretis earum Congregationum, plerumque exarabant; deinde Cardinalis Præfecti manu obsignatæ ad Episcopos mittebantur: id tamen cautum semper fuit, ut ipsas Literas Pontificis auctoritate scriptas quisque intelligeret; earumque exemplaria referri solebant in acta ipsarum Congregationum, quemadmodum unicuique cognitum, perspectumque est. Id nos diligentissime exequuti sumus, cum adhuc in minoribus munus a Secretis Congregationis Concilii per decem, et amplius annos obivimus; quo temporis spatio tres Pontifices Sedem Apostolicam obtinuerunt. Postea vero Divinæ largitatis beneficio ad summum Pontificatum eVecti Literas Encyclicas ad universos Episcopos, vel alicujus tantum Provinciæ, et nonnullas etiam privatim ad aliquos Episcopos dedimus, prout temporum ratio postulabat, quæ huic primo Volumini adjunguntur. In his autem conscribendis Epistolis veterem Prædecessorum nostrorum (si postrema tempora excipiantur) consuetudinem revocandam duximus, qua ipsi

per se Literas Episcopis dabant, rati majorem vim id habiturum; cum ampliorem Pontificiæ benevolentiae significationem ipsius Pontificis Epistolæ testari videantur Episcopis, quibuscum ille Fraternitatis vinculo conjungitur, quam quæ ab aliis, auctoritate licet Summi Pontificis, conscribuntur. Plura quidem nostrarum Literarum exemplaria reposita sunt in Archivis Congregationum, ad quas earum Literarum negotia, et argumenta pertinebant. Attamen quia contingere potest, ut ipsa aliquando temporum injuria intercendant; et quia fortasse non deest aliquis, aut etiam non defuit, qui acceptis nostris Literis, Romæ licet impressis, nostroque Nomine inscriptis, dubius tamen incertusque hæreat, utrum Nos ipsarum Auctores essemus; (quasi vero temeritas hominum eo devenire possit, ut aliquis, Nobis vitam agentibus, Literas Encyclicas nostro Nomine falso inscribere, easque Romanis Typis committere audeat) ad omnem dubitationem tollendam reponi jussimus duo Codicis hujus exemplaria, quæ manu nostra subscripsimus, nostroque Signo obfirmavimus, unum in Archivo Castri S. Angeli, alterum in Archivo secreto Vaticano, ut hæc monumenta certa, ac perpetua faciamus, nec ullo unquam tempore literis Encyclicis, aut aliis in hunc Codicem relatis, fides imminuatur. Neque sane novum, aut inauditum est id, quod

paulo ante commemoravimus : Quippe Innocentius III. Prædecessor Noster plura decernere necesse duxit *Cap. Pastoralis , de Fide Instrumentorum* , ut multorum controversias in hac re componeret : Etenim nonnullas Pontificum Decretales Literas neque certa , neque firma auctoritate præditas aliqui dictitabant , quas tamen alii magno studio tuebantur.

Nemo , qui jus Pontificium primis , ut ajunt , labiis solum attigerit , ignorare potest quatuor antiquas Decretalium Collectiones , quæ superioribus sæculis ab Antonio Augustino , et quintam , quæ ab Innocentio Cironio in lucem emissæ fuerunt , confectas fuisse , antequam Gregorius IX. suam promulgaret , quæ vim , et auctoritatem ad hanc usque diem perpetuo retinuit. Duæ primæ privato solum judicio , sententiæque editæ sunt ; cæteræ vero publica auctoritate : has autem Romani Pontifices Doctoribus et Scholaribus Universitatis Bononiensis nuncuparunt ; quorum exemplum secutus est Gregorius IX. , et Bonifacius VIII. , cum Librum sextum Decretalium in publicum adspectum prodire jussit , ac postremo Johannes XXII. , cum Decretales Clementis V. posteritati commendavit. De hac re copiosius verba fecimus in Præfatione nostri Commentarii : *De Festis diebus Domini Nostri Jesu Christi , ac Beatæ Virginis Mariæ* , quod Italica


lingua a Nobis conscriptum, ac Bononiæ impressum fuit : Illud deinde latine redditum est, atque editum Patavii absque ea Præfatione, quam paulo ante memoravimus.

Hoc loco addendum superest, in Archivo Vaticano a Nobis repertum fuisse monumentum Innocentii IV., qui anno 1253 Decretales suas colligendas ob eam causam existimavit: quod aliæ plures ipsi tribuerentur, quas ille ne cogitatione quidem attigerat : Itaque Pontifex Epistolam scribit Bononiensi Archidiacono, in qua rationem consilii sui plane recenset, Decretales suas propriis sub titulis disponit, eique mandat, ut eædem Decretales publicentur, et præstantium in Bononiensi Academia Professorum notis illustrentur. Equidem ignoramus quam ob causam Pontificis jussa executioni minime mandata fuerint; omnibus tamen notissimum est, quod Bonifacius VIII. in sextum Librum Decretalium illas Innocentii IV. summa diligentia, ac fide congegessit, eosdemque titulos retinuit, quos idem Innocentius præposuerat.

Nobis profecto, nostræque in Patriam benevolentiae deesse videremur, nisi hoc tempore, tot illustrium Pontificum exemplis adducti, Doctoribus et Scholaribus Universitatis Bononiensis Collectionem hanc nostram inscriberemus, cum præsertim inter ejus Doctores Nos ipsi recensiti

fuerimus, cum adhuc in minoribus versaremur. Quod si appellatione *Corporis*, ut ajunt, *Juris Canonici* comprehendi tantum debeant congestæ a Gregorio IX., Bonifacio VIII., et Clemente V. Decretales, hoc volumen nostrum isto sane nomine haud contineri, certum est; sin autem appellatione *Corporis Juris Canonici* intelligendum est quidquid ab Apostolica auctoritate promanat, (qua omnes Romani Pontifices æque præditi sunt) tum hujusmodi nuncupatione Librum quoque nostrorum comprehendi, nemo inficiabitur; uti constat ex responso Nicolai Primi *Canon. Si Romanorum, distinct. 19.* Sed quæstionem omitamus, quæ solo nomine continetur. Illud postremum sit, quod operam nostram præcipue contulimus, ut viam facilem, ac planam sterneremus, cum vestris, tum aliorum studiis, qui hæc nostra monumenta pervolvent. Siquidem non modo Indices argumentorum, ac verborum diligenter addi jussimus, sed etiam eorum verborum, quibus singulæ nostræ Constitutiones inchoantur, tum certum ordinem*, ita ut ad titulos ipsæ referantur aliarum Decretalium, quibus uti quotidie consuevistis. Hanc benevolentiae nostræ significationem, ac testimonium gratissimum fore vobis non dubitamus, quibus etiam Benedictionem Apostolicam peramanter impertimur.

* Ad calcem tertii Vol.



SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
BENEDICTI PAPÆ XIV.

CONSTITUTIONES, EPISTOLÆ etc.

JUBILÆUM UNIVERSALE

initio Pontificatus indicitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Universis Christifidelibus præsentis Litteras
inspecturis salutem, et Apostolicam bene-
dictionem.*

LÆTIOIRA Apostolicæ servitutis auspicia offerri
Nobis minime poterant, quam ut, tanto onere
per studiosissima et concordia Venerabilium
Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
Cardinalium suffragia tenuitati nostræ imposito,
in Domino confideremus, omnia consilia, acta,
et opera in Catholicæ Ecclesiæ procuracione a
Nobis suscipienda conficiendaque, ad Divini
nominis gloriam, ad Orthodoxæ Fidei præsidium,
ad sacrosanctæ Religionis incrementum, et ad

I.
Proce-
mium.
Pontificis
sensus in
sua ad
Pontifica-
tum elec-
tione.

PONT.
A. I.

æternam animarum salutem semper fore redundatura. Postquam igitur debitas laudes gratiasque persolvimus bonorum omnium largitori Deo, qui, ut ostendat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, dispositione mirabili infirma eligit; eidem, cui aperta et nuda sunt omnia, in simplicitate cordis nostri revelavimus trepidationem nostram, et argumenta omnia solitudinis ac timoris animo nostro ob ingentem Pontificiarum curarum molem sese undique ingredientia. Nec omisimus cum gemitibus et lacrymis prosternere preces nostras ante faciem Dei nostri, ut per merita Jesu Christi Filii sui Pastorum Principis, cujus supremas in terris vices gerimus, requiescere et faciat super Nos Spiritum Domini, Spiritum Sapientiæ et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis, et repleat Nos Spiritu timoris Domini; ut non secundum visionem oculorum judicemus, neque secundum auditum aurium arguamus; sed judicemus in justitia pauperes, et arguamus in æquitate pro mansuetis terræ.

Fidelium
orationi-
bus juvari
expetit.

§. I. Verum infirmitatem nostram probe agnoscentes, nec de tam cœlesti favore ac benedictione Nobis certo polliceri audentes; sed minime dubitantes, quin concursus totius Catholice Ecclesiæ ad misericordiarum Patrem supplicantis oratio potentissima sit, ut ille uberissimam omnium cœlestium Charismatum copiam super Nos benignus effundat; universos Christifideles rogamus, atque in Domino exhortamur, ut nostris suas etiam alacrius jungant publicas ferventioresque preces, supplicationes, jejunia, eleemosynas, atque alia pietatis opera, hoc præsertim tempore, in quo, Carolo claræ memoriæ, dum viveret, Romanorum Rege in Imperatorem electo nuper defuncto, pro novi Romanorum Regis futuri Imperatoris electione Comitia habenda sunt; dum Nos, juxta antiquissimum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum morem, cœlestes Ecclesiæ thesauros dispensationi nostræ creditos erogamus, atque elargimur.

§. 2. Itaque, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritati confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque Sexus Christifidelibus in alma Urbe nostra degentibus, qui solemnibus Processioni, quam Dominica ultima post Pentecostem, die videlicet vigesima currentis mensis Novembris, ab Ecclesia S. Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatam de eadem Urbe, una cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, et Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatibus quoque, et officialibus ejusdem Curia, universoque Clero, et Populo, benedicente Domino, agemus, devote interfuerint, vel Sancti Johannis in Laterano, Principis Apostolorum, et Sanctæ Mariæ Majoris præfatæ Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proxime subsequenti hebdomadæ, saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint; ac quarta, et sexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, et peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter sumserint, ac pauperibus aliquam elemosynam prout unicuique suggeret devotio, erogaverint: cæteris vero extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, et ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ

ANNO
1740.
Concessio
Indulgentiæ Plenariæ Perficentibus
opera in-
juncta.
Quoad
existentes
in Urbe.

Quoad
existentes
extra.

PONT. decurrendarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quarta, et sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem, sicut in Anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, et extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, et clar-gimur.

Quoad §. 3. Navigantes vero et iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, subsequentibus peractis, et visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majori, aut Parochiali loci eorum domicili, eandem indulgentiam consequi possint, et valeant: Regularibus autem personis

Aliosque legitime impeditos utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscunque tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Facultas eligendi Confessarium. §. 4. Insuper omnibus, et singulis Christifidelibus utriusque sexus tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Secularibus et Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti, tam in Urbe præfata, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium

tam Secularem, quam cujusvis Ordinis, et Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab Excommunicationis, Suspensionis, et aliis Ecclesiasticis sententiis, et censuris a Jure vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumvis gravibus, et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, et Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, et alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro Conscientiæ, et hac vice tantum absolvere et liberare valeant, et insuper vota quæcumque (Religionis et Castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

§. 5. Quapropter tenore præsentium in virtute Sanctæ obedientiæ districte præcipimus atque mandamus omnibus, et quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis Ecclesiarum Prælatiis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, et Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cum præsentium litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento, per suas Ecclesias et Dioceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, et loca publicent, et publicari faciant, Ecclesiamque seu Ecclesias visitandas designent.

§. 6. Non intendimus autem per præsentibus super aliqua irregularitate publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro

ANNO
1740.
Pro absolute
lutione a
censuris.
Et peccatis
reservatis.

Et pro
commutatione
votorum.

Præcipitur
publicatio præ
sentium
ubique lo
corum..

Casus
excepti.

PONT.
A. I.

conscientiæ; neque etiam easdem præsentibus iis, qui a Nobis, et Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in Sententiis, et Censuras, incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Clausulæ,
præservationis,
et derogationis.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles Indulgentiarum, et facultatum hujusmodi concessionibus, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; nec non Regula nostra de concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et Congregationum, sive Institutorum; etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis et consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, et litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus et Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum præmissorum derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentibus nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earundem præsentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personæ

Transumptis
fidei præsentium
jubeatur.

in dignitate Ecclesiasticæ constitutæ munitis, ubique locorum, et Gentium eadem prorsus fidēs habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Demum sciant omnes, qui vel palam, vel in corde adversantur Sedi Apostolicæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudiciis, et signanter Constitutioni *Unigenitus*, indignos esse, qui gratiam, et beneficium Jubilæi participant. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. mensis Nov. 1740. Pont. Nostri Anno I.

ANNO
1740.

Refractarij iudiciis et Constitutionibus S. Sedis excluduntur.

D. Card. Passioneus.

EPISTOLA

Encyclica et Commonitoria ad omnes
Episcopos.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Ubi primum placuit Deo, qui dives est in misericordia, humilitatem nostram in suprema Beati Petri Sede collocare, et Vicariam Domini nostri Jesu Christi potestatem Nobis, nullo quamvis meritorum suffragio suffultis, ad universæ Ecclesiæ suæ gubernationem committere; auribus insonare nostris visa est Divina illa vox: *Pasce agnos meos: pasce oves meas*: injuncta videlicet Romano Pontifici, ejusdem Petri Successori, cura regendi, non modo Gregis Domini agnos, qui sunt populi per totum terrarum Orbem diffusi, sed etiam oves, nimirum Episcopos, qui veluti agnorum matres, populos in

II.
Procœmi-
um. A de-
bito Pas-
toralis
Officii.

PONT. Christo Jesu generant, iterumque parturiunt.
 A. I. Pastoris igitur etiam vestri voces excipite, Fratres, per has nostras litteras; et in partem sollicitudinis, cujus plenitudo commissa Nobis Divinitus est, vocati, intelligite ex ipsis admonitionibus, et cohortationibus nostris, quanta Nos premet cura non prætermittendi ea, quæ officii nostri sunt, quantaque itidem sit vis paternæ nostræ in vos charitatis, qua ad maxime optandum adducimur, ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna Pastorum.

Episcopis commendatur vigilantiam in vitam et honestatem Clericorum. §. 1. In primis vero date operam, omnique studio, atque ope satagite, ut morum integritas, et Divini cultus studium eluceat in Clero, utque Ecclesiastica Disciplina sarta tecta servetur, et ubi collapsa fuerit, redintegretur. Satis enim constat, nihil esse, quod omnem populum ad pietatem, religionem, et Christianæ vitæ institutionem efficacius instruat, excitet, inflammet, quam eorum exemplum, qui Divino se ministerio dedicarunt. Itaque in id mentis

Item Ministrorum Ecclesiæ delectus.

se ministerio dedicarunt. Itaque in id mentis vestræ acies primum dirigenda est; ut cum accurato delectu ii Clericali militiæ adscribantur, a quibus merito possit expectari, ut iis in lege Domini ambulantes, et de virtute in virtutem euntibus, eorum vita eunctis afferat venerationem, et eorum opera Ecclesiis vestris spiritualem afferat utilitatem. Melius enim profecto est pauciores habere Ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quam plures, qui in ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequicquam sint valituri. Quantam idcirco Episcoporum cautionem ea in re Sacri Canones requirant, non ignoratis Fratres; sed ab eorum norma, quæ omnino servari debet, ne patiamini vos abduci humano ullo respectu, vel importunis ambientium suggestionibus, vel fautorum precibus.

Et cautam eorum promotio.

Apostoli vero præceptum, ut ne manus cuiquam nimis propere imponantur, tunc potissimum servari necesse est, ubi de promovendis ad Sacros Ordines, et ad Sacratissima Mystera, quibus nihil est divinius, agendum sit: Non

enim sufficit ætas, quæ per sacras Ecclesiæ leges unicuique Ordini præscripta est, nec indiscriminatim omnibus, qui in inferiori aliquo Ordine jam sint constituti, suo quasi jure patere debet aditus ad sublimiorem; sed studiose, magnaque adhibita diligentia investigandum a vobis est, an eorum, qui priora susceperint ministeria, talis fuerit vivendi ratio, et in sacris scientiis progressio, ut vere judicandi sint, quibus dicatur: ascende superius: cum alioquin expediat in inferiori potius aliquos remanere gradu, quam cum suo majori periculo, et aliorum scandalo ad altiorem provehi.

§. 2. Et quoniam supra quam dici possit, interest eos, qui in sortem Domini vocantur, ab ineunte ætate ad pietatem, morumque integritatem, et ad canonicam disciplinam, veluti novellas plantationes in juventute sua, informari; cordi idcirco vobis esse debet, ut ubi forsitan nondum instituta fuerint Clericorum Seminaria, quam citissime instituantur, vel jam instituta amplificentur, si majori Alumnorum numero pro Ecclesiarum conditione opus sit, adhibitis in eum finem mediis, quorum parandorum potestate Episcopi jam sunt instructi, et quibus alia etiam, si de eorum necessitate edocti a vobis fuerimus, addituri et Nos sumus. Eadem vero Collegia singulari vestra sollicitudine fovantur, necesse est, videlicet ea sæpe invisendo, singulorum adolescentium vitam, indolem, et in studiis profectum explorando, Magistros idoneos, virosque Ecclesiastico spiritu præditos ad eorum culturam destinando, literarias ipsorum exercitationes, sive Ecclesiasticas functiones quandoque præsentia vestra decorando, aliqua demum Beneficia iis, qui virtutum suarum specimen clarius præstiterint, majoremque laudem retulerint, conferendo. Hujusmodi enim irrigationem arbusculis hisce, dum adolescent, ministrasse non vos pœniteat, sed vestra opera lætissimum deinde vobis referet fructum in uberi honorum operariorum copia. Consueve-

ANNO
1740.

Seminaria Clericorum instituantur, vel augeantur, cum opus fuerit.

Et ab Episcopis sæpe visitentur.

PONT.
A. I.

runt quippe Episcopi sæpius dolere messem quidem esse multam, operarios autem paucos: At fortasse eis quoque dolendum esset, non eam, quam debuissent, industriam ipsos adhibuisse, ut operarii ad messem pares, aptique formarentur: boni namque, et strenui operarii non nascuntur, sed fiunt; ut autem fiant, ad Episcoporum solertiam, industriamque maxime pertinet.

Qualitates eligendorum ad Curam Animarum.

§. 3. Sed et illud maximi momenti est, ut iis animarum cura committatur, qui doctrina, pietate, castis moribus, et illustribus bonorum operum exemplis ita aliis præluce possint, ut vere lux, et sal populi sint, et habeantur. Hi nimirum præcipui adjutores vestri sunt in gregē vobis credito informando, regendo, perpurgando, in viam salutis dirigendo, et ad Christianas virtutes incitando. Ex quo pronum est intelligere quanti vestra etiam referat, eos ad Parochiale officium obeundum eligi, qui ad fructuosam plebium gubernationem merito judicentur aptiores. In id vero potissimum quoque incumbite, ut quicumque animarum curam gerunt, diligenter, diebus saltem Dominicis, aliisque festis de præcepto, plebes sibi commissas, pro sua, et earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ Christifideles ad salutem scire oportet, ac explicando Divinæ legis capita, Fideique dogmata, et pueros ejusdem Fidei rudimentis imbuendo, quacunque prava in contrarium consuetudine, ubicumque esset, prorsus sublata. Quomodo enim audient sine prædicante? Aut quomodo recte credendi, recteque agendi normam assequi poterunt populi, si animarum curatores in ejusmodi officio segnes, remissi, ac desides fuerint? Quare non satis animo comprehendi, aut verbis explicari potest, quanta Christianæ Reipublicæ perniciēs impendat ex eorum, quibus animarum cura demandata est, negligentia in pueris præsertim cætechismo instruendis. Proderit autem plurimum, si studueritis, ut et qui curam animarum

Eorumdem Officium prædicandi et catechizandi.

Parochi et Confessarii exercitiis spiritalibus quotannis incumbant.

ANNO
1740.

gerunt, et alii, qui ad pœnitentium confessiones excipiendas destinati sunt, per aliquot dies spiritualibus exercitiis, quotannis vacent: in eo quippe pio recessu renovabuntur spiritu mentis suæ, et induentur virtute ex alto, ad ea impensius, alacriusque peragenda, quæ suarum partium sunt pro Divini Numinis gloria, et spirituali proximorum utilitate, et salute.

§. 4. Jam vero scitis, Fratres, Divino præcepto mandatum esse omnibus animarum Pastoribus, oves suas agnoscere, easque verbi Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; hisque, ac cæteris Pastoralis Officii muniis satisfacere, ut par est, minime possent eos, qui gregi suo non invigilent, neque assistant, vineamque Domini, in qua positi sunt custodes, non custodiant assidue. Itaque in statione vestra maneatis oportet, et personalem in Ecclesia vestra, vel Diœcesi, servetis residentiam, ad quam ex vi muneris vestri obligati estis, quemadmodum pluribus Generalium Conciliorum Decretis, et Prædecessorum nostrorum Constitutionibus luculenter declaratur, præscriptumque est. Cavete autem, ne existimetis fas esse Episcopis per tres Menses singulis annis pro libito, aut quacumque ex causa abesse. Ut enim hoc vere liceat Episcopis, constat habendam esse rationem, ut absentiam hujusmodi æqua requirat causa, simulque consultum sit, ne gregi detrimentum obveniat. Mementote autem Judicem futurum esse eum, cujus oculis omnia nuda, et aperta sunt, adeoque videte, ut causa talis vere sit, quæ probari jure possit supremo huic Pastorum Principi, a quo ovium vobis creditarum sanguis est quantocius requirendus: in quo quidem judicio, frustra Pastor contenderet ea se excusatione tueri, quod lupus oves, absente se, ac inscio, abductas devoraverit: nam si res penitus inspiciatur, satis apparet nullum prope malum, aut scandalum in Diœcesi sic destituta contingere, quod non sit ei

Assidua
Episcopis
residentia
in pro-
priis Ec-
clesiis,
vel Diœ-
cesibus,
inculca-
tur.

Reproba-
tis futili-
bus ab-
sentie
causis.

PONT.
A. I.

adscribendum, cujus erat, subditos a recta semita deflectentes revocare monitis, allicere exemplis, voce confirmare, auctoritate, et charitate continere. Porro quis etiam non intelligat, multo satius esse negotia alibi per alios, ubi oportuerit, peragi, quam per se ipsum ab Episcopo extra Diocesim suam morante; negotium vero omnium maximum custodiendi, et gubernandi gregis ab eo per se non per administratos curari? Sint enim vero quantumvis idonei, probatique Ministri, non tamen eorum vocem sic solent audire oves, ut vocem veri sui Pastoris: non vicariam illorum operam supplere satis vigilantiam, atque operam ipsius Episcopi, cui peculiaris Sancti Spiritus gratia ad id opitulatur, experientia abunde compertum est.

Visitatio
quoque
Ecclesia-
rum, et
Diocese-
sum.

§. 5. Ad hæc, cum in omni etiam rei domesticæ cura nihil sit utilius, quam si ipsemet Paterfamilias omnia frequenter inspiciat, suaque vigilantia suorum industriam, et diligentiam alat, propterea vos monemus, et hortamur, Fratres, atque etiam vobis injungimus, ut Ecclesias, et Dioceses vestras, (nisi gravis, ac legitima interveniat causa, quæ aliis id committi postulet) vos ipsi visitetis, vos ipsi oves vestras, et pecoris vestri vultum agnoscatis. Formidinis sane, ac terroris plena est certissima illa sententia, quam supra memoravimus, non admitti Pastoris excusationem, si lupo oves comedit, et Pastor nescit. Multa vero quidem ignorabit Episcopus, multa eum latebunt, vel saltem serius, quam oporteret, intelliget, nisi ad omnes suæ Dioceseos partes se conferat, et nisi per se ipsum ubique videat, ubique audiat, ubique exploret, quibus inalis medicina facienda sit, et quænam fuerint eorum causæ, quæ ratione occurri etiam providentes queat, ne sublata reviviscant. Præterea cum ea sit humanæ imbecillitatis conditio, ut in agro Dominico, cujus cultura commissa Episcopo est, sensim vepres, et spinæ, ac noxiæ, inutilesque herbæ succrescant, certe nisi ad eas amputandas cultor cre-

bro redeat, ille ipse nitor vigiliis ejus, laboribusque jam partus, progressu temporis deflorescet. Sed neque etiam satis est lustrari a vobis Diœceses, et oportunis præceptionibus vestris curationi earum esse prospectum : restat et illud enixe perficiendum a vobis, ut quæ in visitationibus constituta fuerunt, vere in effectum perducantur; nam legum etsi optimarum utilitas nulla erit, nisi quod sancitum verbis est, re ipsa ab eis, ad quos pertinet, studiose præstetur. Quapropter postquam ad animarum morbos expellendos, sive avertendos, salutaria paravistis medicamenta, non ideo sollicitudo vestra conquiescat oportet, sed traditorum a vobis præceptorum executio omni virium contentione urgenda est; idque potissimum per iteratas visitationes estis assecuturi.

§. 6. Postremo, ut multa paucis complectamur, Fratres, in omni sacra, et Ecclesiastica functione, et in omni Divini cultus, ac pietatis exercitio vos ipsos auctores, vos duces, vos magistros esse convenit, ut quasi de vestræ sanctitatis splendore, tum Clerus, tum grex universus lumen hauriat, et charitatis vestræ igne incalescat. Itaque in tremèndi Sacrificii frequenti, et devota oblatione, in solemni Missarum celebratione, in Sacramentis administrandis, in Divinis Officiis obeundis, in cultu, et nitore Templorum, in disciplina domus, et familiæ vestræ, in pauperum amore, et ope eis ferenda, in ægrotis invisendis, et sublevandis, in peregrinis hospitio excipiendis, in omni denique Christianæ virtutis opere estote vos forma gregis vestri, ut omnes imitatores vestri sint, sicut et vos Christi, quemadmodum decet Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Apostolos identidem respicite, in quorum successistis locum, ut eorum vestigia sectemini in laboribus, in vigiliis, in ærumnis tolerandis, in arcendis lupis ab ovilibus vestris, in vitiorum radicibus extirpandis, in Evangelica lege

ANNO

1740.

Atque

executio
decreto-
rum in Vi-
sitationi-
bus edito-
rum.Reliqua
Episcopo-
rum Offi-
cia enu-
merantur
et com-
mendantur.

PONT. exponenda, in eis, qui erraverint, ad salutarem
 A. I. pœnitentiam reducendis. Aderit profecto vobis
 Cum spe omnipotens, et misericors Deus, in quo nos
 Divinæ confortante omnia possumus: Non deerit etiam
 opis. vobis, ut plane confidimus, religiosorum Prin-
 Et auxi- cipum auxilium: Omnia insuper adjumenta parata
 lii Princi- vobis erunt ab hac Sancta Sede, quotiescumque
 pum nostra Apostolica Auctoritate opus esse censue-
 Christia- ritis. Magno itaque animo, magnaue fiducia
 norum. venite ad Nos, qui vos cunctos, ut Fratres,
 Et Pon- et adjuutores nostros, coronam nostram amamus in
 tificiæ visceribus Jesu Christi: Venite ad vestram, et
 Auctori- omnium Ecclesiarum Matrem, Caput, et Ma-
 tatis, cu- gistram, Sanctam Romanam Ecclesiam, unde
 jus præsi- Religionis origo manavit, ubi Fidei petra, ubi
 dium om- fons Sacerdotalis unitatis, ubi incorruptæ veri-
 nibus ex- tatis doctrina; nihil enim Nobis optatius, nihil
 hibetur. jucundius esse potest, quam una vobiscum Dei
 gloria inservire, et Catholicæ Fidei custodiæ,
 ac propagationi allaborare, atque animas salvas
 facere, pro quibus ipsum quoque sanguinem,
 et vitam nostram libentissime, si oportuerit,
 impenderemus. Excitet vos demum, stimulosque
 currentibus vobis addat ingens, ac certa, quæ
 vos manet, remuneratio; nam cum apparuerit
 Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem
 gloriae coronam; coronam utique justitiæ, quæ re-
 posita est fidelibus dispensatoribus Mysteriorum
 Dei, et strenuis, vigilibusque speculatoribus domus
 Israël, quæ est Sancta ipsius Dei Ecclesia. Ejus
 autem vices Nos, quamvis indigni, gerentes in
 terris, Fraternitatibus vestris peramanter be-
 nedicimus, necnon Clero, ac populo vestro fi-
 deli, eandem Apostolicam Benedictionem nos-
 tram paterno affectu impertimur. Datum Romæ
 apud Sanctam Mariam Majorem die 3. Decemb.
 1740. Pontificatus Nostri Anno I.

Adhor-
tatio.

ANNO
1740.

ABBREVIATORIBUS

De Parco Majori conceditur usus Redimiculi galeri, vulgo *Cordone*, coloris violacei, etiam dimisso Officio.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

III.

MAXIMO ad labores alacriter subeundos, constanter perferendos, ac fideliter absolvendos incitamento semper fore eximiis viris meritos conferre honores, ipsa rerum magistra experientia edocti sapientissimi Principes, familiarium potissimum Ministrorumque suorum optimum quemque in honore habere, ac præclaris honorum insignibus decorare studuerunt, intelligentes etiam id et sibi decus magnum, et maximam in rebus agendis asferre securitatem. Nec minori sane providentia Romani Pontifices Prædecessores Nostri sese cum iis gesserunt, qui ad publicam Catholicæ Ecclesiæ utilitatem, et Apostolicæ Sedis dignitatem summa cum fidei, industriæ, prudentiæ, ac dexteritatis laude assidue adlaborarent, ut alacrius sua eidem Sedi impenderent obsequia, et demandata munera studiosius obire satagerent.

Exordium à Pontificia munificentia.

§. I. Hinc est quod Nos quoque ad egregia dilectorum Filiorum Majoris Præsidentiæ in Cancelleria nostra Apostolica Abbreviatorum, quos fel. rec. Sixtus IV., Leo, X., Paulus V., Urbanus VIII., Clemens X., et Benedictus XIII. Prædecessores Nostri variis prærogativis et privilegiis cumularunt, in Nos, et dictam Sedem fidei, et devotionis, aliæque multiplicia merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, eorumque virtutem aliqua honoris prærogativa

Varia Privilegia Abbreviatoribus à Summis Pontificibus concessa.

PONT.
A. I.

condecorare volentes, et eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certa scientia, et mera liberalitate Nostris,

Eisdem
conceditur
Redimiculum
Galeri violaceum.

deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem Majoris Præsidentia in Cancellaria Nostra Apostolica prædicta Abbreviatoribus præsentibus et futuris, ut ipsi omnes, et singuli Redimiculum galeri, *Cordone* vulgariter nuncupatum, coloris violacei, in quibusvis functionibus, et actibus publicis, ac privatis, ubique, etiam dimisso Officio hujusmodi, deferre, et gestare libere et licite possint, et valeant, tenore præsentium concedimus et indulgemus.

Etiā
dimisso
Officio.

Clausula
præservativa,
et derogatoria.

§. 2. Decernentes easdem præsentis Literas semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et alios quoslibet quacumque præeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris 13. Septembris 1740. Pont. Nostri Anno I.

Dat. die
15. Sept.
1740.

D. Cardinalis Passioneus.

ANNO

1740.

IV.

CONGREGATIONI

Pro Gubernio Civitatis Firmanæ ejusque Comitatus, ab Innocentio XII. erectæ, nova forma constituitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

NEMO est, qui non intelligat, quam solícite advigilare debeant Romani Pontifices, ut ea omnia, quæ Prædecessores sui pro saluberrimo, non solum totius Status nostri Ecclesiastici, sed uniuscujusque etiam Provinciæ, Civitatis, et Oppidi, tam Spirituali, quam Temporalis regimine, post adhibitam omnem diligentiam, et maturam deliberationem, statuenda esse censuerunt, integerrime serventur, et si aliqua ex parte tractu temporis per desuetudinem, aut quamcumque contrariam consuetudinem, non sine detrimento, immutata esse constiterit, ut ad pristinum reducantur, novisque sanctionibus confirmentur: Ea propter Nos quoque præcipuum manus nostrum esse ducimus, ut nostra in hoc potissimum studia desiderari minime patientes, Apostolicæ etiam auctoritatis nostræ partes collochemus.

Proce-
mium.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Communitas, et Homines Civitatis Nostræ Firmanæ, quod inter cætera Indulta, et Privilegia, quibus, ut asseritur, Civitas ipsa Firmana a fel. record. Eugenio PP. IV. Prædecessore Nostro decorata fuit, illud etiam continebatur, ut Gubernatoris, et Judicis privati Civitatis prædictæ munus a Cardinali pro tempore Summi Pontificis Nepote, vulgo Cardinali Patrono nuncupato, obiretur, quemadmodum

Eugenius
IV. Gu-
bernium
Civitatis
Firmanæ
Cardinali
pro tem-
pore Pa-
trono pri-
vative
concessit.

PONT.
A. I.
Innoc.
XII. pro
ejusdem
Civitatis
et Comi-
tatus ne-
gotiis spe-
cialem
Congrega-
tionem
instituit.

usque ad tempora rec. mem. Innocentii PP. XII. Prædecessoris itidem Nostri factum fuerit. Postquam autem ipse Innocentius Prædecessor Cardinalis Patroni titulum, et auctoritatem sustulit, et pro rebus, negotiisque ejusdem Civitatis Firmanæ, illiusque Comitatus peragendis, Congregationem, quæ ex Cardinali à Secretis Status Ecclesiastici Prædicti, et aliquot Romanæ Curix Prælati constabat, instituit, cum facultatibus eisdem, quibus Congregatio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super Consultationibus Civitatum, Terrarum et Locorum ejusdem Status Nostri Ecclesiastici deputatorum erecta fuit, ut ex particula Apostolicarum ipsius Innocentii Prædecessoris in simili forma Brevis literarum in forma Motus Proprii die 3. Jan. MDCXCIII. expeditarum uberius colligitur, quæ particula est tenoris sequentis: *Cum itaque Nos alias, nempe ipsis Pontificatus Nostri primordiis, justis ex causis Animum Nostrum moventibus adducti, pro dictæ Civitatis Firmanæ gubernio Dilectum Filium Nostrum Fabritium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Spada nuncupatum Secretarium Nostrum Status, ac nonnullos Romanæ Curix Prælatos, prudentia, doctrina, integritate, et rerum usu eximie præditos deputaverimus; Hi vero subinde, prout rerum, et negotiorum momenta postulabant, insinuul convenientes, demandatam sibi a Nobis Provinciam recte, et fideliter, atque ex animi Nostri Sententia hactenus administraverint: Idcirco sperantes in Domino sub eorum prudenti, ac salubri directione Civitatem Firmanam prædictam in futurum quoque optatos, Pacis, Tranquillitatis, et justitiæ fructus suscepturam esse; Motu Proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Congregationem memoratorum Fabritii Cardinalis, ac Prælatorum a Nobis, ut præfertur, deputatorum, aliorumque in futurum deputandorum, pro Civitatis Firmanæ hujusmodi, ac Civium, et Incolarum, nec non Territorii, et districtus totius*

Comitatus, ac Castrorum, Terrarum, et Locorum ejusdem, gubernio, tenore præsentium, ad Nostrum, et Sedis Apostolicæ beneplacitum, erigimus, et instituimus. Ac ipsi Congregationi sic erectæ, et institutæ, ut quoad gubernium hujusmodi, omnibus, et singulis, facultatibus, jurisdictionibus, et indultis, quæ quoad universum Statum nostrum Ecclesiasticum tam per fel. record. Sixtum P. P. V., quam alios quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium super consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici hujusmodi deputatæ quomodolibet, et qualitercumque concessa, et attributa fuerunt, pari modo, et absque ulla prorsus differentia uti, frui et gaudere libere, et licite possit, et valeat, harum serie concedimus, et indulgemus.

§. 2. Quoniam autem, præinserta sanctione, per hoc temporis spatium fere neglecta Congregatio Firmana hujusmodi, præter Cardinalem Secretarium Status prædicti, alios etiam Prælatos, nempe Auditorem Romani Pontificis pro tempore existentem, Secretarium cum duobus Pontentibus secundodictæ Congregationis, et Secretarium Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Bono Regimini Communitatum, et Universitatum ejusdem Status nostri Ecclesiastici deputatæ, atque etiam Procuratorem Fiscalem hujus Almæ Urbis nostræ, cum Voto, ac suffragio habere cœpit, factum est, ut, veluti experientia patuit, in Causis contentiosis, et articulos Juris continentibus, non mediocri confusio inde orta sit, quod ob facilem Prælatorum Pontentium secundodictæ Congregationis mutationem, eadem Causæ jam decisæ, ac terminatæ, iterum atque iterum, non sine gravi Civitatis prædictæ dispendio, in Judicium adductæ fuerint. Hoc autem non aliam ob causam fieri compertum est, quam quod Prælati secundodictæ Congregationis Consultationibus præpositæ, propter plurima negotia totius Status prædicti bis in

Causæ
præsentis
innovationis.

PONT. hebdomada haberi solitæ, eo, quo par est, ordine
 A. I. aliis rebus interesse non possunt. Propterea ipsi
 Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt,
 ut Congregationem Firmanam hujusmodi de
 novo, juxta Innocentianæ Sanctionis præinser-
 tam particulam, ad instar Congregationum Lau-
 retanæ, et Avenionensis, quæ Congregationes
 Prælatos stables, ac fixos habent, erigere, et
 confirmare, cum facultatibus prædictis, de be-
 nignitate Apostolica dignemur.

Incipit
 dispositi-
 va.

Revoca-
 tis anteac-
 tis præla-
 torum de-
 putationi-
 bus,

Eadem
 Congre-
 gatio de
 novo eri-
 gitur.

Composi-
 ta e Card.
 Secretario
 Status;
 Auditore
 Sanctissi-
 mi uno
 Auditore
 Rotæ; uno

§. 3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus
 favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum
 singulares Personas a quibusvis Excommunica-
 tionis, suspensionis, et Interdicti, aliisque Ec-
 clesiasticis Sententiis, Censuris, et pœnis a Jure,
 vel ab homine quavis occasione, vel causa latis,
 si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad
 effectum præsentium tantum consequendum,
 harum serie absolventes, et absolutas fore cen-
 sentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, et
 matura deliberatione Nostris, deque Apostolica
 Potestatis plenitudine, nominationem, seu depu-
 tationem quorumcumque Romanæ Curie Præ-
 latorum Congregationem Firmanam ad hoc usque
 tempus constituentium, a Romanis Pontificibus
 Prædecessoribus Nostris quomodolibet factam,
 annullantes, et revocantes, motu, scientia, et
 potestatis plenitudine paribus eandem Congre-
 gationem pro Civitatis Firmanæ hujusmodi, ac
 Civium, et Incolarum, necnon Territorii, et
 districtus, totiusque Comitatus, et Castrorum,
 et locorum ejusdem, gubernio, de novo, qua-
 tenus opus sit, juxta primævam ejusdem Con-
 gregationis erectionem ab Innocentio Prædeces-
 sore, cum omnibus, et singulis facultatibus,
 Jurisdictionibus, et Indultis, sicut præmittitur,
 concessis, et attributis, et quibus hactenus eadem
 Congregatio usa, et potita est, factam, erigi-
 mus, et instituimus; Ac dilectum filium nostrum
 Silvium S. R. E. prædictæ Presbyterum Cardi-
 nalem Valenti Gonzaga nuncupatum, moder-
 num, ac pro tempore existentem Secretarium

Status Nostri prædicti, uti Præfectum, necnon dilectos filios Magistros Ludovicum Merlinum modernum Pro - Auditorem, ac pro tempore existentem Romani Pontificis Auditorem, et in locum aliorum Prælatorum tenore præsentium a Nobis amatorum, Marium Millinum Cappellanum Nostrum, et Causarum Palatii Apostolici Auditorem, Joannem Baptistam Mesnerum Camerae Nostræ Apostolicæ prædictæ Clericum Præsidentem, necnon Franciscum Felicem Amadeum Signaturæ Nostræ Justitiæ Votantem, cui etiam munus Secretarii hujus Congregationis adjungimus cum Voto, firmis pariter remanentibus moderno, et pro tempore existente Promotore Fiscali generali dictæ Urbis cum Voto consultivo tantum, ac uno Relatore Causarum Civitatis, et Comitatus hujusmodi per eundem Congregationis prædictæ Secretarium nominando, constituimus, et deputamus. In casu vero sive obitus, sive absentiae, sive Promotionis dictorum Prælatorum, sive alicujus eorum, Nobis, et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus Successoribus Nostris in cujuslibet eorum locum, alium sive alios eligendi, et subrogandi facultatem reservamus.

§. 4. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere. nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu Intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam substantiali, et formali, ac incogitato, et inexcogitabili, necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci ullo modo unquam posse; sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales etiam de Latere Legatos, et alios quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros,

ANNO
1740.
Clerico
Camerae;
uno Vo-
tante Sig-
naturæ
Justitiæ,
Secreta-
rio, Fis-
cali gene-
rali; et
uno Cau-
sarum Re-
latore.

Clausulæ
præserva-
tivæ.

Aliter
judicari
prohibe-
tur.

PONT.
A. I.

sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter
judicandi, et interpretandi facultate, et aucto-
ritate, judicari, et definiri debere, ac irritum,
et inane, si secus super his a quoquam quavis
auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit
attentari. Non obstante quatenus opus sit,
Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de
Contra- Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis,
riis dero- ac in Universalibus, Provincialibusque, et Sy-
gatur. nodalibus Conciliis editis generalibus, vel spe-
cialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec-
non, quatenus opus sit, dictæ Civitatis Firmanæ,
aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirma-
tione Apostolica, vel quavis firmitate alia robo-
ratis, Statutis, et Consuetudinibus, etiam im-
memorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et
Literis Apostolicis quibusvis Personis, et locis
sub quibuscumque verborum tenoribus, et for-
mis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis
derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissi-
mis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et
aliis decretis in genere, vel in specie, seu alias
quomodolibet in contrarium præmissorum con-
cessis, confirmatis, et pluries innovatis: Quibus
omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum suf-
ficienti derogatione de illis, eorumque totis
tenoribus, specialis, specifica, expressa, et in-
dividua, ac de verbo ad verbum, non autem
per clausulas generales idem importantes mentio,
seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua
alia exquisita forma ad hoc servanda foret,
tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum,
nihil penitus ommissio, et forma in illis tradita
observata exprimerentur, et insererentur, præ-
sentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac
de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias
in suo robore permansuris, ad præmissorum
effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expres-
se derogamus, ceterisque contrariis quibuscum-
que. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem
sub Annulo Piscatoris die 20. Septembris 1740.
Pontificatus Nostri Anno I.

D. Cardinalis Passioneus.

E R E C T I O

Congregationis Particularis super promovendis
ad Archiepiscopatus et Episcopatus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Apostolicæ servitutis onus, nullis licet nostris opitulantis meritis, clementissimo Divinæ mentis consilio nuper proveci, statim cogitare cœpimus, quam vere, meritoque Tridentini Concilii Patres edixerint, nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quam ut Romanus Pontifex sollicitudinem ex sui muneris officio universæ Ecclesiæ debitam, potissimum in id impendat, ut bonos maxime, atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat, neque erretur in electione eorum, qui tamquam lucernæ super candelabrum positæ lucere debent omnibus, qui in Domo Dei sunt, ne alioquin totius Familiæ Domini statum, et ordinem luctuose nutare contingat, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in Capite. Urgebat Nos quoque, angebatque plurimum ejusdem Sacri Generalis Concilii gravissima Romano Pontifici proposita consideratio, videlicet, Dominum Nostrum Jesum Christum de ejus manibus requisiturum sanguinem ovium suarum, quæ ex malo negligentium, et officii sui immemorum Pastorum regimine perierint.

Sollicitudo Pontificis pro delectu Episcoporum, juxta mentem Concilii Tridentini.

Erectio Congregationis Particularis, cujus consilio hac in re uti statuit.

§. 1. Cupientes itaque tanto huic negotio, quod ad Episcoporum creationem spectat, quantum fieri possit, tutius, salubriusque consulere, præter ea, quæ jam circa id, tum per memorati

PONT.
A. I.

Concilii Decreta, tum per Prædecessorum Nostrorum Constitutiones sapienter statuta sunt, Congregationem Particularem tenore præsentium erigimus; instituimus, et specialiter deputamus, cujus consilio hac in re et Nos uti volumus; et Romanos Pontifices Successores Nostros usuros itidem esse in Domino confidimus. Huic autem Congregationi quinque, (neque enim pauciores, aut plures censuimus expedire) ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, pietate, doctrina, prudentia, rerumque usu præstantes. nuper a Nobis nominatos, adscribimus, ejusdemque Congregationis Secretarium dilectum filium Auditorem Nostrum deputamus.

§. 2. Porro hujus Congregationis partes erunt, **Onus Congregationis promovendi digniores et aptiores, qui ad Episcopatus promoveri possint.** omni studio, atque opera adhibita, et quovis humano respectu posthabito, Nobis assistere, ut, juxta enixum desiderium Nostrum, ad Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, et Cathedralis Ecclesias regendas assumantur Viri, morum integritate, sacra doctrina, rerum Ecclesiasticarum, peritia, zelo Domus Dei, et vero salutis animarum studio præditi, quique non ad propria commoda, sed ad labores, et solitudines pro Dei gloria sese vocari intelligentes, nec quæ sua sunt, sed quæ Christi quærentes, ministerium suum, juxta Venerabiles Beatorum Patrum, et Sacrorum Canonum sanctiones, laudabiliter sint impleturi; ita ut, pro vacantium Ecclesiarum qualitate, et conditione, omnino digniores, et ad eas fructuose gubernandas eligantur aptiores, quales semper, adjuvante Domino, a Nobis electum iri intendimus, et speramus. Quocirca cum eadem Congregatione communicaturi sumus de quibus Viris ad Episcopatum promovendis mentem Nostram subierit cogitatio, necnon de documentis ad eorum qualitates, et merita spectantibus.

Et requirendi secreto ab Episcopis, et Su-

§. 3. Et ne diutius Pastoribus careant Ecclesiæ, si post earum vacationem quærantur, qui ad eas promoveri merito possint; volumus, et mandamus, ut statim quidem post editam hanc Nostram

Nostram Constitutionem, ac deinde unoquoque biennio, per Cardinalem præfatæ Congregationis Præfectum scribatur diversorum locorum Episcopis juxta a Nobis traditam designationem, præcipiendo eis nomine Nostro, ut sub secreti lege, et eorum conscientias districtè onerando, fideliter referant, diligenti investigatione præmissa, an, et qui, sive Seculares, sive Regulares Sacerdotes in eorum Diœcesi, vel in propinquis locis existant, quos Episcopali muneri idoneos secundum Deum existiment, explicando singulorum originem, natalia, ætatem, antea vitæ institutionem, Ecclesiasticarum functionum exercitium, gradus, quos obtinuerint, officia, quæ obierint, doctrinam, pietatem, prudentiam, ceterasque animi dotes, quibus quisque valeat. Epistolæ vero, quas hac de re Episcopi rescripserint, secreto asservabuntur, ut quotiescumque alicui Ecclesiæ de novo Pastore providendum fuerit, absque mora resumì valeant, indeque facile, et expeditum sit recognoscere, quinam Viri digniores, ac vacanti Ecclesiæ congruentiores judicari possint a Nobis. Et quoniam ii, qui in aliqua Regulari Familia vitam ducunt, cognosci penitus possunt, et solent ab eorum Superioribus, tam Generalibus, quam Provincialibus, ipsos quoque sub eodem secreti vinculo interrogari ad præmissum effectum volumus.

§. 4. Præterea cum primum alicujus Ecclesiæ vacatio innotuerit, Auditor Noster certiores de ea faciet memoratos quinque Cardinales, ut et ipsi de Viris tali Ecclesiæ utilius præficiendis, nobisque suggerendis, cogitare specialiter possint, peculiaremque investigationem pro eorum prudentia adhibere: quod quidem præcipue, et a Nobis ipsis fiet. Deinde vero, quanto citius fieri poterit, habenda erit Congregatio, cui antedicti quinque Cardinales una cum Auditore Nostro intererunt, ibique perpensis omnibus qualitatibus, et meritis Virorum, quorum notitia, vel a Nobis ipsis, vel per antedictas

ANNO
1740.
periori-
bus Regu-
laribus,
an et qui
Episcopa-
tu digni
habeantur.

Tum sug-
gerendi
Sanctissi-
mo, oc-
currenti-
bus vaca-
tionibus.

PONT.
A. I. Episcoporum epistolas, vel per investigationem a dictis Cardinalibus factam, accepta fuerit, deliberandum erit quid consilii dandum Nobis sit, ut Auditor Noster referre deinde ad Nos possit quicquid prædicti Cardinales in eum finem Nobis duxerint significandum. Quod si alicujus Viri conditiones nondum satis exploratæ visæ fuerint in una Congregatione, differenda in alteram erit consultatio, ut interea per opportuna media accuratior indagatio fieri valeat.

Item examinandi causas translationum. §. 5. In hac etiam Congregatione a Nobis, ut præfertur, deputata, agendum deinceps esse decernimus de Episcopis ab una ad alteram Ecclesiam auctoritate Nostra transferendis; debita nimirum maturitate examinando, num graves, legitimæ, Sacrisque Canonibus probatæ interveniant causæ, quæ hujusmodi translationem suadeant, inspecta dumtaxat Ecclesiarum necessitate, vel utilitate, ad quam profecto causæ omnes illæ reducuntur; ne alioquin, ob inconsultam facilitatem, cupiditas, et ambitio eorum, qui forsitan ad ampliores Ecclesias aspirarent, aut ditiores, foveretur, simulque via aperiretur spiritualibus incommodis, quæ Gregibus obvenire ex crebra Pastorum mutatione consueverunt. Ejusdem vero Congregationis consilium postea itidem ad Nos per eundem Nostrum Auditorem erit referendum, ut determinari a Nobis possit quicquid magis expedire judicabimus.

Judicatur secreti custodia. §. 6. Utque hæc omnia in antedicta Congregatione liberius, perfectiusque adimpleantur, secretum ad instar illius, quod pro negotiis ad Sanctam Inquisitionem pertinentibus servatur, singulis prædictis Cardinalibus, nec non Auditori Nostro injungimus; cum facultate tamen communicandi de rebus ad ipsam Congregationem spectantibus, sub simili secreti lege, cum uno cujusque ipsorum Auditore, sive Studiorum adjutore, et uno Amanuensi, nec non cum iis, quos iisdem de rebus interrogandos, vel consulendos censuerint, ad assequendas notitias in

eum scopum conducentes, quosque eidem pariter secreto obnoxios esse debere statuimus.

§. 7. Confidimus vero etiam omnes eos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus quacunque ratione a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, (nihil in iis pro præsentis temporum ratione innovando,) ob oculos assidue habituros, in eorumque animo semper hæsuram (prout et hætenus factum, pro ipsorum pietate, ac Religione, putamus) commotionem illam adeo ponderosam, quam prædictum Concilium Tridentinum censuit inculcandam, videlicet, nihil se ad Dei gloriam, et Populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, et Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; eosque, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, Constitutionis, Decreti, Statuti, Hortationis, et Monitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragésimo, sexto decimo Kalendas Novembris Pont. Nostri Anno I.

ANNO
1740.

Communitio ad eos qui aliquod jus habent, vel operam præstant, in promotionibus Episcoporum.

Sanctio
Constitutionis.

Dat. die
17. Octob.
1740.

P. Card. Provl. D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

P O N T.

A. I.

VI.

P R O H I B E T U R

Omnibus Regularibus, exceptis Hospitalariis S. Joannis de Deo, exercitium artis Aromatarie pro Sæcularibus) et venditio pharmacorum et medicamentorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio etc.

Refertur
resolutio
Congrega-
tionispar-
ticularis
anni 1722

ESSENDO Noi appieno informati, che sino dall' Anno 1722. in una Particolare Congregazione composta della fel. mem. di Clemente Papa Duodecimo Nostro Prædecessore allora Cardinal Corsini, del fu Cardinal Paolucci, e del Reverendissimo Cardinal Annibale Albani Camerlengo della Santa Romana Chiesa, e di alcuni Prelati, specialmente deputata dalla fel. mem. d' Innocenzo Papa XIII. altro Nostro Prædecessore, tenutasi li 25. Gennaro detto Anno, inerendo al Decreto precedentemente emanato dalla Congregazione della Visita delli 29. Agosto 1637, e della Risoluzione presa li 9. Dicembre 1720. fu stabilito, che niuno de' Regolari di qualunque sorta, anche Cassinensi, dell' Ordine de' Predicatori, Compagnia di Gesù, e Minimi, potesse per sè, nè per altri, nè anche a nome della Religione esercitare l'Arte dello Speciale, fuori che per servizio de' loro Religiosi, e che dalli medesimi non si potessero vendere Medicamenti preparati, o non preparati, di qualunque genere, ai Secolari, o anche donarli, sotto pretesto di amicizia, o di familiarità, siccome fu approvato dal detto Nostro Prædecessore Innocenzo XIII., a riserva della Teriaca, e Balsamo Apopletico, che permise potersi vendere dalli medesimi Regolari,

ottenutane la licenza del Reverendissimo Nostro Cardinal Vicario ; E che in oltre il Nostro detto Predecessore Clemente XII. si degnò confermare il suddetto stabilimento , e Decreto della medesima Congregazione con un suo Breve in data li 20. Luglio 1733. del tenore seguente.

ANNO
1740.

§. I. CLEMENS PAPA XII. *Ad futuram rei memoriam.* Aliàs a Congregatione Particulari tunc existentium S. R. E. Cardinalium, de quorum numero tunc in minoribus constituti eramus, ac Romanæ Curix Prælatorum, ac Medicorum, a fel. record. Innocentio Papa XIII. Prædecessore Nostro specialiter deputata, ad favorem dilectorum filiorum Aromatariorum de Urbe emanavit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet :

Breve
Clemen-
tis Papæ
XII.

§. 2. Die 25. Januarii 1722. Sacra Congregatio Deputata, in qua interfuerunt Emin. et Rev. Domini Cardinales Paulutius Almæ Urbis Vicarius, Corsinus, et Annibal Albanus S. R. E. Camerarius; ac Reverendi Patres Domini Collicola Thesaurarius Generalis Cameræ Apostolicæ, Marefusus Auditor Sanctissimi Domini Nostri Papæ, Pallavicinus Secretarius Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ, et Ego Vicesgerens, et Secretarius, necnon Illustrissimus D. Nicolaus de Michelangelis Medicus a Secretis Sanctissimi Domini Nostri Papæ, et D. Pasculus unus de Collegio Medicorum, inhærendo Decreto Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ edito die 19. Augusti 1637. et resolutioni, seu voto emanato a Congregatione præcedenti in hac Causa habita die 9. Decembris 1720. juxta majorum suffragiorum calculum, stetit in decisis, seu in resolutis, juxta modum; nempe censuit insinuandum, et consulendum esse Sanctissimo Domino Nostro Papæ Innocentio XIII. feliciter regnanti, ut omnino prohibeantur omnes, et singuli Regulares utriusque sexus in hac Alma Urbe, ejusque Districtu degentes, etiam Casinenses, Fratres Prædicatores, Societatis Jesu, Minimi, aliique omnes quorumcumque Ordinum, et Congregationum, ne per se, neque per

Tenor
prædictæ
resolutionis.

PONT.
A. I.

alios, nec etiam Religionis nomine, Artem Aromatariam, præterquam suorum Religiosorum, aut Alumnorum usibus, exerçant, ac insuper ne ullo modo Secularibus, aut aliis Religiosis, et Ecclesiasticis, Pharmaca, aut Medicamenta, sive composita, sive non composita, sive præparata, sive non præparata, nec etiam Theriacam, Mitridatum, Hyacinthum, Balsamum, Chinam, Rhabarbarum, atque res ullas chemicas cujusvis generis, aut speciei, neque sub prætextu amicitiae, aut familiaritatis, aut alio quovis titulo, causa, vel colore vendant, permutent, aut donent, prævia etiam revocatione omnium, et singulorum Decretorum, seu Rescriptorum cujuslibet Sacrae Congrégationis quocumque tempore latorum, etiamsi fuerint cum Brevibus Apostolicis, Clausula sublata, et Decreto irritanti communitis, approbata, seu confirmata, ullo modo concedentium Regularibus, seu Monialibus licentiam vendendi Theriacam, Hyacinthum, Balsamum, Medicamenta chimica, aut alia quaecumque cujusvis generis, et speciei, sub pœnis Superioribus utriusque sexus Religiosorum contravenientibus, consultantibus, aut quoquo modo tolerantibus, suspensionis a Divinis ipso facto irremissibiliter incurrendæ, privationis vocis activæ, et passivæ, prohibitionis in posterum exercendi, aut exercere faciendi Aromatariam in eorum Domibus, Monasteriis, atque Conventibus, etiam pro eorum usu, ac ulterius confiscationis ejusdem Aromataria per R. P. D. Thesaurarium Generalem faciendæ, cum facultate procedendi etiam per solam inquisitionem, et applicandi tertiam partem illius secreto Denunciatori.

Quæ confirmatur ab Innocent. XIII cum exceptione quoad Fratres S. Joannis de Deo.

Et facta relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua præfata insinuationem, seu resolutionem laudavit, et approbavit, cum his tamen declarationibus, et limitationibus, nempe, ut in præfata generali prohibitione non intelligantur comprehensi Fratres Hospitalarii S. Joannis de Deo Urbis, et Districtus, etiam

juxta vota nonnullorum RR. PP., sed eis licitum sit non solum Aromatarias in eorum Conventibus, et Hospitalibus pro Infirmorum, Religiosorum, atque Alumnorum usibus habere, sed etiam de eis vendere Pharmaca, et Medicamenta Secularibus, Religiosis, et Ecclesiasticis quibuscumque, dummodo præfatæ Aromatarie quolibet anno per Medicos, et Pharmacopolas deputandos ab Eminentissimo Cardinali Vicario visitentur, ac insimul totum lucrum, quod ex ejusmodi venditione retrahetur, pro sustentatione Aromatarum, et sustentatione, et augmento Hospitalium in eorum Conventibus, seu Domibus existentium, ac Infirmorum inibi degentium, seu in beneficium Ecclesiarum, et Sacristiarum uniuscujusque Domus, aut Conventus, integre, et fideliter erogetur, cujus cognitionem eidem Eminentissimo Cardinali Vicario remisit. Respectu vero aliorum Regularium, voluit, et declaravit Sanctitas Sua, posse eis indulgeri, ac permitti venditionem Theriacæ, et Balsami Apoplectici tantum, pro majori publico Bono, dummodo obtineant ab eodem Cardinali Vicario licentiam in scriptis, ad tempus ejus arbitrio duraturam, et lucra exinde retrahenda in beneficium Ecclesiarum, et Sacristiarum uniuscujusque eorum Domus, Monasterii, aut Conventus simili modo erogent. Et ita prohiberi, servari, et respective exequi omnino mandavit, sub pœnis ut supra expressis. Non obstantibus, quoad supradicta omnia, et singula in præsentibus Decreto contenta, Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque Personarum, atque Ordinum, sive Congregationis Cassinensis, Fratrum Prædicatorum, Societatis Jesu, Minimorum, aut aliorum quorumque tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti etiam necessario, et individue exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, et aliorum quorumcunque Regularium Locorum, necnon

Et pro
aliis, quo-
ad vendi-
tionem
theriacæ,
et balsami
apoplectici

Cum clau-
sulis op-
portunis.

PONT.
A. I.

illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis, quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, Sacra Congregatio, Sanctitatis Sux auctoritate, specialiter, et expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. Et ne præmissorum ignorantia a quoquam prætendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præsentis Ordinationes in Valvis Basilicarum S. Joannis Lateranen. et Principis Apostolorum de Urbe, et in Acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arcent, et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; utque earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die 11. Martii 1722. N. Episcopus Bojanen. Vicesgerens præfata Congreg. Particularis Secretarius. Joseph Cianetti Secretarius.

Loco ✕ Sigilli.

Sequitur
confirmatio
Clementis
XII. in
formaspecifica.

§. 3. Cum autem, sicut pro parte dictorum Aromatariorum Nobis nuper expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat, et servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decre-

ANNO
1740.

tum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus. Decernentes easdem præsentis litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore; suosque plenarios, et integros effectus sorti, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Julii 1733. Pontificatus Nostri Anno IV.

F. Cardinalis Oliverius.

§. 4. *E che in esecuzione di esso Breve fu pubblicato sotto li 11. Ottobre 1735. un, Editto del Reverendissimo Cardinal Vicario, con cui rivedendosi ogni, e qualunque Privilegio, sotto pena della sospensione a Divinis ai Superiori delle Religioni; ed altre pene ivi contenute, si proibisce di esercitare la Speziaria nelle loro Case, Monasteri, e Conventi, e di vendere li suddetti Medicamenti, eccettuata la detta Teriaca, e Balsamo Apopletico, come dalli medesimi Breve, ed Editto a Noi similmente esibiti, non ostante, che per parte de' medesimi Regolari fossero giuridicamente dedotte le loro ragioni, ed avessero in scritto rilevati avanti la suddetta Congregazione i motivi della loro libertà di vendere li medesimi Medicamenti, quali furono riconosciuti insussistenti, e pregiudiziali al ben pubblico, ed economico del Principato, per non essere sottoposte le loro Speziarie alla visita de' Protomedici, e Consoli de' Speziali: ad ogni modo hanno sempre cercato li sunnominati Regolari di eludere in qualche maniera il detto Breve, e risoluzione della prenominata Congregazione, E perchè dopo il maturo esame, che ne*

Edictum
Cardina-
lis Vicarii
refertur.

PONT. *fu fatto, anzi dopo di esser state ridotte con De-*
 A. I. *creto approvato della fel. mem. di Clemente XI.*
 Cause *similmente nostro Predecessore delli 8. Gennaro*
 presentis *1721. le Speziarie pubbliche de' Secolari al numero*
 confirma- *di sessanta, per non esservi il sufficiente man-*
 tionis. *tenimento delle medesime in numero maggiore,*
merita pur troppo la conferma da Noi tanto il
suddetto Breve del defonto Sommo Pontefice,
quanto la precedente Risoluzione della prefata
Congregazione; tanto più che a norma delle
suddette provisioni, anche dagli altri Principi
d'Italia n'è stato abbracciato consimile sistema.
E noi mossi da puro zelo di Giustizia, e dall'
Amore verso li nostri Sudditi di questa nostra
Città di Roma, abbiamo determinato di confer-
mare, ed approvare non tanto il suddetto Breve,
quanto anche l'Editto come sopra fatto pubblicare
dal Reverendissimo Cardinal Vicario, e la Risc-
oluzione precedentemente presa dalla suddetta
Congregazione sopra la riduzione del numero delle
Speziarie, e rimuovere perciò ogni ostacolo, e pretes-
to, con ordinare la perpetua osservanza, ed ese-
cuzione, come in appresso.

Pontifex *§. 5. Avendo pertanto nella presente Cedola di*
 denuo *nostro moto proprio per espresso, e di parola in*
 confirmat *parola come sopra registrato l'intero tenore del*
 omnia su- *suddetto Breve promulgato, delle condizioni, e*
 pradicta. *dichiarazioni in esso espresse, come anche il*
tenore dell'Editto come sopra fatto pubblicare dal
Reverendissimo Cardinal Vicario, e della suddetta
Risoluzione precedentemente presa dalla sunno-
minata Congregazione per la riduzione del numero
delle Speziarie, ed ogni altra cosa necessaria d'
esprimersi: Di nostro moto proprio, certa scienza,
e pienezza della nostra Suprema Potestà confer-
miamo, ed in tutto, e per tutto, ed in tutte le sue
parti, e circostanze approviamo, ed autoriziamo il
sovaccennato Breve, e l'Editto del Reverendis-
simo Cardinal Vicario, e la precedente Risoluzione
presa dalla suddetta Congregazione particolare
sopra la riduzione delle Speziarie di questa nostra
Alma Città di Roma; e perciò vogliamo, ed
ordiniamo, ed espressamente comandiamo, che

quelli , e quella , e tutte le cose ivi contenute , ed espresse debbano sempre , ed in perpetuo avere il loro pieno effetto , ed esecuzione , e che debbansi in ogni futuro tempo inviolabilmente osservare da ogni , e qualunque Persona quantosivoglia privilegiata , e privilegiatissima , anche Ecclesiastica , e Luogo Pio , de'quali dovesse farsi special menzione , nè che sotto qualsivoglia pretesto , e causa , benchè incogitata , ed inopinata , si possa mai impugnare , nè controvertere la piena , e total osservanza , ed esecuzione delli medesimi Breve , Editto , e Risoluzione della suddetta Congregazione ; anzi che per il suddetto effetto della di loro totale , e pienissima osservanza , ed esecuzione irritiamo , rivochiamo , e cassiamo ogni , e qualunque licenza , e permesso di poter rendere qualunque specie di cose , e da qualsivoglia Persona anche in Dignità costituita fosse stato , e rispettivamente concesso tacitamente , o espressamente a qualunque Ecclesiastico Regolare dell' uno e l' altro sesso , di qualunque Ordine , Congregazione , ed Istituto , e Luogo Pio contro la forma del suddetto Breve , ed Editto del Reverendissimo Cardinal Vicario , e così irritati , rivocati , e cassati restino ora , e perpetuamente di niuna forza , e valore , perchè così è mente , e volontà nostra precisa , ed espressa .

§. 6. Volendo , e decretando , che alla presente Clausula Cedola di nostro moto proprio benchè non esibita , e nè registrata in Camera , e ne' suoi libri , non possa mai darsi , nè opporsi di surrezione , orrezione , nè d'alcun altro vizio ; o difetto della nostra volontà , ed intenzione , nè che mai sotto tali , o altri qualunque pretesti , benchè validi , e validissimi , e quantosivoglia sostanziali , anche di Jus quæsito , e pregiudizio del Terzo , possa essere impugnato , moderato , o rivocato , o ridotto ad viam Juris , o concedersi verso di esso l'aperizione Oris , e che così , e non altrimenti debba sempre giudicarsi , definirsi , ed interpretarsi da qualunque Giudice , e Tribunale , benchè Colle-

Clausula
præservativæ.

Sublata
aliter ju-
dicandi
facultate.

PONT.
A. I.

giale, Congregazione anche di Reverendissimi Cardinali : Camerlengo di Santa Chiesa, segnature di Grazia ; e di Giustizia, Tesoriere, Presidenti, Rota, Camera, e qualsisia altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare diversamente ; Dichiarando Noi sin d' adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno d' essi con qualsivoglia autorità, scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare contra la forma, e disposizione del presente nostro Moto proprio ; siccome sin d' adesso, e preventivamente dichiaramo nullo, irrito, ed invalido ogni contrario uso, consuetudine, prescrizione, anche longissimi temporis, centenaria, e tutto altro, che fosse atto ad impedire, o fare ostacolo all' osservanza del medesimo, quale vogliamo, e che vaglia, e debba avere sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice nostra sottoscrizione, benchè non vi sani stati chiamati, sentiti, nè citati li Superiori delle sunnominate Religioni, e qualsisiano altre Persone, ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, che vi avessero, o pretendessero avervi qualunque interesse: non ostanti la Bolla di Pio IV. nostro Predecessore de registrandis, la Regola della nostra Cancellaria de jure quæsito non tollendo, e qualsisiano altre Contrariis derogatur. Costituzioni, ed Ordinazioni Apostoliche nostre, e de' nostri Predecessori, Leggi, Statuti, Riforme, Stili, Usi, Consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, benchè fosse tale, che meritasse speciale, specialissima, ed individua menzione, e nella quale vi fossero clausule derogatorie delle derogatorie, alle quali tutte, e singole, avendone il tenore quì per espresso, e di parola in parola, inserto, e registrato, e supplendo Noi con la pienezza della nostra Potestà Pontificia ad ogni vizio, e difetto qualunque sostansiale, e formale, che vi potesse essere intervenuto per la totale piena esecuzione, ad effetto di quanto si esprime nel presente nostro Moto proprio, ampiamente, ed espressamente

deroghiamo. Dato dal nostro Palazzo Appostolico di Monte Cavallo questo dì 14. Novembre 1740.

ANNO
1740.

BENEDICTUS PAPA XIV.

DE SACRIS LIMINIBUS

VII.

Beatorum Apostolorum visitandis. Confirmatur Constitutio Sixti Papæ V. eaque extenditur ad Abbates aliosque habentes Monasteria seu Ecclesias cum jurisdictione quasi Episcopali, et Territorio separato.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

QUOD Sancta Sardicensis Synodus Divino edocta magisterio edixit, optimum, et valde congruentissimum esse, si ad caput, idest ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes, attenta animi consideratione revolventes; ubi primum Nos, licet immeritos, Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in eadem Sede collocavit, ea subiit cogitatio, ut cunctarum totius Orbis Ecclesiarum ad parvitatem nostram status, et negotia referrentur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in S. Petro Apostolo, cum illi claves aperiendi, claudendique daret, indulset. Siquidem in Speculis a Deo constituti, et vigilantia Nostræ diligentiam pro commissi officii munere coram eo comprobare cupientes, noctes diesque solliciti sumus, ut circa quamvis longinqua spiritualis cura non deficiat, sed se per omnia, qua nomen Dei prædicatur, extendat, memores illius objur-

Exordi-
um a ver-
bis Con-
cilio Sar-
dicensis
de Rela-
tionibus
Apostoli-
cæ Sedi
faciendis.

PONT.
A. I.

gationis Dominicæ : quod infirmum fuit , non consolidastis ; et quod ægrotum , non sanastis ; quod confractum est , non alligastis ; et quod abjectum est , non reduxistis ; et quod perierat , non quæsisistis ; et dispersæ sunt oves meæ , eo quod non esset pastor ; et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri , et dispersæ sunt ; erraverunt greges mei in cunctis montibus , et non erat qui requireret , ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum . Cum ergo pastoribus talibus , per quos Dominicæ oves negliguntur , et pereunt , sic Dominus comminetur , quid nos aliud facere oportet , quam colligendis , et refovendis Christi ovibus exhibere diligentiam plenam , et curandis lapsorum vulneribus paternæ pietatis adhibere medicinam ? Nulla est enim major , aut melior cura Præpositorum , quam diligenti sollicitudine , et medela salubri , fovendis , et conservandis ovibus providere .

Summa-
rium cau-
sarum
Constitu-
tionis a
Sixto V.
editæ.

§. 1. Dudum quidem fel. rec. Sixtus Papa V. serio animadvertens veterem , et laudabilem morem . gravissimis ex causis , et non sine Spiritus Sancti instinctu a Summis Pontificibus Prædecessoribus nostris antiquitus institutum , et per multas ætates magno Ecclesiæ Dei commodo observatum , ut singuli Patriarchæ , Prælati , Archiepiscopi , et Episcopi certis præscriptis temporibus per se ipsos , vel per certum eorum Nuntium , Beatissimorum Apostolorum Petri , et Pauli , qui hanc Almam Urbem suo sanguine consecrarunt , Limina se visitaturos jure jurando pollicerentur , ut Episcoporum Romam venientium opera , et adjumento Romanus Pontifex , cui omnium Ecclesiarum sollicitudo concredita est , ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret , et spiritualium ovium morbos intelligeret , curationesque opportunas adhiberet , nec quicquam omnino illum lateret earum rerum , quas ad Dei gloriam augendam , ad Christianam Religionem propagandam , ad animarum procurandam salutem , necessario eundem scire , atque intelligere oportet , partim hominum culpa ,

partim antiqui humani generis hostis astutia, variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus, a plurimis, in grave animarum suarum periculum, et quibus præerant, Ecclesiarum detrimentum, negligenter observari; ex intimis animi sensibus indoluit, et statim gravi malo quotidie magis ingravescenti occurrere, et congrua adhibere remedia cogitavit.

§. 2. Itaque per suas Apostolicas Literas, quarum initium est: *Romanus Pontifex*, constituit, ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi per universum terrarum Orbem constituti, et deinceps ordinandi, etiamsi Cardinalatus dignitate præfulgerent, seu eis consecratis Pallium de Beati Petri corpore sumptum traderetur, aut ad aliam Ecclesiam transferrentur, antequam illius regimini, et administrationi se immiscerent, si quidem præsentibus in Curia, in manibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ordine Prioris, si vero absentes, in manibus Antistitis ad impendendum munus prædictum, aut ad tradendum Pallium hujusmodi a Sede Apostolica delegati, juramento se obstringerent, se Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli Limina, statutis in iisdem literis temporibus, personaliter, ac per se ipsos visitaturos, ac Romanis Pontificibus pro tempore existentibus rationem reddituros de toto eorum Pastoralis officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quas regerent, Ecclesiarum statum, ad Cleri, et Populi disciplinam, animarum denique, quæ illorum fidei creditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata Apostolica recepturos, et quam diligentissime executuros, prout latius in iisdem literis continetur.

§. 3. Cum autem Abbatum, Priorum, aliorumque, qui spirituali jurisdictione quasi Episcopali in suis Monasteriis, et Ecclesiis, eorumque Territoriis ab omni alia Episcoporum Diœcesi omnimode separatis potiuntur, nulla mentio in præfatis literis Sixti facta fuerit, hinc est quod Abbates, alique, qui hujusmodi Ecclesiis, et

Et ejusdem dispositivæ.

In qua nulla mentio Abbatum Priorum etc.

PONT.
A. I.

Monasteriis præerant cum jurisdictione spirituali, et Territorio separato, nunquam, Beatorum Apostolorum Limina visitantes, de iisdem Ecclesiis, et Monasteriis, et grege curæ suæ commisso ad Romanos Pontifices referrent, adeo ut hujusmodi Monasteriorum, et Ecclesiarum, quæ Nullius dicuntur, status, et conditio Sedi Apostolicæ incognita esset, et sæpe ignorarentur mala, quibus medendum esset, et laterent bona, quæ Apostolica cura, et studio essent fovenda, et amplificanda.

Pontifex
confir-
mat, et
innovat
Constitu-
tionem
Sixtinam.

§. 4. Nos igitur cupientes omnium Ecclesiarum utilitati, et animarum saluti, quantum in Domino possumus, consulere, ac providere, cum de omnibus, et, quod tremendum est, etiam de unius anima ante tribunal Dei rationem reddaturi simus, tum etiam volentes ea, quæ salubriter a Prædecessoribus nostris instituta sunt, exactius, diligentiusque observari, ideo easdem literas Sixti V. Prædecessoris, et in eis contenta quæcumque, ex certa scientia, et Apostolica Auctoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus, ac etiam innovamus, omnibusque Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis mandamus, et præcipimus, ut eas sedulo, ac diligenter, et omnia in eis præscripta observare, ac custodire studeant, et Apostolicæ Sedis monitis, ac præceptis in re tanti momenti ea reverentia, atque animi cura et promptitudine, qua par est, pareant, atque obsequantur, et antiquæ traditionis exempla servantes, et Ecclesiasticæ memores disciplinæ, Sacerdotalis Religionis vigorem non minus in judicando, quam in consulendo retineant, scientes quid Apostolicæ Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse Episcopatus, et tota auctoritas nominis hujus emersit.

Eamque
extendit
ad infe-
riores
Prelatos,
jurisdic-
tionem
quasi E-
piscopa-
lem ha-
bentes.

§. 5. Præterea scientia, et auctoritate prædicta, hac nostra in perpetuum valitura constitutione sancimus, decernimus, et mandamus, ut omnes, et quicumque Abbates, Priores,

ANNO
1740.

Præpositi, aliique quocumque nomine, ac titulo nuncupati, et quacumque dignitate etiam Cardinalatus honore insigniti, sæculares, et quorumvis ordinum Regulares, ad Monasteriorum, seu Ecclesiarum particulare, et separatim Territorium habentium regimina jam promoti, et imposterum pro tempore, etiam per viam electionis, postulationis, aut aliter quovis modo promovendi, et Monasteria, seu Ecclesias hujusmodi in titulum, commendam, administrationem, aut aliter quomodolibet obtinentes, vel imposterum assecuturi, qui videlicet spiritualem jurisdictionem quasi Episcopalem cum temporali etiam, vel sine, in Monasteriis, et Ecclesiis prædictis, eorumque Territoriis, Districtibus, et quasi Diœcesibus ab omni alia Episcoporum Diœcesi omnino sejunctis, et separatis, quocumque jure, et titulo, vel ex origine, vel præscriptione, vel ex indulto, et privilegio Apostolico exercent, antequam eorundem Monasteriorum, seu Ecclesiarum possessionem adipiscantur, et in eorum regimine, et administratione se de aliquo immisceant; Si quidem præsentis in Curia fuerint, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine Prioris, si vero absentes in manibus Nuncii, aut Legati Sedis Apostolicæ, si præsens fuerit, sin minus in manibus alicujus Episcopi, aut Archiepiscopi eorum arbitrio eligendi, cum Romana tamen Ecclesia Ecclesiasticam communionem habentis, tamquam ejusdem Apostolicæ Sedis Delegati, jurent, juxta formulam inferius describendam, se Sacras Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli memorias personaliter, ac per se ipsos visitaturos, ac insuper Nobis, et Successoribus Nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus, statutis hac nostra Constitutione temporibus, rationem reddituros de commissa sibi Monasteriorum, et Ecclesiarum procuratione; in notitiam nostram, nostrorumque Successorum perferentes quæcumque ad ipsorum Monasteriorum, et Ecclesiarum statum, et Ecclesiasticæ disciplinæ in Clero, et Populo observantiam, ad

Qui jurare debent se personaliter visitaturos Limina Apostolorum.

Et relationem Status Ecclesiarum facturos.

PONT.
A. I.

animarum salutem, quæ illorum fidei creditæ sunt, et ad Divinum Cultum, et gloriam pertinent; vicissim recepturos a Sede Apostolica monita, et mandata, quorum censura, et quæ coercenda sunt, resecentur, et quæ observanda sunt, sanciantur, et quæ bene cœpta, atque instituta, approbatione, et confirmatione nostra, nostrorumque Successorum ad debitum finem perducantur.

Vel per
suum
Nuncium,
si ipsi le-
gitime im-
pediti fue-
rint.

§. 6. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, jurent, se prædicta omnia adimpleturos per certum Nuncium ad id speciale mandatum habentem, et de gremio suorum Monasteriorum, et Ecclesiarum, in dignitate Ecclesiastica Sæculari, vel Regulari, constitutum, aut omnino per aliquem Sacerdotem Sæcularem vel Regularem spectatæ probitatis, et religionis, de supradictis omnibus plene instructum: per quem etiam de hujusmodi impedimento docere debeant legitimis probationibus ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Præfectum Congregationis Sacri Concilii transmittendis.

Itali et
ins. adjac.
tertio quo-
que anno.

§. 7. Ad hoc autem debitum visitationis, et relationis suorum Monasteriorum, et Ecclesiarum officium opportune explendum supradicti omnes Abbates, Præpositi, Priores, et quocumque alio dignitatis, vel officii nomine nuncupati, tam Regulares, quam Sæculares, Itali videlicet, vel ex Italicis Insulis, veluti Siculi, Sardi, Corsi, et alii adjacentium Provinciarum Italiæ, tertio anno; Reliqui vero in aliis Provinciis, Regnis, et Terrarum Orbis partibus, et Regionibus existentes, tam qui nunc sunt, quam qui imposterum erunt, quinto anno teneantur, diligenterque pro viribus adimplere, Nobisque, et nostris Successoribus exhibere studeant, ac curent, idemque institutum tertio quoque, et quinto anno repetant, et observent. Hæc autem annorum spatia a tempore captæ possessionis, et suscepti Monasteriorum, et Ecclesiarum regiminis, et curæ incipiant.

Reliqui
quinto
quoque
anno, a
tempore
captæ pos-
sessionis
compu-
tando.

§. 8. Ii vero, qui de Ecclesiis, et Monasteriis hujusmodi jam provisi, in earum pacifica possessione a biennio, et amplius reperiuntur, vel quibus præfinitum a Nobis superius tempus a die habitæ possessionis jam effluxit, intra annum, si in Italia, et Insulis adjacentibus, intra vero biennium, si extra sint, a die publicationis præsentis Constitutionis, ad nos præfatam suarum Ecclesiarum relationem, et deinde singulis trienniis, aut aliis præstitutis temporibus pro locorum conditione, et distantia, ad nos transmittere, et Sacras Apostolorum Basilicas visitare, et nostro conspectui, dummodo impediti legitime non fuerint, se præsentibus sistere debeant, ut S. R. E. Matris suæ complexu recreati, et paterno humilitatis nostræ colloquio confirmati, ad Monasteria, et Ecclesias suas regendas alacriores, et instructiores revertantur.

ANNO
1740.
Quid de
iis, qui
jam pro-
visi exis-
tunt.

§. 9. Jubemus igitur in virtute sanctæ obedientiæ supradictis omnibus Abbatibus, Prioribus, Præpositis, aliisque quocumque titulo, vel nomine nuncupatis, vel quacumque dignitate præfulgentibus tam Regularibus, quam Sæcularibus præsentibus, et futuris, ut visitationem prædictam, et insuper relationem, statutis a nobis temporibus faciendam, sibi, suisque Monasteriis, et respective Ecclesiis adeo utilem, ac necessariam, juxta præscriptam alias Episcopis formam, omnino conficiant; Si vero, quod absit, a Nobis præcepta, et constituta prompte exequi neglexerint, eos ab ingressu Ecclesiæ, ac etiam administratione tam Spiritualium, quam temporalium, nec non a perceptione fructuum suorum Monasteriorum, et respective Ecclesiarum ab Episcopo, vel Archiepiscopo, Monasterio, aut Ecclesiæ *Nullius* viciniore, omni exceptione, et mora cessante, interim libere exigendorum, et in opus fabricæ, seu ornamentorum, Ecclesiæ emptionem, prout major exegerit necessitas, insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia

Præcep-
tum Pon-
tificis sub
pœna sus-
pensionis.

PONT. resipiscentes, relationem suspensionis hujusmodi
A. I. a Sede prædicta meruerint obtinere.

Clausulæ §. 10. Non obstantibus privilegiis, absolutio-
derogato- nibus, indulgentiis, et aliis concessionibus de
riæ. non visitandis liminibus ejusmodi, aliisque pera-
gendis, quibuscumque Ecclesiarum, et Mona-
steriorum Rectoribus, et per quoscumque Roma-
nos Pontifices, ac etiam Nos, et dictam Sedem
ex quibusvis causis perpetuo, vel ad tempus
concessis, extensis, et innovatis quæ omnia con-
tra præmissa cuiquam nolumus suffragari, aliis-
que contrariis quibuscumque. Quia vero difficile
nimis esset, præsentis literas, quocumque illis
opus fuerit, perferri, volumus quoque, ut earum
exemplis etiam impressis, manu Notarii publici,
et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica con-
stitutæ obsignatis, eadem prorsus adhibeatur
fides, quæ eisdem præsentibus haberetur, si
essent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides
transump-
tis haben-
da.

Formula
juramen-
ti ab Ab-
batibus
aliisque
præstandi

§. 11. Formula autem juramenti præstandi ab
Abbatibus, aliisque Monasteria, seu Ecclesias
habentibus cum jurisdictione quasi Episcopali,
et Territorio separato, talis est :

*Ego N. ab hac hora in antea fidelis, et obediens
ero B. Petro Apostolo, Sanctæque Romanæ Ec-
clesiæ, et Domino Nostro Domino Benedicto
Papæ XIV. suisque Successoribus canonice in-
trantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel
facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu
capiantur mala captione, aut in eos violenter ma-
nus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ
inferantur quovis quæsito colore. Consilium vero,
quod mihi credituri sunt, per se, aut Nuntios
suos, seu literas, ad eorum damnum, me scien-
te, nemini pandam. Papatum Romanum, et
Regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum,
et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem
hominem. Legatum Apostolicæ Sedis in eundo,
et redeundo honorifice tractabo, et in suis neces-
sitatibus adjuvabo. Jura, honores, Privilegia, et
auctoritatem S. R. E. Domini Nostri Papæ, et
successorum prædictorum conservare, defendere,*

A N N O
1740.

augere, et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum Nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status, et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscumque tractari, vel procurari novero, impediam hoc pro posse: Et quanto citius potero, significabo eidem Domino Nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones, et mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Hæreticos, Schismaticos, et Rebelles eidem Domino Nostro, vel Successoribus prædictis pro posse persequar, et impugnabo. Sacras BB. Apostolorum memorias singulis trienniis * personaliter ac per me ipsum visitabo, et Domino Nostro, successoribusque præfatis rationem reddam de commissis mihi munere, deque rebus omnibus ad mei Monasterii, seu Ecclesiæ statum, ad Cleri, et Populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei creditæ sunt, salutem. quovis modo pertinentibus, et vicissim Mandata Apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar: Quod si legitimo impedimento detentus fuero, prædicta omnia adimplebo per certum Nuncium ad hoc speciale Mandatum habentem de gremio Conventus Monasterii mei, * aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias Personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per aliquem alium Presbyterum Sæcularem, vel Regularem spectatæ probitatis, et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem Congregationis Sac. Concilii Præfectum per dictum Nuncium transmittendas. Possessiones vero ad Monasterium meum pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Conventus Monasterii mei, inconsulto Romano Pon-

* seu
quinque
niis.* seu Ca-
pituli Ec-
clesiæ
meæ.

PONT. *tifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita Constitutione contentas, eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.*

A. 1.
Sanctio
pœnalis. §. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, Constitutionis, Decreti, Statuti, Hortationis, et Monitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejusse noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo, IX. Kalendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Dat. die
23. Nov.
1740.

P. Card. Prod D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi
die xv. Decemb. ejusdem anni. *millesimo septingentesimo quadragesimo, Indictione Tertia, die vero decimaquinta Decembris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini Benedicti Divina Providentia Papæ XIV. Anno Primo, supradicta Constitutio affixa, et publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curie generalis in monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis Locis solitis, et consuetis Urbis per me Antonium Pelliciam Apost. Curs.*

Paulus Biancini Magist. Curs.

Instructio circa modum conficiendi Relationem Status Ecclesiarum dabitur in Appendice ad Calcem tertice Partis hujus Tomi primi.

ERECTIO

VIII.

Congregationis Particularis nonnullorum Romanæ Curiae Prælatorum, Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum adjectæ, pro excipiendis, examinandisque Relationibus Episcoporum, Abbatum etc. super statibus eorundem Ecclesiarum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

DECET Romanum Pontificem, pro Divinitus credita sibi Dominici gregis cura, non solum quæ Catholicæ Ecclesiæ utilia, ac salubria sunt, et Sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus consona, constituere; sed Evangelici Patrisfamilias exemplo, pro cujusque ingenii; et facultatum viribus talenta distribuendo, celeritiam etiam eorum, quæ decreta sunt, executioni prospicere.

§. 1. Alias quidem fel. rec. Sixtus PP. V. Prædecessor Noster per suas Apostolicas literas, quarum initium est: *Romanus Pontifex*: decrevit, ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi juramento promitterent, se certis statutis temporibus BB. Apostolorum Petri, et Pauli Limina personaliter, ac per se ipsos visitaturos; legitimo autem impedimento detentos, per certum Nuntium id adimpleturos, rationemque reddituros Romanis Pontificibus pro tempore existentibus de toto eorum Pastoralis officio, deque rebus omnibus ad ipsarum,

Exordium a procuranda executione recte constitutorum.

Constitutio Sixti V. super visitationem Liminum Apostolorum, et relatione status Ecclesiarum, ab Episcopis faciendam.

PONT. quibus præessent, Ecclesiarum statum quovis
 A. I. modo pertinentibus : et idem Sixtus Prædecessor
 deinde per consimiles literas, quæ incipiunt :
 Aliaque *Immensa* : Congregationis S. R. E. Cardinalium
 ejusdem, super interpretatione, et executione Concilii
 ua de- Tridentini, demandavit, ut Patriarcharum,
 mandatur Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum eo-
 Congr. rumdem postulata audirent, et quæ per se pos-
 Concilii sent, ex caritatis, et justitiæ norma expedirent ;
 eorumdem postulato- majora ad se, suosque Successores referrent. Nos
 rum cog- vero necessariis, ac legitimis de causis animum
 nitio. nostrum moventibus, per literas nostras nuper
 Pontifex emanatas, præfati Sixti Prædecessoris literas de
 extendit Sacris visitandis BB. Apostolorum Liminibus,
 prædic- et omnia in eis contenta confirmavimus, atque
 tam Le- et innovavimus ; Præcipientes præterea, et man-
 gem ad dantes omnibus Abbatibus, Prioribus, Præpo-
 Prælatos sitis, aliisque quacumque dignitate etiam Car-
 Inferiores dinalatus honore insignitis, tam Regularibus,
 jura quasi quam Sæcularibus, qui Monasteriis, seu Eccle-
 Episcopa- siis, quæ *Nullius* nuncupantur, cum jurisdic-
 lia haben- tione spirituali, et Territorio separato ; quo-
 tes. cumque jure, et titulo præficiuntur, ut ante-
 quam suorum Monasteriorum, et respective Ec-
 clesiarum possessionem adipiscantur, in ma-
 nibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine Prioris,
 si præsentibus Romæ fuerint, si autem absentes,
 in manibus Nuncii, vel Legati Sedis Apostolicæ,
 seu alicujus Catholici Antistitis eorum arbitrio
 eligendi, se juramento obstringant, Sacras BB.
 Apostolorum Petri, et Pauli memorias persona-
 liter, ac per se ipsos, vel, legitime impeditos,
 per certum eorum Nuncium visitaturos ; et in-
 super certis præscriptis temporibus rationem
 reddituros de commissa sibi Monasteriorum,
 seu Ecclesiarum procuratione, aliisque omni-
 bus, quæ ad ipsarum Ecclesiarum, et Mona-
 steriorum statum, Ecclesiasticam Cleri, et Populi
 disciplinam, ad Animarum salutem, et ad Di-
 vinum cultum, et gloriam pertinent, prout in
 singulis ejusdem Sixti Prædecessoris, ac Nostris
 respective literis prædictis, quarum integros te-
 nores

nores hic pro plene, et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, plenius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut Nobis, dum adhuc in minoribus versaremur, innotuit, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Decretorum ejusdem Concilii Tridentini Interpretes tantis negotiorum curis, causarum multitudine, et gravissimarum occupationum mole distineantur, ut serius quam optarent, non sine aliquo Ecclesiarum detrimento, et nonnullorum querela, postulata, quæ occasione visitationis Sacrorum Liminum fieri solent, audire, et responsa præbere cogantur literis Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, qui legitimis impedimentis detenti, quo minus se in hanc Urbem conferre possint, absentes, vel Romæ præsentis, debitæ suarum Ecclesiarum relationis officium in scriptis, ut moris est, adimplent: Nos hujusmodi incommodo congruum remedium adhibere, eidemque Congregationi S. R. E. Cardinalium Decretorum prædictorum interpretum opportunum levamen asserre satagentes, necnon Venerabilium Fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, quos in visceribus caritatis gerimus, votis ac desideriis, quantum in Domino possumus, satisfacere, et sollicitæ literarum, et rponsorum hujusmodi expeditioni providere cupientes, inhærentes etiam exemplis SS. Nostrorum Prædecessorum, è quibus B. Damasum Prædecessorem nostrum in chartis Ecclesiasticis juvisse, et Orientis, Occidentisque consultationibus respondisse de se B. Hieronymus affirmat, ex certa scientia, et Apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine tenore præsentium perpetuo erigimus, instituimus, et decernimus Particularem Congregationem nonnullorum Romanæ Curiae Prælatorum a Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris pro tempore deputandorum, quorum munus, et officium illud dumtaxat esse volumus, ut eorundem Venerabilium Fratrum Patriarcharum, Primatum,

ANNO
1740.

Causæ
præsentis
Constitutionis.

Erigitur
Congr.
Particularis.

Cujus
munera
designantur.

PONT.
A. I.

Archiepiscoporum, et Episcoporum, nec non dilectorum filiorum Abbatum, Priorum, Præpositorum, aliorumque tam Secularium, quam Regularium separatum Territorium habentium, et jurisdictionem quasi Episcopalem in locis sibi subjectis exercentium, postulata, quæ in scriptis exhibita fuerint, et literas eidem Congregationi Cardinalium Decretorum prædictorum interpretum, vel Nobis directas, et a Nobis ad præfatum Congregationem remissas, diligenter inspicere, omniaque in eis contenta in eorum Conventibus, et Particularibus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habenda erit, accurate exponere, ut communi consilio omnibus consideratis, et perpensis, quæ majoris momenti videbuntur, ad ipsos S. R. E. Cardinales interpretes prædictos, et deinde per ejusdem Congregationis Secretarium ad Nos, quoties coram Nobis prædicta Particularis Congregatio habita non fuerit, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, referantur; ut, votis eorundem Cardinalium, et Prælatorum auditis, de rebus gravioribus ex omnibus Provinciis, et Terrarum Orbis partibus ad Sedem Apostolicam a primis Ecclesiæ temporibus referri solitis, prout in Domino videbitur expedire, statuere, et Episcoporum, aliorumque Præsulum postulatis, et desideriis obsequi, quantum ex alto conceditur, valeamus.

Nomina
Prælatorum
primo loco
deputato-
rum.

§. 3. Et quoniam in optatis Nobis est, ut ad hujusmodi munus obeundum Viri eligantur idonei; ideo Nos Venerabilem fratrem Josephum de Saporitis Archiepiscopum Anazarbensem, et dilectos filios Magistros in utraque nostra Signatura Referendarios Antonium Mariam Erbam, Bartholomæum Olivatium, Josephum Mariam Castellum, Nicolaum Antonellum, in prædictæ Particularis Congregationis a Nobis, ut præfertur, erectæ, et institutæ Prælatos eorundem tenore præsentium deputamus, nominamus, et constituimus; eosdem autem Prælatos a Nobis, ut supra, deputatos, et a Romano

Pontifice pro tempore deputandos, præfatæ Congregationi S. R. E. Cardinalium ejusdem Tridentinæ Synodi Decretorum interpretum Apostolica Auctoritate prædicta ita adjungimus, et subjective aggregamus, ut eidem Congregationi tanquam membra capiti in præmissis obsequantur, et in commisso sibi munere suffragentur; Proptereaque Nos eorundem Prælatorum Particulari Congregationi Præfectum dilectum filium Nostrum Antonium Xaverium Tituli S. Stephani in Monte Cœlio ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Gentilibus nuncupatum, modernum Congregationis prædictæ Cardinalium Decretorum Concilii interpretum pariter Præfectum, Secretarium vero Venerabilem Fratrem Carolum Albertum Guidobonum Cavalchini Archiepiscopum Philippensem etiam modernum ejusdem Congregationis Secretarium eorumque in Præfecturæ, et Secretarii respective munere Successores itidem perpetuo constituimus, et deputamus. Insuper quia opportunum, et congruum arbitramur, ut is, qui eidem Congregationi S. R. E. Cardinalium Decretorum Concilii interpretum in latinis litteris Episcopis rescribendis operam præbet, de rerum tractationibus in particularibus prædictorum Prælatorum Conventibus, seu Congregationibus habendis plene sit instructus, ad hoc, ut per eum prædictæ Congregationis Cardinalis Præfectus eisdem Fratribus Episcopis, aliisque Præsulibus supradictis, eorumque potissimum postulatis diligentius, ac commodius possit satisfacere, volumus, et eadem Apostolica auctoritate statumus, ut dilectus quoque filius Magister Æneas Silvius Picolomineus, qui nunc est, et qui fuerit deinceps, eidem Congregationi latinarum Epistolarum hujusmodi a Secretis, in eorundem Prælatorum Conventibus, seu Congregationibus locum habere, et personaliter interesse, non tamen in eis votum ferre, possit, et valeat.

Cardinalis præfecti.

Secretarii

Et illius, qui Congregationis nomine ad Episcopos, aliosque præsules rescribet.

Clausule salutare.

§. 4. Non obstantibus quacumque contraria

PONT. consuetudine , quam ad præmissorum effectum ;
 A. I. quatenus opus sit , abrogamus , et abolemus , et
 abrogatam , et abolitam esse volumus , nec non
 quibusvis Constitutionibus , et Ordinationibus
 Apostolicis , cæterisque contrariis quibuscumque.
 Fides Ut autem hæc omnibus innotescere possint ,
 transump volumus , et mandamus , ut præsentium exempla
 tis haben- etiam impressa , et manu Cardinalis. Præfecti
 da. supradicti subscripta , ejusque Sigillo munita
 eandem ubique locorum fidem faciant , quam
 præsentis facerent , si in medium exhibitæ es-
 Sanctio. sent , vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum
 liceat hanc paginam nostræ voluntatis , Consti-
 tutionis , Ordinationis , Decreti , Statuti , Ere-
 ctionis infringere , vel ei ausu temerario con-
 traire ; si quis autem hoc attentare præsumpserit ,
 indignationem Omnipotentis Dei , et BB. Petri ,
 et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursu-
 rum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem
 Dat. die 23. Nov. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septin-
 1740. gesimo quadagesimo , Nono Kalendas De-
 cembri , Pontificatus Nostri Anno Primo.

P. Card. Prod. D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

I. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die xv. Decembris ejusdem anni.



INDULGENTIÆ ,

Seu Relaxationes centum dierum de injunctis, seu debitis Pœnitentiis, pro recitantibus flexis genibus singulis Feriis Sextis quinquies Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam, ad sonum Campanæ, hora Tertia post meridiem, in memoriam Passionis, et Agoniæ Domini Nostri Jesu Christi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Passionis et Agoniæ Redemptoris, et Domini Nostri Jesu Christi, unde nobis vita, salus, et resurrectio manavit, memoriam in omnium Christifidelium animis excitandam atque fovendam Cœlestibus Ecclesiæ Thesauris, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, omnibus et singulis Christifidelibus, qui singulis Feriis Sextis totius anni, hora tertia post meridiem, ad sonum Campanæ Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, et Parochialium (quarum Parochis, Rectoribus, aliisque quocumque nomine appellatis Superioribus, ut Campanam uniuscujusque Ecclesiæ hujusmodi pulsari faciant, injungimus, et in virtute sanctæ obedientiæ mandamus) flexis genibus quinquies Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam devote recitaverint, et oraverint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon salutarum hominum emendatione pias ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma

PONT
A. I.

Dat. die
23. Dec.
1740.

Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Decembris 1740. Pontificatus Nostri Anno Primo.

D. Cardinalis Passioneus.

CONCEDITUR

P. Guardiano Sancti Sepulchri Ordinis Minorum de Observantia, ut absentibus Episcopis Latini Ritus valeat conferre Sacramentum Confirmationis cum Oleo, et Chrismate a Catholico Antistite benedictis.

X.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Dubium
super fa-
cultate
conferen-
di Sacra-
mentum
Confir-
mationis,
delatum
ad Congre-
gationem
S. Officii.

CUM ad infrascriptam Cardinalium congrega-
tionem delatum fuerit dubium: *An Custos et
Guardianus Sancti Sepulchri Domini Nostri Jesu
Christi, ex speciali hujus Sanctæ Sedis delega-
tione, et vigore nonnullorum privilegiorum per
dilectos filios Superiores Ordinis Fratrum Mino-
rum S. Francisci de Observantia nuncupatorum
exhibitorum, necessarias facultates habeat con-
ferendi Sacramentum Confirmationis*: Nos pro
commissa Nobis cœlitus Pastoralis Officii cura,
omnes difficultates, ac in posterum dubitandi
hac in re occasionem tollere cupientes, ac di-
lectum filium Paulum a Laurino Fratrem ex-

ANNO
1741.

presse professum dicti Ordinis, ac Custodem, et Guardianum dicti Sancti Sepulchri, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodo libet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, auditis votis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum auctoritate Apostolica deputatorum, eidem Paulo Custodi, et Guardiano ejusdem Sancti Sepulchri, durante ejus Officio, et pro Locis Terræ Sanctæ hujusmodi, ubi non erunt Episcopi Ritus Latini in propria Diœcesi residentes, potestatem, et facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis hujusmodi Oleo, et Chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possint, per Catholicum Antistitem gratiam, et communionem Sedis Apostolicæ habentem benedictis, dicta auctoritate, tenore præsentium concedimus, et delegamus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, et in Universalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die 9. Januarii 1741. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Pontifex, cum illius Voto, facultatem controversam concedit cum conditionibus opportunis.

Non obstantibus quibuscumque.

Dat. die 9. Jan. 1741.



PONT.
A. I.

XI.

CONSECRATIO

Joannis Petri Meindarts intrusi in Archiepiscopatum Ultrajectensem damnatur, atque excommunicationis et suspensionis censura in ipsum edicitur.

Dilectis Filiis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Ostenditur per-
viciacia.
Joan. Pe-
tri Mein-
darts
nulliter
electi, et
censuris
irretiti.

AUGET Pastoralem nostram sollicitudinem filius iniquitatis Joannes Petrus Meindarts, qui nec Paternis monitis delinitus, nec anathemate percussus ullum sibi facit furendi modum. Cum enim undique admonitus, et publicis monumentis edoctus ignorare non posset, sibi detractam fuisse a fel. rec. Clemente XII. ludicram illam Ultrajectensis Archiepiscopatus larvam, quam inducere inaniter conabatur; Ac propterea vigore literarum in simili forma Brevis die VI. Octobris MDCCXXXIX. super nullitate Electionis severissimis Censuris illigatus fuisset; tamen non abstinuit falsum illum nomen usurpare; sed, ut abyssus abyssum invocat, patratum scelus novo scelere cumulavit.

Qui ta-
men Con-
secratio-
nem sus-
cepit.

§. I. Siquidem non sine horrore, et in amaritudine animæ nostræ intelleximus eò temeritatis pervenisse, ut Sacra omnia polluens, solemnibus cæremoniis initiari, consecrarique voluerit. Quid fieri debeat Filio tam degeneri, non audienti amantissimi Patris vocem, et ad Ecclesiasticæ districtiois plagas obdurescenti, jam diu consulimus Dominum, atque utinam auribus

nostris non resonet horribilis vox illa : *Curavimus Babylonem , et non est sanata , derelinquamus eam ;* quo diro fulmine nullum profecto majus.

§. 2. Quare ad Vos , Dilecti Filii , gaudium et corona nostra , omnem convertimus curam ; et quo magis in proximo objecti estis lupo huic insidioso , atque implacabili , eo Vos diligentius hortamur et commonemus , ut resistatis fortes in fide , quam ab Apostolica Sede omnium Ecclesiarum Matre et Magistra a primis usque temporibus accepistis. Nolite a semita justitiæ abduci subdolis , ac venenatis illius vocibus , quas infundere conatus est sua illa captiosa , et in simplicium subversionem , et schisma aperte tendente Epistola Pastoralis , data die 1. Decembris elapsi anni 1739. ad Gregem ex iis fortasse collectum , qui secum ambulant in tenebris , non alio sane animo conscripta , quam ut inconsutilem Christi Vestem scindat. Scimus , et in Domino gaudemus , Vos ab hac vera fide non aberrare ; Nostra tamen Paterna charitas , et commissi Nobis licet imparibus Apostolici Ministerii ratio postulant , ut solliciti vigilemus ad vestram custodiam , nec a Vobis dejiciamus oculos , quos vaferrimus ille seductor disjungere studeat a vero Christi Ovili , ut secum per vias non bonas errantes pereatis. Nam , utcumque blandiatur sibi , nemini suadebit se in Ecclesia manere , quam dilacerat pertinaci schismate.

§. 3. Ad quam profecto Ecclesiam , ut aliquando intelligat pertinere se nullo modo posse , nisi respiscat ; Nos , Prædecessorum Nostrorum , Sacrarumque Legum morem , atque exempla sequuti , tradita Nobis a Cælo potestate , primum hujusmodi nefariam Consecrationem illicitam , illegitimam , sacrilegam , ac contra Supremæ Sedis mandata , et Sacrorum Canonum sanctionem factam declaramus.

§. 4. Deinde eundem Joannem Petrum , et quotquot huic execrabili facinori operam , consilium , consensum præstiterunt . auctoritate

ANNO
1741.

Adhortatio ad Fideles in Fœderato Belgio commorantes.

Prædicta Consecratio illicita , et illegitima declaratur.

Jo. Petrus cum fautoribus excommunicatur ,

PONT. A. I. Omnipotentis Dei excommunicamus, anathematizamus, atque ab Ecclesiæ communione segregatos, ac prorsus Schismaticos habendos, et evitandos esse iterum constituimus.

et Schismaticus pronuntiatur.

Suspensio ab exercitio tam jurisdictionis, quam Ordinibus.

Idem statuitur de his qui ab illo ordinati fuerint.

Cavendum ab eodem monetur.


§. 5. Sciat autem idem Joannes Petrus non solum ab iis, quæ sunt Jurisdictionis, exercendis esse suspensum, prout vigore earumdem literarum Prædecessoris Nostri fuit suspensus, sed etiam ab iis, quæ sunt Ordinis. Mandamus illi propterea, districtèque interdiciamus, sub pœna Excommunicationis ipso facto, et sine alia declaratione incurrendæ, ut nullo pacto, aut Chrisma conficere, aut Clericos ordinare, aut Virgines consecrare, aut alia Episcopalis Ordinis exercere audeat; Decernentes insuper vacuos, inanes, nulliusque prorsus roboris, ac momenti omnes, et singulos alios actus, quos attentare præsumpserit. Ac proinde, qui ab ipso Ecclesiasticis Ordinibus initiati fuerint, noverint suspensionis vinculo se obstrictos, atque irregularitati propterea obnoxios, si susceptos Ordines exercuerint.

§. 6. Hanc ad sanandum prope desperatum hominis furorem, extremam medicinam adhibemus, acrem illam quidem, sed certe necessariam: cujus profecto vim si non intelligit, miser; multo vero miserior, si intelligit, et contemnit. Reliquum est, ut, quoniam vehementer solliciti sumus, ne propinquitas morbi saniores partes trahat Christianæ Reipublicæ, Vos, Dilecti in Christo Filii, iterum, atque iterum moneamus, ut ab eo quam diligentissime caveatis. Quod quidem facilius promptiusque perficietis, si illud sæpius cogitetis, quod certum omnino est, atque exploratum: Neminem vere in Christi Ecclesia esse posse, nisi ejus Capiti Visibili, atque Divi Petri Cathedræ communione consocietur. Atque Apostolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub
Annulo Piscatoris die xxiv. Januarii MDCCXLI.
Pontificatus Nostri Anno Primo.

ANNO
1741.

Jo : Vincentius Lucchesinius.



DECLARATUR ,

XII.

Quod omnes , qui provisi fuerint a S. R. E.
Cardinalibus Ordinariis Collatoribus, sive vi-
gore exceptionis Regulæ IX. Cancellariæ,
sive vigore Indulti Apostolici , de Beneficiis
Ecclesiasticis vacatis in mensibus Sanctæ Sedi
reservatis , et valorem vigintiquatuor Duca-
torum excedentibus ; semper teneantur ad
reportandum infra certum tempus novam
provisionem a Sede Apostolica.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio etc.

CUM , sicut accepimus , nonnulli Sanctæ Ro-
manæ Ecclesiæ Cardinales , qui Metropolitanas ,
Patriarchales , Episcopales , aut etiam Abbatiales
Ecclesias ex Concessione , et Dispensatione Apo-
stolicis obtinent , quamvis Indulta conferendi
Beneficia Ecclesiastica Sedi Apostolicæ affecta ,
et reservata , etiam ratione mensium Aposto-
licorum nuncupatorum , acceptaverint , in qui-
bus litteraliter injungitur , quod ab eisdem Car-
dinalibus pro tempore provisi teneantur , infra
certum in eisdem Indultis præfixum tempus ,
novam Beneficiorum hujusmodi provisionem a
Sede Apostolica præfata impetrare , et Jura Ca-
meræ Apostolicæ , aliisque propterea debita per-
solvere ; nihilominus , sub prætextu exceptua-
tionis eorundem Cardinalium in Regula nona

Obligatio
impetran-
di novam
provisio-
nem a Se-
de Apos-
tolica ori-
tur ex te-
nore In-
dultorum
Cardina-
libus con-
cessorum.

Prælex-

PONT. Cancellariæ appositæ, authumant, quod ubi
 A. I. vacatio contingit in octo mensibus Apostolicis,
 tus in con provisionem capere non teneantur, quod plu-
 trarium rium Doctorum sententiæ repugnare comperitur.
 allegari Nos, cui tanquam Romano Pontifici spectat li-
 soliti. tes, ac controversias declarationis Oraculo ter-
 minare, prout, negotiorum qualitate, et tem-
 porum conditione inspectis, conspiciamus in Do-
 mino salubriter expedire, Motu simili etc. et
 de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus,
 Pontifex declarat, dictam statuimus, atque decernimus, quod deinceps
 obligatio- pro tempore provisi a prædictæ S. R. E. Car-
 nem semper proce dinalibus ordinariis Collatoribus, sive Cardina-
 dere, et prædictæ regulæ, sive tanquam Indultarii, Be-
 implen- neficia vacantia in mensibus Apostolicis prædictis
 dam esse. contulerint, semper, et quodocumque novam
 provisionem eorundem Beneficiorum a prædicta
 Sede Apostolica impetrare, ac Annatam, et
 Taxas Datarix, Cancellariæ, et Camerae nos-
 trarum Apostolicarum, aliaque Jura, et emo-
 lumenta Officialibus debita persolvere omnino
 teneantur, dummodo tamen Beneficia sic va-
 cantia, etiam nullius deductis eorum oneribus,
 valorem annum vigintiquatuor ducatorum auri
 de Camera excedant. Decernentes etiam Motu
 pari etc. ut nemo deinceps ab iisdem Cardina-
 libus Ordinariis Collatoribus provisos de Bene-
 ficio in aliquo ex mensibus Apostolicis præfatis
 vacato, possit se quocumque prætextu eximere
 ab Expeditione literarum Apostolicarum in forma
 novæ Apostolicæ provisionis, juxta formam in
 Indultis Cardinalibus concedi solitis præscrip-
 tam, aliàs, elapso tempore ibidem præfixo, pos-
 sit idem beneficium a Sede Apostolica prædicta
 impetrari: Præsentes quoque, et desuper, si
 videbitur, expediendas litteras, nullo unquam
 tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut
 nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut alio
 quantumvis substantiali defectu notari, impu-
 salutare. gnari, invalidari, aut adversus eas quodcum-

Sub poena
 admit-
 tendi im-
 petratio-
 nem con-
 tra provi-
 sos.

Clausulæ
 salutares.

ANNO
1741.

que Juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari posse, sed illas semper validas, et efficaces fore, et esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus ad quos quomodolibet spectat, et spectabit in futurum, inviolabiliter observari. Sicque, et non alias per quoscumque Judices etc. etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata etc. judicari etc. debere, irritumque etc. attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Cancellariæ præfatæ regulæ de jure quæsito non tollendo, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis quibusvis Personis, etiam quavis auctoritate fungentibus, ac qualibet præeminentia, et dignitate fulgentibus, ac specialem, et specialissimam mentionem requirentibus, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis Clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, et Sedem Apostolicam præfatam, etiam Motu pari etc. ac alias quomodolibet, etiam Consistorialiter, ac iteratis vicibus concessis, et quantocumque tempore etiam pacifice observatis. Quibus omnibus etc. etiam si de illis etc. eorum tenores etc. illis alias etc. permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse Motu pari etc. harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Sublata
aliter judicandi
facultate.

Cum derogationibus necessariis, et opportunis.

Fiat Motu proprio P.

ET quod dictæ Regulæ, necnon Indultorum, et Privilegorum præfatorum quomodolibet, ut præfertur, concessorum tenores etiam veriores, ac Datæ habeantur pro expressis, seu in toto, Decretum

PONT.
A. I. vel in parte exprimi possint in literis, ac de
perpetuis declaratione, statuto, decreto, de-
rogatione, aliisque præmissis, ut in literis la-
tissime extendendis. Volumus autem, quod sola
præsentis Nostri Motus proprii signatura suffi-
ciat, et ubique fidem faciat supra in Judicio,
et extra illud, regula quacumque contraria non
obstante, seu si videbitur literæ desuper etiam
per viam de Curia quandocumque expediri pos-
sint.
Fiat P.

Dat. 25. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem
Januari VIII. Kalendas Februarii Anno Primo.
1741.

~~~~~

### CLERICIS

XIII. Interdicitur quælibet negotiatio, etiam sub  
alieno. Laici nomine, exceptis casibus, et  
circumstantiis in Constitutione expressis, sub  
pœnis alias contra Clericos negotiatores ema-  
natis: et extenditur pœna spoli ad eos etiam,  
qui ab illo exempti sunt per Indulta perso-  
nalia, aut generalia, ad effectum testandi,  
vel transmittendi.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordi. **A**POSTOLICÆ servitutis commissum Nobis divi-  
um a de- nitus officium assidue vigilare Nos admonet, ut  
bito diri- ex prava hominum cupiditate suborientia mala,  
gendi mo- quantum in Nobis est, provida sollicitudine coer-  
res Popu- centes, Dominici ovilis gregem, Superna opi-  
li et Cleri. tulante gratia, ad æternam patriam dirigamus.  
Sed præcipua cura constringit de iis, qui Ec-  
clesiastico Ordini adscripti, et ad sanctioris vitæ



genus electi aliis in via salutis actuum suorum claritate præluere debent. Vehementer enim timidi, ac solliciti sumus, ne cæteros Christifideles, quos pro gradus sui Sanctitate verbis, et exemplo ædificare debent, morum suorum pravitate, a cœlestium rerum amore ad terrena desideria avertant.

§. 1. Cum itaque, ut non sine gravi animi Nostri mœrore accepimus, vesana humanarum rerum cupiditas ita nonnullorum Clericorum invaserit animos, ut illicitam Ecclesiasticis negotiationem, ad evitandas Pœnas adversus illam exercentes a Sacris Canonibus, et Apostolicis Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus sancitas, sub alieni nominis velamine, Dei timore, Ecclesiastici nominis decore, et æterno suarum animarum periculo posthabitis, temere, nulliterque exercere non dubitent; et, quod palam temporalium pœnarum metu aggredi non audent, quæsitis deinde coloribus, et vanis inanium rationum prætextibus clam efficere non timeant; quasi vel Dei oculos, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, latere, vel Supremi Judicis, qui non fallitur, examen effugere possint. Nos attendentes, quod Clericus, qui tantopere mundanis divitiis parandis inhiat, cœlestia despiciere, et pro nihilo putare convincitur, et quod Clericus negotiator ex inope dives, et ex ignobili gloriosus, tanquam pestis, ut Beatus Hieronymus docet, fugiendus est; ad exitiosam hujusmodi labem ab Ecclesiastico Cœtu eliminandam, et ut Sancto Ecclesiæ Dei famulatu addicti, ab omni turpis lucri cupiditate abhorrentes, studeant bene agere, et divites fieri in bonis operibus, thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futurum; omnes et singulas Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum prædictorum Constitutiones, illarumque quamlibet contrá quoscumque Clericos illicitos negotiatores desuper quomodolibet respectivo, cum omnibus, et sin-

ANNO  
1741.

Clericorum negotiatio sub alieno Laici nomine improbat.

Dispositiones Constitutionum Apostoli-

PONT.  
A. I.  
carum  
contra il-  
los inno-  
vantur.

gulis pœnis, contra eosdem Clericos illicite negotiantes, editas, quas Constitutiones hujusmodi, ac earum quamlibet præsentibus de verbo ad verbum, nihilo penitus omisso, pro insertis haberi volumus, Motu proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine Nostris innovamus, confirmamus, et approbamus, eisque, et earum cuilibet novum Apostolicæ firmitatis, et

Et ad eos  
expresse  
extendun-  
tur.

inviolabilis observantiæ robur adjicimus, illasque sic innovatas, confirmatas, et approbatas, cum omnibus, et singulis pœnis in eis, et earum qualibet adversus Clericos illicitos negotiatores hujusmodi contentis, ad Clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per se ipsos, ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent, omnesque, et singulæ Constitutiones, earumque quælibet adversus eos desuper editæ fuissent, et in eis, et earum qualibet expressi, et denominati reperirentur, motu et potestatis plenitudine præfatis perpetuo extendimus, et am-

Eorum-  
que bona  
Spolio  
subjiun-  
tur.

pliamus; illorumque omnia, et singula bona sic ab eis alieno nomine illicite acquisita, sub inevitabili spoliæ pœna, ad formam Constitutionis fel. recor. Pii Papæ IV. similiter Prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Decens esse*; sub-  
jicimus, et subjecta esse volumus, et declaramus.

Negotia  
a Laicis  
inchoata,  
et ad Cle-  
ricos de-  
lata, sta-  
tim dimit-  
tantur.

§. 2. Insuper, ut in sortem Domini vocati, depositis quocumque mundanarum curarum onere, et humanarum cupiditatum impedimentis, Christum Dominum, qui propter Nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia Nos divites essemus, per calcatas mundi opes liberius, et expeditius sequantur, memores salutaris illius Beati Apostoli moniti, qui clamat, et dicit: *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit*, per easdem Nostras præsentis perpetuo valituras, motu, et potestatis plenitudine præfatis decernimus, ac pariter declaramus, quod si aliquod negotium

A N N O  
1741.

Ecclesiasticis illicitum personis, licet ab eis minime institutum, sed a laica persona inchoatum, et ad eosdem Clericos, sive hæreditario jure, aut quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, et aliis cohæredibus, vel sociis laicis existentibus delatum fuerit, vel per se ipsos, eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos cohæredes, aut socios prosequuti sint, illud statim dimittere teneantur. Si vero negotium hujusmodi sine ipsius Clerici temporali detrimento statim dimitti nequeat, tunc, si intra Italiam, Insulasque adjacentes existat Clericus, a Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decretorum Concilii Tridentini interpretum Congregatione, si vero extra Italiam, ab eadem Congregatione, vel ab Ordinario Loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi, proviso interim, quod negotium hujusmodi a laico administretur, impetrare teneatur; dictaque Congregatio, aut Ordinarius Loci, perpensis singulorum casuum circumstantiis, licentiam impertiatur, tempusque in eo ad idem negotium dimittendum præscribat; et si Clericus negotium præfatum, licet a Laico, ut præfertur, institutum, absque licentia hujusmodi gratis semper sibi impertienda, aut illud ultra tempus sibi permissum retinuerit, vel etiam intra tempus prædictum negotium per se ipsum administraverit, pro negotiatore illicito haberi, illumque omnibus, et singulis etiam spoliis pœnis præfatis subjectum esse, motu, et potestatis plenitudine dictis perpetuo volumus, et definimus.

§. 3. Ac demum, eo quod fel. rec. Prædecessor Noster Pius Papa IV. per suas literas, quarum initium est: *Romanus Pontifex*: declaravit, præfata Constitutione super Spoliis Clericorum ob illicitam negotiationem a se edita, Prælatos, Officiales, ac alios Sæculares, et ejusvis Ordinis Regulares Clericos, aliosque ejuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, et præ-

Nec nisi necessitate urgente continuari possint, de licentia tamen Congregationis Concilii, aut etiam Ordinarii extra Italiam.

Et ad tempus dumtaxat, ac per interpositam laici personam

Pœnæ in contraven-  
tores.

Exempti a Spolio ad effectum testandi, aut transmittendi, non intelligantur ex-



PONT. A. I. minentiæ in Urbe, et Curia, ejusque Districtu decedentes, testandi tamen, codicillandi, et aliàs de bonis suis quibuscumque quomodolibet disponendi, vel ad ipsorum proximiores, decedentibus illis ab intestato, transmittendi facultatem ex speciali Sedis Apostolicæ indulto, vel suorum Officiorum privilegio, vel alio quovis titulo obtinentes, nullatenus comprehendi, et quod Paulus Papa V. pariter Prædecessor Noster per suas Literas, quæ incipiunt: *In eminenti*: Clericos Cives, et Curiales, sive Incolas hujus Nostræ Almæ Urbis, tunc suæ, exemit a spolio, quoad bona in eadem Urbe, ejusque Districtu intra decem milliaria consistentia, etiam ex redditibus Ecclesiasticis per eos acquisita, unde dubitari contigit, an suffragetur quoque ad evitandum Spolium Cameræ Nostræ Apostolicæ competens pro bonis ex illicita negotiatione provenientibus: Nos Constitutiones Pii, et Pauli Prædecessorum Nostrorum præfatas, quoad bona ex illicita negotiatione hujusmodi a Civibus, et Curialibus, sive Incolis Clericis cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis, quibuscumque indultis, ac privilegiis munitis, comparata, et in Urbe, ejusque Districtu præfatis, et ubicumque existentia, minime ad præmissorum effectum suffragari, sed illa sic provenientia Cameræ Nostræ Apostolicæ vero jure spoliū deberi, perinde ac si Constitutiones Pii, et Pauli Prædecessorum hujusmodi ad præmissorum omnium, et singulorum effectum impediendum minime emanatæ fuissent, Motu simili pariter declaramus, et statuimus, dictasque Pii, et Pauli Prædecessorum Constitutiones, quoad præmissorum effectum sortiendum, plenarie abrogamus, et abolemus.

Clausula sublata, et Decretum irritum. §. 4. Decernentes sic in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices, et Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane quidquid secus super his a quovis quavis auctoritate

scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo-  
 circa Venerabili Fratri Nostro Annibali S. R. E.  
 Cardinali Episcopo Sabinen. Albani nuncupato  
 Camerario Nostro, et ejus in Camerariatus  
 officio successoribus, per Apostolica scripta man-  
 damus, quatenus spolia ipsa ex bonis ex illicita  
 negotiatione provenientia, uti vere spolia, prout  
 alia ipsius Camerae jura, exigi, et recuperari,  
 ac praesentes Nostras Literas inviolabiliter ob-  
 servari faciat, nec permittat, Cameram ipsam,  
 vel pro ea agentes desuper modo aliquo moles-  
 tari, perturbari, aut inquietari, Contradictores  
 quoslibet, et Rebelles per censuras, et poenas  
 Ecclesiasticas, et appellatione postposita com-  
 pescendo, nec non legitimis super his habendis  
 servatis processibus, censuras, et poenas ipsas  
 etiam iteratis vicibus aggravando, invocato  
 etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii  
 saecularis. Non obstantibus praedicti Pii, et Pauli  
 Praedecessorum, aliisque Apostolicis, ac in Pro-  
 vincialibus, et Synodalibus Conciliis editis ge-  
 neralibus, vel specialibus Constitutionibus, et  
 Ordinationibus, ac quibusvis facultatibus tes-  
 tandi, aliisque privilegiis, indultis, et literis  
 Apostolicis quibusvis concessis, approbatis, et  
 innovatis, etiam si de illis, eorumque totis  
 tenoribus specialis, et expressa mentio facienda  
 esset, illorum tenores pro sufficienter expressis  
 habentes, illis in reliquis in suo robore perma-  
 nentibus, caeterisque contrariis quibuscumque;  
 etiam si aliquibus communiter, vel divisim ab  
 Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti,  
 suspendi, vel excommunicari non possint, per  
 Literas Apostolicas non facientes plenam, et  
 expressam de indulto hujusmodi mentionem. Et  
 quia difficile foret praesentes Nostras Literas ad  
 singula quaeque loca deferri, volumus, et decla-  
 ramus, quod earum transumptis etiam impressis,  
 manu Notarii publici subscriptis, et alicujus  
 Praelati sigillo munitis, eadem praesus fides in  
 judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus  
 adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

ANNO  
 1741.

Camerarii  
 pro tem-  
 pore exe-  
 cutores  
 deputan-  
 tur.

Contra-  
 rii dero-  
 gatur.

Fidem  
 transump-  
 tis haberi  
 jubetur.

PONT. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, statuti, ordinationis, concessionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, quinto Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Dat. die  
25. Febr.  
1741.

*D. Cardinalis Passioneus.*

*X. Sub - Datarius.*

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die viij. Martii ejusdem anni.*





ANNO  
1741.

## LITERÆ PROCESSUS

XIV.

Publicatæ die Cœnæ Domini  
ANNO MDCCXLI.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**P**ASTORALIS Romani Pontificis vigilantia, et Exorditur  
solicitude, cum in omni Christianæ Reipublicæ ab obliga-  
pace, et tranquillitate procuranda, pro sui tione Ro-  
muneris officio, assidue versatur, tum potissimum mani Pon-  
in Catholicæ Fidei, sine qua impossibile est placificis con-  
cere Deo, unitate, atque integritate retinenda, servandi  
et conservanda, maxime elucet; nimirum, ut sartam  
fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, tectam Fi-  
neque circumferantur omni vento doctrinæ in dem Ca-  
nequitia hominum, ad circumventionem erro- tholicam.  
ris, sed omnes occurrant in unitatem Fidei,  
et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, ne-  
que se in hujus vitæ societate, et communionem  
lædant, aut inter se alter alteri offensionem  
præbeat, sed potius in vinculo charitatis con-  
juncti, tanquam unius corporis membra sub  
Christo capite, ejusque in terris Vicario Romano  
Pontifice, Beatissimi Petri Successore, a quo  
totius Ecclesiæ unitas dimanat, augeantur in  
ædificationem, atque ita divina gratia adjutrice,  
sic præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futura  
quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane  
causas Romani Pontifices Prædecessores Nostri,  
hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ  
commemoratione solemniter est, spiritualem Ec-  
clesiasticæ disciplinæ gladium, et salutaria jus-

PONT.  
A. I.

titiae arma, per ministerium Summi Apostolatus, ad Dei gloriam, et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam Fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, et justitiam, Deo auctore, tueri, vetustum, et solemnem hunc morem sequentes :

Excommunicat  
Hæreticos  
cujuscunque  
Sectæ,  
eorum  
Fautores,  
necnon legentes et  
imprimen-  
tes eorum  
libros, et  
demum  
Schismaticos.

Excommunicat,  
ac respective  
interdicto  
supponit  
quas  
cumque  
personas  
et Universitates a  
Rom. Pontifice ad  
futurum  
Concilium  
appellantes.

Excommunicat  
Piratas  
Mare  
Sedis  
Apostolicæ  
infestantes,  
eorumque  
fautores.

§. 1. Excommunicamus, et anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra, quoscumque Hussitas, Wicelistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, et a Christiana Fide Apostatas, ac omnes, et singulos alios Hæreticos cujuscunque Sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, et Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, necnon Schismaticos, et eos, qui se a Nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

§. 2. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et singulos cujuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint; Universitates vero, Collegia, et Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis Nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

§. 3. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes Piratas, Corsarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes Mare Nostrum, præcipue a Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, et defensores.

§ 4. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et singulos, qui Christianorum quorumcumque Navibus, tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quomodo naufragium passis, sive in ipsis Navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in litore inventa, cujuscumque generis bona, tam in Nostris Tyrrheni, et Adriatici, quam in cæteris cujuscumque Maris Regionibus, et littoribus, surripuerint; itaut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, et immemorabilis temporis possessionem, seu alium quencumque prætextum excusari possint.

§. 5. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, qui in Terris suis nova Pedagia, seu Gabellas, præterquam in casibus a jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permisis, imponunt vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

§. 6. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum; gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

§. 7. Item excommunicamus, ac anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, et alios Christiani nominis hostes, et inimicos, vel hæreticos per Nostras, sive hujus Sanctæ Sedis sententias expresse, et nominatim declaratos, deferunt, seu transmittunt, equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, et ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, et Catholicos impugnant, necnon

ANNO  
1741.

Naufra-  
gorum  
Christia-  
norum in  
quacum-  
que maris  
regione bo-  
na surri-  
pientes.

Imponen-  
tes nova  
Pedagia,  
et Gabel-  
las, vel  
ea augen-  
tes.

Falsifi-  
cantes li-  
teras A-  
postoli-  
cas, sup-  
plicatio-  
nes signa-  
tas, nec-  
non falso  
publican-  
tes literas  
Apostoli-  
cas.

Deferen-  
tes ad  
Christia-  
ni nomi-  
nishedes,  
et hæreti-  
cos arma,  
et alia usui  
bellico  
apta: nec  
non nun-  
ciantes ad



PONT. illos, qui per se, vel alios, de rebus statum  
 A. I. Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Chris-  
 statum tianorum perniciem, et damnum, ipsos Turcas,  
 Reipubli- et Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæ-  
 cæ Chris- reticos in damnum Catholicæ Religionis, cer-  
 tianæ per- tiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium,  
 tinentia vel favorem quomodolibet præstant, non ob-  
 in Chris- stantibus quibuscunque privilegiis, quibusvis  
 tianorum personis, Principibus, et Rebuspublicis per Nos,  
 damnum. et Sedem prædictam hactenus concessis, de hu-  
 jusmodi prohibitione expressam mentionem non  
 facientibus.

Impedi- §. 8. Item excommunicamus, et anathemati-  
 entes eos, zamus omnes impediētes, seu invadentes eos,  
 qui vic- qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curie  
 tualia, et necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad  
 alia neces- Romanam Curiam adducantur, vel afferantur,  
 saria ad prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc  
 Urbem facientes defendunt per se, vel alios, cujuscum-  
 deferunt. que fuerint ordinis, præminentie, conditionis,  
 et status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut  
 alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præful-  
 geant dignitate.

Offen- §. 9. Item excommunicamus, et anathemati-  
 dentes zamus illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes,  
 sua, vel et recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera  
 aliorum interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, de-  
 opera eos, tinent, necnon illos omnes, qui jurisdictionem  
 qui ad Se- Ordinariam, vel delegatam a Nobis, vel Nostris  
 dem Apos- judicibus non habentes, illam sibi temere ven-  
 tolicam dicantes, similia contra morantes in eadem Curia  
 veniunt, audent perpetrare.  
 et ab ea

recedunt: §. 10. Item excommunicamus, et anathema-  
 et sine Ju- tizamus omnes interficientes, mutilantes, vul-  
 risd. vex- nerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes  
 antes qui Romipetas, seu Peregrinos, ad Urbem, causa  
 Romæ devotionis, seu peregrinationis, accedentes, et  
 commo. in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, et in  
 rantur. cis dantes auxilium, consilium, vel favorem.

Offen- eos, qui ad Urbem devotionis causa peregrinantur, vel ibi de-  
 dentes gunt, ac recedunt.

§. 11. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes; necnon ea mandantes, vel rata habentes; seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

§. 12. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alios, personas Ecclesiasticas quascumque, vel sæculares, ad Romanam Curiam super eorum causis, et negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Advocatos, Procuratores et Agentes, seu etiam Auditores, vel Judices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seu quoquomodo percutiunt, et bonis spoliant: seu qui per se, vel per alios directe, vel indirecte, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque præminentiae, et dignitatis fuerint.

§. 13. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quam Sæculares cujuscumque dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem a gravamine, vel futura executione Literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam justitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, et aliorum decretorum, a Nobis, et a Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus, Palatii Nostrî, et Camera Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, et Delegatis Apostolicis emanatorum, et quæ pro tempore emanaverint, aut aliàs ad Curias sæculares, et laicalem potestatem recurrunt, et ab ea, instante etiam

ANNO  
1741  
Offen-  
dentes S.  
R. E. Car-  
dinales,  
aliosque  
Ecclesia-  
rum Præ-  
latos, nec-  
non Lega-  
tos, et  
Nuncios  
Sedis A-  
postolicæ.

Offen-  
dentes eos  
qui pro  
suis nego-  
tiis ad  
Rom. Cur-  
iam re-  
currunt,  
ac eorum  
Procura-  
tores, et  
Judices ex  
causa dd.  
negotio-  
rum.

Appel-  
lantes a  
gravami-  
ne, vel  
futura ex-  
ecutione  
Litera-  
rum A-  
post. ad  
Sæcula-  
rem po-  
testatem.

PONT. Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes  
 A. I. hujusmodi admitti, ac literas, citationes, inhi-  
 bitiones, sequestra, monitoria, et alia prædicta,  
 capi, et retineri faciunt; quive illa simpliciter,  
 vel sine eorum beneplacito, et consensu, vel  
 examine, executioni demandari, aut ne Tabel-  
 liones, et Notarii, super hujusmodi literarum,  
 et processuum executione, instrumenta, vel  
 acta conficere, aut confecta, parti, cujus inter-  
 est, tradere debeant, impediunt, vel prohibent:  
 ac etiam partes, seu eorum Agentes, Consan-  
 guineos, Affines, Familiares, Notarios, Exe-  
 quutores, et Subexequutores literarum; citatio-  
 num, monitoriorum, et aliorum prædictorum,  
 capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant,  
 detinent, ex Civitatibus, Locis, et Regnis eji-  
 ciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concu-  
 tiunt, et comminantur per se, vel alium, seu  
 alios, publice, vel occulte, quive aliàs quibus-  
 cumque personis in genere, vel in specie, ne  
 pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu  
 gratiis, vel literis impetrandis, ad Romanam  
 Curiam accedant, aut recursum habeant, seu  
 gratias ipsas, vel literas a dicta Sede impetrent,  
 seu impetratis utantur, directe, vel indirecte  
 prohibere, statuere, seu mandare, vel aliàs apud  
 se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel aliàs  
 quomodolibet retinere præsumunt.

Temere §. 14. Item excommunicamus, et anathemati-  
 avocantes zamus omnes, et quoscumque, qui per se, vel  
 a Delega- alios, auctoritate propria, ac de facto, qua-  
 tis Sedis rumcumque exemptionum, vel aliarum Gratia-  
 Apostol. rum, et Literarum Apostolicarum prætextu,  
 aliisque beneficiales, et decimarum, ac alias causas spi-  
 Judicibus rituales, et spiritualibus annexas ab Auditori-  
 Ecclesiasticis rituales, et spiritualibus annexas ab Auditori-  
 tibus cau- bus, et Commissariis nostris, aliisque Judicibus  
 sas Bene- Ecclesiasticis, avocant, illorumque cursum, et  
 ficiales et audientiam, ac personas, Capitula, Conventus,  
 spiritua- Collegia, causas ipsas prosequi volentes, im-  
 les. pediunt, ac se de illarum cognitione tanquam  
 Judices interponunt; quive partes actrices, quæ  
 illas committi fecerunt, et faciunt, ad revo-



ANNO  
1741.

candum, et revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, ad faciendum, vel consentiendum, eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, et pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel aliàs compellunt, vel executionem Literarum Apostolicarum, seu executiorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet, impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiã prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, et Sede Apostolica legitime prosequantur; etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parliamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consilarii ordinarii, vel extraordinarii, quorumcumque Principum sæcularium, etiam Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant Dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

Impedientes executionem Literarum Apostolicarum, aliarumque expeditionum supradictorum Judicum.

§. 15. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quovis quæsito colore, necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, et quovis quæsito colore, ac etiam cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint, et publicaverint, vel factis, et ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seu Nostris, et dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum juribus

Judices Sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia. Publicantes Statuta Ecclesiasticæ libertati præjudicialia, iisque utenti.

P O N T. quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel  
A. 1. expresse præjudicatur.

Impedi- §. 16. Nec non qui Archiepiscopos, Episco-  
entes Ec- pos, aliosque Superiores, et inferiores Præla-  
clesiarum tos, et omnes alios quoscumque Judices Ecclē-  
Prælatos, siasticos ordinarios quomodolibet hac de causa  
aliosque directe, vel indirecte carcerando, vel molestando  
Judices eorum Agentes, Procuratores, Familiares, nec  
Ecclesiasticos, ne non consanguineos, et affines, aut aliàs impe-  
sua juris- diunt, quo minus sua jurisdictione Ecclesiastica  
dictione contra quoscumque utantur, secundum quod  
utantur. Canones, et Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ,  
et Decreta Conciliorum generalium, et præ-  
sertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui  
post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis  
Delegatorum quorumcumque sententias, et  
Decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium  
eludenda eludentes, ad Cancellarias, et alias Curias sæ-  
Judicia culares recurrunt, et ab illis prohibitiones, et  
Fori Ec- mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, et dele-  
clesiasti- gatis prædictis decerni, et contra illos exequi  
ci; et qui procurant, eos quoque, qui hæc decernunt,  
in his de- et exequuntur, seu dant auxilium, consilium,  
creta e- dunt vel patrocinium, et favorem eisdem.  
dunt vel præstant

Recur- §. 17. Quive jurisdictiones, seu fructus, red-  
rentes ad ditus, et proventus ad Nos, et Sedem Aposto-  
Cūrias Sæ- licam, et quascumque Ecclesiasticas personas,  
culares ad ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum  
eludenda Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usur-  
Judicia pant, vel etiam quavis occasione, vel causa,  
Fori Ec- sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legi-  
clesiasti- timam facultatem habentium expressa licentia,  
ci; et qui sequuntur.  
in his de- spectantes ad Se-  
creta e- dem Aposto-  
dunt vel licam, et perso-  
næ Eccle-  
siasticas.

Usurpan- §. 18. Quive collectas, decimas, talleas, præ-  
tes, et se- stantias, et alia onera Clericis, Prælati, et  
questran- aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, et Ec-  
tes Juris- clesiarum, Monasteriorum, et aliorum Benefi-  
dictio- ciorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque  
nem, et fructibus, redditibus, et proventibus hujusmo-  
fructus di, absque simili Romani Pontificis speciali, et  
spectan- expressa licentia imponunt, et diversis etiam  
tes ad Se- collectas, exquisitis modis exigunt, aut sic imposita,

Impo- nentes collectas, exquisitis modis exigunt, aut sic imposita,

etiam a sponte dantibus, et concedentibus recipiunt : necnon qui per se, vel alios directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur ; cujuscumque sint præminentæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, et alii Potentatus quicumque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, et Terris quoquomodo Præsidentes, Consilarii, et Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti : innovantes decreta super his per Sacros Canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita, cum censuris, et pœnis in eis contentis.

§. 19. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et quoscumque Magistratus, et Judices, Notarios, Scribas, Executores, Sub-Executores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, et expressa hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia : quique hujusmodi licentiam ad personas, et casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consilarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directe, vel indirecte sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, et detinere præsumserint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardinia, et Corsicæ, Terras citra Pharum ; Patri-  
monium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spole-  
tanum, Comitatum Venaisinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trabariæ ; Roman-  
diolæ, Campaniæ, et Maritimas Provincias,

ANNO  
1741.

et alia o-  
nera per-  
sonis Ec-  
clesiasti-  
cis, eo-  
rumque  
bonis.

Judices  
Sæcula-  
res, qui se  
interpo-  
nunt in  
causis cri-  
minalibus  
contra  
Personas  
Ecclesiasti-  
cas.

Occupan-  
tes Almam  
Urbem,  
aliasque  
Civitates,  
et Provin-  
cias Eccle-  
siæ Roma-  
næ, illius-  
que juris-  
dictionem  
usurpan-  
tes.



PONT.  
A. I.

illarumque terras, et loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, Civitatesque Nostras, Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, et alias Civitates, terras, et loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecta; necnon supremam jurisdictionem in illis Nobis, et eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, et vexare variis modis præsumunt: necnon adhærentes, fautores, et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Volentes, præsentibus Nostros Processus, ac omnia, et quæcumque his literis contenta, quousque alii hujusmodi Processus a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Absolutionem a censuris, ut supra latis Rom. Pontifici reservat.

Cæterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, et satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit; etiam prætextu quarumvis facultatum, et indulgentiarum, quibuscumque Personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, et quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, et eorum Monasteriis, Conventibus, et Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, et Locis Piis, necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali, et alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, et dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, et innovatorum, aut concedendorum, et innovandorum.

Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, et anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto præsumperint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, et temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Declarantes, ac protestantes, quamenunque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius a præmissis cum vero proposito ulterius similia non committendi, destiterint, ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, et decreta hujusmodi publice revocaverint; et ex Archivis, seu Capitularibus Locis, aut Libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, et cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, et tolerantiam nostram, vel Successorum Nostrorum quantocumque tempore continuatam, in præmissis omnibus, et singulis, ac quibuscumque juribus Sedi Apostolicæ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ undecumque, et quodcumque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari posse, aut debere.

Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, et literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, et præminentiae fuerint, etiamsi, ut præfertur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, et mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis a prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis alia forma, et

ANNO  
1741.

Excommunicat  
absolvere  
præsumentes  
contra tenorem  
Præsentium.

Pontificis  
absolutio  
eos tantum  
comprehendit,  
qui a  
præmissis  
destitit.

Derogat  
contrariis

PONT. A. I. tenore, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdicti non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, et indultis hujusmodi, ac de Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, et dignitatibus eorum mentionem, nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros Processus, ac sententias, quominus includantur in eis; se juvare valeant, vel tueri, quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, et omnino revocamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Affixio præsentium in Urbe vim habet personalis præsentationis. Ut vero præsentibus nostris Processibus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas Processus ipsos continentes, valvis Basilicæ S. Joannis Lateranensis, et Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos Processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper, ut Processus ipsi, et præsentibus literæ, ac omnia, et singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque Civitatibus, et locis fuerint publicata, universis, et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et locorum Ordinariis, et Prælatibus ubilibet constitutis, hæc scripta committimus, et in virtute sanctæ obedientiæ directe præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, præsentibus literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si ex-

Mandat præsentibus annuatim publicari per quoslibet Prælatos in propriis Ecclesiis.



pedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major Populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, et ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, et declarent.

ANNO  
1741.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, alique locorum Ordinarii, et Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri sæculares, et quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium literarum penes se habeant, easque diligenter legere, et percipere studeant. Volentes earundem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, et sigillo Judicis ordinarii Romanæ Curix, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, et extra illud ubique locorum adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Singuli  
Prælati,  
et anima-  
rum cu-  
ram ha-  
bentes, ac  
simplices  
Confessa-  
rii has lit-  
teras pe-  
nes se re-  
tinere de-  
beant.

Fides ha-  
bendo.  
Transum-  
ptis.

Sanctio  
pœnalis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millésimo septingentesimo quadragesimo primo, III. Kalendas Aprilis. Pontificatus Nostri Anno I.

Dat. die  
30. Martii  
1741.

*P. Card. Prod. D. Card. Passioneus.*

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

I. B. Eugenius.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

D 5



incipit : *Et si universis* : necnon in altera , quæ incipit : *Religionis zelus* : suis respective Constitutionibus , Regularem , et Hospitalarium Ordinem Sancti Spiritus in Saxia , ob varia , et laudabilia Christianæ charitatis opera , quæ ab Ordine ipso erga debiles , saucios , atque ægrotos exercentur , plurimis gratiis , indultis , et privilegiis diversis eorumdem Prædecessorum temporibus cumulaverunt ; Inter quæ privilegia illud existit , per quod omnes eundem Ordinem expresse professi , una cum eorum Conventibus , Domibus , et Bonis , sub Sedis Apostolicæ protectione , eique immediate subjecti , ac ab omni moda superioritate , jurisdictione , visitatione , correctione , et potestate Ordinariorum perpetuo exempti declarantur , et jurisdictioni , superioritati , et auctoritati Præceptoris Generalis Ordinis prædicti , in hac nostra Alma Urbe apud Archihospitale Sancti Spiritus residentis , plenarie subjiciuntur.

§. 2 Cum autem , sicut accepimus , et diuturna experientia compertum est , non satis per ipsius Generalis Præceptoris curam , operam , et auctoritatem , debitæ integritati disciplinæ eorum , qui prædicto Hospitalario Ordini adscripti reperiuntur , et procul in remotis præsertim Regionibus degunt , consuli valeat ; Nos igitur , qui ad salubriorem dicti Ordinis , illumque profitentium statum præcipuas Apostolicæ nostræ sollicitudinis , et Paternæ providentiæ dirigimus partes , et ut eorum charitas per debitum cæterarum virtutum cultum uberius efflorescat in dies coram Domino , et bonum exhibeat sanctæ conversationis odorem , de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio , omnes , et singulos Hospitalarios Ordinis Sancti Spiritus prædicti intra Hispaniarum Regna , ac intra Poloniæ Regnum nunc existentes , et pro tempore exituros , etiamsi Priores , vel Præpositi , aut Canonici nuncupati dicti Ordinis , et sive in Conventibus , aut Hospitalibus , aut Prioratibus ,

ANNO  
1741.

Et præcipue exemptio a jurisdictione Ordinariorum cum subjectione Præceptoris Generalis S. Spiritus de Urbe.

Causæ præsentis Constitutionis.

Hospitalarii dicti Ordinis in Regnis Hispaniarum et Poloniæ



PONT.  
A. I.  
existent.  
eximuntur  
a jurisdictione  
Præceptoris  
Generalis.

et Præceptoribus, sive extra Conventus, Hospitalia, Prioratus, et Præceptorias nunc commorantur, vel pro tempore commoraturi fuerint, ab omnimoda jurisdictione, et obedientia Magistri, seu Præceptoris Generalis Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, non tamen quoad solutionem annui Canonis a Conventibus prædicti Ordinis dicto Archihospitali Sancti Spiritus, tanquam Capiti Ordinis Hospitalarii hujusmodi, persolvi consuetam, quam semper firmam et illæsam esse, et perinde ac si præsentem a nobis minime emanassent, persolvi volumus, motu proprio, ex certa scientia, matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ nostræ potestatis plenitudine tenore præsentium eximimus, et liberamus, eosque sic exemptos. et liberatos visitationi, correctioni, et omnimodæ

Salva præstatione  
annui Canonis  
Archihospitalis  
S. Spiritus de urbe  
facien.

Et subji-  
ciuntur  
omnimodæ  
jurisdictioni  
Ordinariorum.

jurisdictioni Ordinariorum Locorum, in quibus Ordinem Hospitalarium professi nunc existunt, et pro tempore extiterint, eadem Apostolica Auctoritate etiam perpetuo per easdem præsentem subjiçimus, eisque subjacere volumus, ac semper subjectos esse decernimus, statuimus, et mandamus. Necnon Ordinariis prædictis, et eorum cuilibet, ut ipsi, tanquam a Sede Apostolica delegati, rebelles, et eis subjacere renuentes, per Censuras Ecclesiasticas ad se subjiçendos compellere libere; et licite valeant, facultatem concedimus, et impertimur.

Delegata  
Ordinariis  
facultate  
eisdem  
compellendi.

Moniales  
item  
Ordinariorum  
regimini  
subjiçuntur.

§. 3. Insuper Moniales ejusdem Ordinis Sancti Spiritus in prædictis Hispaniarum Regnis, et Poloniæ Regno existentes, tam in spiritualibus, quam temporalibus, curæ, et regimini, et omnimodæ Ordinariorum prædictorum, in quorum Diocesi ipsarum Monasteria sita reperiuntur,

Et eximuntur  
a regimine  
Fratrum  
Hospitaliariorum.

jurisdictioni pariter perpetuo eadem Apostolica Auctoritate subjiçimus, et subjectas esse volumus; easque propterea a quacumque Fratrum Hospitaliariorum Ordinis prædicti subjectione, et regimine penitus, et omnino dicta auctoritate similiter perpetuo tenore earundem præ-

Cum inhibitione,

sentium eximimus, et liberamus: eisdemque

Fratribus, ne ipsi in iis, quæ Monasteriorum prædictorum gubernium, et regimen quomodolibet pertinent, in posterum, sub excommunicationis, ac privationis utriusque vocis, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis, se ulla-tenus ingerere audeant, Apostolica Auctoritate prædicta, earundem præsentium tenore etiam perpetuo inhibemus, penitusque prohibemus.

§. 4. Omnes autem, et singulos Ordinem Hospitalarium prædictum professos, in Hispaniarum Regnis, et in Polonia Regno nunc, et pro tempore existentes, et in eisdem Regnis pro tempore commorantes, in virtute sanctæ obedientiæ monemus, ut eosdem Ordinarios, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatos, pro debita Nobis, et Apostolicæ Sedi reverentia, congruo honore, et convenienti observantia, promptaque obedientia venerentur; ipsos quoque Ordinarios hortamur in Domino, ac per viscera Misericordiæ Dei nostri requirimus, ut Ordinem Hospitalarium huiusmodi profitentes paterno amore prosequentes, benevole tractent, ac benigne foveant, sequæ illis pia munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis tanquam in Agro Dominico cooperatores, et laboris participes, congrua benignitate recipiant. eorumque jura omni studio, et cura custodiant, atque tueantur, ut ipsi Ordinem Hospitalarium huiusmodi profitentes, quorum opera, veluti lucernæ ardentes in conspicuo loco positæ, omnibus Christifidelibus erga miseros, et afflictos vulneribus, morbis, variisque ægritudinibus corporis, et nonnunquam simul etiam animi, languentès, charitatis lumen præbere debent, ad Dei laudem, et Fidei Catholicæ exaltationem, et animarum salutem, in tam sublimi, excellentique virtute de die in diem proficientes, exinde a largissimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium consequi mereantur.

§. 5. Ac demum Constitutioni piæ memoriæ Benedicti Papæ XIII. similiter Prædecessoris nostri editæ sub datum Idibus Februarii Anno In-

ANNO  
1741.

neisti amplius in earum gubernio se immisceant.

Et præcepto obediendi Ordinariis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis.

Quibus prædicti Ordinii Professores eorum que jura enixe commendantur.

Constitutio Ben. XIII. su-

PONT.  
A. I.  
per transi-  
tu ab à-  
liis Ordi-  
nibus Re-  
gularibus  
ad Ordi-  
nes Hospi-  
tarios ,  
innova-  
tur , et ad  
Ordinem  
S. Spiritus  
expresse  
extendi-  
tur.

carnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo sexto , Pontificatus sui Anno secundo , et quæ incipit , *Sacra* : inhærentes , transitum prohibemus a quocumque Regulari , et Claustrali Ordine ad prædictum Hospitalarium Sancti Spiritus in Saxia nuncupatum Ordinem , nisi servata in omnibus , et per omnia , et quoad omnia , forma et tenore dictæ Constitutionis prædicti Benedicti Prædecessoris , quam potiori pro cautela etiam quoad prædictum Ordinem Hospitalarium Sancti Spiritus in Saxia nuncupatum extendimus per præsentem , et ampliamus , eamque omnino servandam esse , auctoritate , motuque nostris prædictis , earundem tenore præsentium declaramus , et statuimus .

Clausulæ  
salutares.

§. 6. Præsentem quoque nostras literas , nullo unquam tempore , etiam ex eo , quod Præceptorias , Prioratus , et alia Beneficia dicti Ordinis Hospitalarii in Hispaniarum , et Poloniae Regnis prædictis obtinentes , et in dictis Regnis existentes , vel quicumque alii in præmissis interesse quomodolibet habentes , eisdem præmissis expresse non consenserint , nec ad id vocati , aut requisiti , ac omnes causæ , propter quas eadem præmissa emanaverint , examinatæ , verificatæ , et approbatæ fuerint , seu etiam enormis , vel enormissimæ , et totalis læsionis , aut alio quovis prætextu , et ex quocumque capite , aut quavis causa , vel occasione quantumcunque notabili , et juridica , etiam necessario exprimenda , intentionis nostræ , vel alio quocumque defectu , notari , impugnari , in toto , vel parte rescindi , retractari , annullari , invalidari , in jus , vel controversiam vocari , ad terminos juris reduci , seu adversus illas quodcumque juris , facti , vel gratiæ remedium impetrari posse , minusque sub quibusvis similium . vel dissimilium gratiarum revocationibus , suspensionibus , limitationibus , modificationibus , derogationibus , et aliis contrariis dispositionibus a Nobis , seu quibusvis aliis Romanis Pontificibus Successoribus nostris , ac dicta Sede , etiam motu ,



scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac Consistorialiter pro tempore emanatis, nullatenus comprehendi, nec comprehensas censi, sed semper ab illis exceptas, et contra quas-cumque alias exceptiones quantumvis graves, omnino, et semper validas, et efficaces fore, et esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et perpetuo suffragari in omnibus, et per omnia, ac si vocatis omnibus, et singulis, quorum interest, de illorum consensu emanassent; neque Locorum Ordinarios prædictos, nunc, et pro tempore existentes, vel alios quoscumque, ad præmissa in toto, vel in parte verificanda, seu probanda, ullo unquam tempore teneri, nec ad id quavis necessitate cogi, aut compelli posse; sed solam earundem præsentium narrationem absque alia verificatione, vel probatione sufficere, eis in iudicio, et extra illud stari, nec aliquam probationem, seu exceptionem, cujusvis naturæ, et speciei illa sit, vel fuerit, in contrarium adduci, vel admitti. Sicque, et non aliàs per quoscumque Judices Ordinarios, et extraordinarios, quacumque facultate fungentes, etiam Causarum Palatii nostri Apostolici Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi, et interpretandi auctoritate, in quavis causa, et instantia iudicari, et definiendi debere, ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus. Non obstantibus, Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, necnon prædictis Innocentii, Nicolai, et Sixti Prædecessorum nostrorum quoad præmissa dumtaxat, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis Hospitalarii Sancti Spiritus in Saxia,

ANNO  
1741.

Sublata  
aliter ju-  
dicandi  
facultate.

Deroga-  
tiones ge-  
nerales et  
particula-  
res.

PONT.  
A. I.

illiusque Præceptoriarum Prioratum, et Conventuum, ac Monialium Monasteriorum in Hispaniarum, et Poloniæ Regnis prædictis existentium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia respective roboratis statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, erectionibus, institutionibus, et exemptionibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, illis, eorumque Præceptoribus, Prioribus, et Fratribus, ac Abbatissis Monasteriorum prædictorum, illorumque Monialibus, et respective personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis per prædictos, et quoscumque alios Romanos Pontifices similiter Prædecessores, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, ac ex certis tunc expressis, etiam Consistorialiter propositis, et diligenter examinatis causis, concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserta essent. præsentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse, ac latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

De præsentium exemplis, sive transcriptis.

§. 7. Cæterum, quia difficile foret præsentibus nostras Literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii publici, subscriptis, vel alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ Sigillo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ad-

hiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri Decreti, Constitutionis, derogationis, subjectionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo, quadragesimo primo, Nonis Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo.

ANNO  
1741.  
Sanctio.

Dat. die  
5. Apr.  
1741.

*D. Cardinalis Passioneus.*

*X. Sub-Datarius.*

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

A. S. Sixti.

Loco ✕ Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

~~~~~

ADMONITIO

XVI.

Ad Episcopos in Poloniæ Regno constitutos, ut cautius procedant in admittendis conjugiorum dissolutionibus.

*Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et
Episcopis Regni Poloniæ*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

MATRIMONII perpetuum indissolubilemque nexum, cujus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam Christus Dominus, et his verbis,

Matri-
monium
jurenatu-

PONT.
A. I.
rali, Di-
vino et
Canonico
indissolu-
bile.

Ejusdem
dissolvere
di facili-
tas impro-
batur.

quod Deus conjunxit, homo non separet, confirmare, et Evangelica gratia, unde magnum in Ecclesia Sacramentum est, augere dignatus fuit, tanta facilitate, perinde ac si neque lege naturæ, neque Divino Jure, neque Evangelicis præceptis, et Canonicis Sanctionibus initum esset Conubium, in aliquot Catholici Orbis partibus, atque in isto præsertim florentissimo Poloniæ Regno in dies dissolvi audientes; neque lacrymis, neque verbis explicare possumus allatam inde Nobis incredibilem sollicitudinem, conceptamque in Pontificio animo Nostro ingentem molestiam. Etsi autem plurimum dolentes, facile adducimur, ut credamus hujusmodi dissolvendorum Conjugiorum licentiam. propter quam, non sine gravi bonorum offensione, sive vir unus, sive mulier una pluribus vicissim adhuc viventibus sibi antea copulatis Conjugibus, tertium, aut quartum matrimonium contrahere cernitur, a nimia Curiarum vestrarum libertate, quemadmodum alibi evenire accepimus, ortum ducere; tamen facere non possumus, quin justissimas ad vos, Venerabiles Fratres, querelas nostras deferamus; atque insimul tantæ licentiæ refrænandæ, et intra præscriptos a Catholica Ecclesia fines coercendæ, salutares Leges modumque meditemur.

Episcopo-
rum zelus
adversus
hoc ma-
lum Divi-
ni judicii
intermi-
natione,
excitatur.

§. I. Ad Sacerdotalem igitur virtutem vestram, vestrumque pro Ecclesiastica disciplina zelum, magna cum Pontificii animi fiducia, pastorales curas conferimus; ut inde opportunum huic malo ab inclyta Polona Natione avertendo propulsandoque, et abstergendæ nomini vestro inustæ notæ, subsidium interea repetamus. Eapropter Fraternitates Vestras in Domino rogamus, et hortamur, ut memores rationum Cœlesti Catholicæ Ecclesiæ Sponso Jesu Christo Judici reddendarum, Apostolicis vocibus Nostris obtemperantes, ministerium vestrum ea, qua decet, vigilantia adimplere satagatis. Ac, dum pares muneri, pietati, et religioni vestræ de hisce rebus successus præstolamur, Frater-

nitatibus Vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

ANNO
1741.

§. 2. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die undecima mensis Aprilis millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus nostri Anno I.

Præsentium transumptis fidem haberi præcipitur.

Dat. die
11. Apr.
1741.

D. Card. Passioneus.

BEATIFICATIO

XVII.

Beati Alexandri Saulii, ex Clericis Regularibus Sancti Pauli Barnabitis nuncupatis, primum Alericæ, deinde Papiæ Episcopi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

BENIGNITATEM Dei nostri, et divitias bonitatis ejus in Servi Dei Alexandri Saulii, primum Alericæ, deinde Papiæ Antistitis virtutibus ac meritis, extollere, et prædicare, non religionis modo debitum esse ducimus officium, sed nihil etiam intelligimus in hac temporum conditione esse opportunius, quam, ut universis Christianis fidelibus, et animarum maxime Pastoribus, uberiora suppetant ad imitationem exempla, atque in ejusdem patrocinio, factisque admirandis, præsidia ad pacem, tranquillitatem, et salutem, tam inter Christianos omnes, quam inter eos potissimum populos procurandam, quos ab illo per viginti, et amplius annos, non tanquam

Glorificatio B. Viri ad laudem Dei et Fidelium utilitatem cessura dicitur, cum mentione perturbationum Regni Corsicæ

PONT.
A. I.

solius Aleriaë Episcopi, sed totius Corsicæ Apostolo, olim salutaribus monitis, ac legibus instructos, et moribus correctis, extinctis odiis, conciliatis animis, reformatisque Clericis, viam mandatorum Dei currere edoctos, ipsa rerum humanarum divinarumque perturbatio jamdudum inibi exorta, a tradita sanctissima disciplina alienos tenet. Eapropter inter præcipuas partes Apostolici muneris, quod altissimo Divinæ Sapientiæ consilio infirmitati Nostræ impositum est, illam ministerio Nostro rite sancteque obeundo magis congruentem reputamus, ut, ad cœlestem Nobis promerendam opem, studeamus, quantum Nobis ex alto conceditur, ad Omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiæ decus, bonumque Christiani populi exemplum promoveri cultum, et venerationem ejusdem Servi Dei, qui pueritiæ currículo summâ cum pietatis, et doctrinarum laudè confecto, severioris disciplinæ institutum in Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli, Barnabitarum nuncupata, amplexus, omnium religiosarum virtutum splendore longe lateque præfulsit, et ad Pastorales Ovium sibi commendatarum curas evocatus, ita se gessit, ut optimi Pastoris officio perfunctum, a Pastorum Principe Jesu Christo æterna mercede donatum fuisse non dubitemus.

Beati
vita stric-
tim attin-
gitur.

Item ordo
in causa
servatus.

§. I. Cum itaque, mature, diligenterque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Processibus de Apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus idem Servus Dei Alexander Saulius multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus ipsius Sanctitatem, a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse, quando-cumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari, cum consuetis Indultis.

§. 2. Hinc est, quod Nos, piis atque enixis quamplurimum Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, et Episcoporum, necnon dilectorum filiorum Magistratum, Procerum, et Populorum Italiæ præsertim, ac totius insuper antedictæ Congregationis, Clericorum Regularium S. Pauli, supplicationibus (quas olim etiam humiliter datas fel. rec. Prædecessoribus Nostris Innocentio PP. X., cl. mem. Ferdinandus Romanorum Rex in Imperatorem electus, Clementi PP. X., bo. me. Emmanuel Sabaudicæ Dux, et Innocentio PP. XI., Cosmus itidem bo. me. Etruriæ sibi subjectæ Magnus Dux, piarum suarum precum accessione roboraverant, et fel. pariter rec. Clementi PP. XII. itidem Prædecessori Nostro, Charissima in Christo filia Nostra Maria Amalia utriusque Siciliæ et Hierusalem Regina Illustris, ac Nobis ipsis nuper Dilecti filii Nobiles Viri Dux, et Respublica Januensis renovarunt) Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de supradictæ Congregationis consilio, et assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut idem Dei Servus Alexander Saulius in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, et Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur, Imagines quoque Radiis, seu Splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die xxiii. mensis Aprilis recitetur Officium, et Missa de communi Confessoris Pontificis, cum Oratione a Nobis approbata, juxta Rubricas Breviarii, et Missalis Romani. Porro recitationem Officii, et Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universa Congregatione eorundem Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, in Civitate Mediolanensi, ubi natus, et Regularem emisit professionem, in Diocesis, tam Aleriensi, quam Ticinensi, quibus Episcopus præfuit, et in Civitate Januensi, unde originem duxit, et ubi adhuc ejus Nobilis Gens, et Familia perstat, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus,

ANNO
1741.

Et supplicationes a Præsulibus et Principibus porrectæ.

Beati nomen, Corporis Venerationis, Imaginum ornatus, Officii, et Missarum recitatio conceduntur.

PONT. tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad
A. I. horas Canonicas tenentur, et quantum ad Missas
attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ec-
clesias, in quibus festum peragetur, confluen-
tibus.

Nec non §. 3. Præterea primo dumtaxat anno, a datis
celebratio hisce literis, et quoad Indias, a die, quo eæ-
solem- dem literæ illuc pervenerint, inchoando, in
nium Bea- Ecclesiis Congregationis, Civitatum, et Diœce-
tificatio- sum antedictarum solemnia Beatificationis ipsius
nis in Ur- Servi Dei, cum Officio, et Missa sub ritu du-
be, et ali- plici majori, die ab Ordinariis respective con-
bi. stituta, postquam in Basilica nostra S. Petri in
Vaticano de Urbe celebrata fuerint eadem so-
lemnia ipsa die xxiii. currentis Mensis Aprilis,
pariter celebrandi facimus potestatem.

Cum de- §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, et
rogationi- Ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non
bus oppor- cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.
tunis. Fi- Volumus autem, ut earumdem præsentium li-
des tran- terarum transumptis, seu exemplis etiam im-
sumptis- pressis, manu Secretarii dictæ Congregationis
haberi ju- Cardinalium subscriptis, et sigillo Præfecti ejus-
betur. dem Congregationis munitis, eadem prorsus fides
ab omnibus, et ubique tam in Judicio, quam
extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus ha-
beretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum

Dat. die Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo
23. April. Piscatoris die XXIII. Aprilis MDCCXLI. Ponti-
1741. ficatus Nostri Anno I.

D. Cardinalis Passioneus.

A P P R O B A N T U R

XVIII.

Decreta a Congregatione Cæremoniali particulari edita pro Archiepiscopis, sive Episcopis, et Præsidibus, Gubernatoribus, ac Vice-Legatis per Ditionem Ecclesiasticam constitutis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Quoniam Apostolus univērsis Christifidelibus consulebat, ut inter cætera Officia sibi pariter exhibenda, honore etiam sese invicem prævenirent, et honorem tamquam debitum, cui deferendus esset honor, redderent; id maxime ab Antistitibus, et Præsulibus vicissim intersese, in mutua tam civilium, quam sacrorum Officiorum exhibitione, præstandum esse intelligentes Romani Pontifices Prædecessores Nostri, per Cæremoniales Episcoporum, juxta uniuscujusque Ordinis, gradus, et dignitatis conditionem, Leges, et Statuta, quibus integerrime servatis, et unicuique ratio haberetur, et nemini inferretur præjudicium, sapientissime præscripserunt.

§. I. Quoniam autem quosdam abusus in Honoribus sibi invicem deferendis inter Venerabiles Fratres Archiepiscopos, et Episcopos extitit, et inter Dilectos Filios Provinciarum Status nostri Ecclesiastici Præsides, Gubernatores, Prælatos, et Apostolicos Vice-Legatos ex altera parte, quocumque pacto, ac tempore etiam immemorabili irrepsisse jamdudum, etiam dum in minoribus essemus, noveramus, ut eosdem penitus adimeremus, ne ullus unquam in posterum querelis, ac dissidiis inter utrosque forsitan oborientibus pateat aditus, nonnullis ex Vene-

Honores ab Antistitibus, et Præsulibus invicem deferendi a Romanis Pontificibus præscripti.

Abususea in re obortiti.

Quos Pontifex tollere intendit.

PONT. rabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, qui Congregationibus Sacrorum Rituum, et Cæremoniarum præpoſiti ſunt, negotium dedimus, ut Leges, et Inſtituta Cæremonialia pro corrigendis, et auferendis iisdem abuſibus opportuna, et ſalutaria conderent.

Decreta a Congregatione particulari ſuper eo edita, approbantur, et confir-
 mantur. §. 2. Hujusmodi vero Leges, et Inſtituta Cæremonialia ab iisdem Cardinalibus præſcripta, et a Nobis inſpecta cum probaſſemus, quo firmiter ſubſiſtant, et ſerventur exactius, tenore præſentium, Apoſtolica auctoritate approbamus, et confirmamus, atque ab omnibus, et ſingulis, ad quos ſpectat, et in futurum ſpectabit, perpetuo obſervanda eſſe ſtatuímus, præcipimus, et mandamus.

Clausulæ ſalutares. §. 3. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, et efficaces exiſtere, et fore, ſuoſque plenarios, et integros effectus ſortiri, et obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, et pro tempore quancumque ſpectabit in omnibus, et per omnia pleniffime ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quocumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, et definiſſi debere, ac irritum, et inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus quibuſcumque in contrarium præmiſſorum quomodolibet facientibus.

Decretum irritans. Derogatio contrariis. Exemplo-
 rum fides. §. 4. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, et ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſenſæ. Datum Romæ apud S.

Dat. die 15. Maji 1741. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die XV. Maji MDCCXLI. Pontificatus Noſtri Anno I.

D. Card. Paſſioneus.

Decreta ipſa dantur infra in Appendice.

PROVIDETUR

PROVIDETUR

XIX.

Abusibus adversus Jejunii Quadragesimalis
observantiam invecitis.

*Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Pri-
matibus, Metropolitanis, Archiepiscopis,
et Episcopis universis, gratiam, et com-
munionem Sedis Apostolicæ habentibus.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

NON ambigimus, Venerabiles Fratres, quin Jejunii
universis Catholicæ Religionis Cultoribus notum Quadrage-
sit, a tota per Christianum Orbem Ecclesia simalis
inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita per- origo, uti-
petuo adnumeratum retineri Quadragesimale litas, et
Jejunium; quod olim in Lege, et Prophetis pri- scopus.
mitus adumbratum, ipsius Domini Nostri Jesu
Christi exemplo veluti consecratum, ab Apo-
stolis traditum, à Sacris Canonibus ubique præ-
scriptum, et ab universali Ecclesia ab ipso sui
primordio retentum, et observatum est. Hoc
nimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis
quotidie peccantibus cõmmunis pœnitentiæ con-
stituto remedio, per consortium Crucis Christi,
nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos
præstitit, agimus; simulque ad recolenda sa-
cratiora Redemptionis nostræ mysteria, quæ per
Dominicæ Passionis, ac Resurrectionis memo-
riam, Quadragesimali potissimum tempore so-
lemnus celebrantur, purificatis Jejunio corpo-
ribus, et animis, dignius paramur. Hoc, veluti
nostræ militiæ tessera, ab inimicis Crucis Christi

PONT. secernimur, flagella Divinæ ultionis avertimus,
 A. I. et cœlesti præsidio in die adversus principes
 tenebrarum munimur. Hoc despectui habito,
 non contemnendum divinæ gloriæ detrimentum,
 non leve Catholicæ Religioni decus, nec dubium
 animabus Christifidelium periculum oboritur :
 nec aliunde populis calamitates rebusque pu-
 blicis, et privatis cladem exitiumque importa-
 tum esse constat.

Pravæ
 consuetu-
 dines in-
 ter Fideles
 inductæ.

§. 1. Ab hac vero insita inhærentique in om-
 nium Catholicorum hominum animis de sacra-
 tissima Quadragesima, aliisque diebus jejunio
 consecratis persuasione, et reverentia, quàm
 aliena, quàm discors, quàm absona sit hodierna
 Jejunantium consuetudo, quantum ab ipsa Je-
 juniorum institutione, et servata semper, ubi-
 que, et ab omnibus disciplina quàm longissime
 distet; Vos, Venerabiles Fratres, qui populorum
 curæ vestræ commissorum mores, et usus probe
 nostis. pro singulari sapientia vestra, præ cæ-
 teris clarius intelligitis. Nos sane, quibus in hac
 sublimi Apostolicæ procurationis specula con-
 stitutis undique gentium nuntii afferuntur,
 lacrymis satis deplorare non possumus, augus-
 tissimam Quadragesimalis Jejunii observantiam
 ob nimiam, nullis legitimis urgentibus causis,
 ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem,
 plane sublatam esse; ita ut Orthodoxæ quidem
 Religionis Cultores merito querantur; hæresum
 vero Sectatores illudant, et exultent. Perniciosæ
 huic corruptelæ plurimorum insuper licentiam
 adjunctam esse graviter dolemus; quæ usque
 adeo invaluit, ut nulla Apostolici Instituti;
 sacratissimique præcepti habita ratione, Jeju-
 niorum tempore, palam, et impune ab iisdem
 agitentur convivium, et epulæ interdictæ prom-
 cue inferantur.

Excitan-
 tur Epis-
 copiad eas
 evellen-
 das.

§. 2. Eapropter, quemadmodum quibus curis,
 sollicitudinibus, et angoribus urgeamur, cum
 Fraternitatibus Vestris communicamus; ita fa-
 cere non possumus, quin pro injuncto Nobis
 supremo sacrosancti Apostolatus officio, et ar-

A N N O
1741.

dentissimum Fraternalitatum Vestrarum zelum ad opportunum hisce malis adhibendum remedium excitemus, et ad congruentes hujusmodi abusibus penitus extirpandis leges præscribendas meditemur. Interea, Venerabiles Fratres, gaudium, et corona nostra, nobiscum considerantes, nihil Deo acceptius, nihil Pastoralis ministerio nostro dignius, nihil gregibus curæ nostræ commissis utilius, quam ut verbo, et exemplo præcuntes, Christifideles ad tam salutarem Christianæ pœnitentiæ, et pietatis exercitacionem alacrius suscipiendam, constantissime retinendam, et ea, qua instituta fuit, disciplina peragendam vehementius inflammemus; omnia opera atque industria studeamus, ut fideles populi in conspectu Dei, per austeriorem Jejuniorum observantiam, tales permaneant, quales in ipso Paschali festo dignum est inveniri.

§. 3. Debitum igitur paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis, et caritatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, et annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque Medici consilio; multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integræ, non nisi gravissima, et urgente necessitate, et in casibus per sacra Canonum statuta præscriptis, cum debita Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia, a Quadragesimali Jejunio dispensationem, toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe, et arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam.

§. 4. Gravissimam vero urgentemque necessitatem etsi non est cur Vobis explicemus: Nolumus tamen Vos ignorare, cum hujusmodi necessitate, et servandam esse potissimum Unicam Comestionem, sicut aliàs hic Romæ, ac Nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes, expresse præscripsimus; et licitas atque interdicitas Epulas promiscue minime apponendas esse.

Dispensatio nemini concedatur sine legitima causa, nec Universitatibus, sine urgente necessitate.

Unica comestio semper servetur.

Epulæ vetitæ cum licitis non apponantur.

PONT.

A. I.

Pontifex
one-
rat con-
scientiam
Episcopo-
rum.Dispen-
satos mo-
nerijubet,
ut alia pia
opera je-
junii loco
substi-
tuant.Præsen-
tium tran-
sumptis
fidem tri-
buit.Dat. die
30. Maji
1741.

§. 5. Porro quemadmodum de ejusmodi indulgentia tam caute impertienda, si secus fieret, Nos persuasum habemus, districtam supremo Divino Judici redditum iri rationem, ita conscientiam uniuscujusque Vestrum onerandam esse ducimus. Insimul Fraternitates Vestras rogamus, et in Domino exhortantes, obsecramus, ut populos, qui communem omnium Christifidelium pœnitentiam, ac disciplinam servare nequeant, commonere satagatis, ne per alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, peccata sua expiare, et Deo satisfacere negligant; quinimmo sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciat, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum casta jejunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia, et eleëmodynæ munera redimat. Interim solatium, et levamen non leve mœrori nostro a Pastoralis vigilantia, et caritate vestra præstolantes, ac certo Nobis pollicentes; Apostolicam benedictionem, cum uberi cœlestium charismatum copia conjunctam, in eosdem populos vestros redundaturam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transcriptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima mensis Maji anno millesimo septingentesimo quadragésimo primo, Pontificatus Nostri Anno I.

D. Card. Passioneus.



ANNO
1741.

INNOVANTUR

XX.

Pœnæ adversus Confessarios, qui pœnitentes ad turpia sollicitant; cum præcepto hujusmodi denunciandi, et reservatione absolutionis quoad Calumniatores. Admititur præterea Sacerdotibus facultas Sacramentum Pœnitentiæ administrandi complicibus in peccato contra castitatem, cum pœnis etc.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

SACRAMENTUM Pœnitentiæ, quam secundam, post naufragium deperditæ gratiæ, tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad universi Dominici Gregis curam superna dispositione vocati, omne studium, et Pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne quod post amissam Baptismi innocentiam datum est Divina benignitate per fugium, per Dæmonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; et quod in salutem, et curationem Animarum, a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorundam Sacerdotum improbitate, in earum perniciem, atque interitum vertatur.

§. 1. Dudum quidem a fel. rec. Gregorio Papa XV. Prædecessore Nostro per suas literas in forma Brevium sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xxx. Augusti MDCXXII. Pontificatus sui anno secundo, sapienter pro-

Exordium a fine institutum a Deo Pœnitentiæ Sacramenti.

Constitutio Gregor. XV. contra Confessarios sollicitantes ad turpia.

PONT. A. I. visum fuit contra quoscumque Sacerdotes audien-
dis Confessionibus deputatos, ad turpia, et in-
honestas sollicitantes; Et deinceps successivis
temporibus; ad earum literarum interpretationem,
ac declarationem, plura subinde a Congregatione
Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ
Ecclesiæ Cardinalium adversus hæreticam pravita-
tem generalium Inquisitorum sub die xi. mensis
Februarii Anno Domini MDCLXI. prodierunt
decreta, et a rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter
Prædecessore Nostro in Congregatione Generali
Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis die
xxiv. Septembris MDCLXV. coram eo habita,
inter alias ab Evangelica veritate, et Sanctorum
Patrum doctrina alienas, et dissonas propositiones,
sexta videlicet, et septima, huc revocandæ,
damnatæ, et prohibitæ fuerunt; Nos itaque
mature perpenderit quanti momenti sit ad æternam
animarum salutem ea ubique exacte observari,
et quanti ad infirmas oves curandas, et decorem
Sanctæ Ecclesiæ Dei retinendum, intersit, ne
aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefarie
abutentes, Pœnitentibus pro curatione vulnus,
pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro
medicina venenum porrigant, sed animo secum
recolentes, se a Christo Domino Præsides, et
Judices animarum constitutos, ea sanctitate,
quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit,
tam venerandum Sacramentum administrent:
Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura
deliberatione Nostra, præfatas literas hujus-
modi, ac omnia, et singula decreta prædicta
ad illarum interpretationem, et declarationem
emanata, Apostolica Auctoritate tenore præsen-
tium approbamus et confirmamus, illisque om-
nibus, et singulis inviolabilis Apostolicæ firmi-
tatis robur adjicimus; Atque etiam, quatenus
opus sit, denuo committimus, et mandamus
omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, et
Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Pro-
vinciarum, Civitatum, Dominiorum, et Loco-

Decla-
rationes
Congre-
gationis
Sancti Of-
ficii.

Propo-
sitiones in
hac mate-
ria dam-
natæ ab
Alexan-
dro VII.

Prædicta
omnia
confir-
mantur,
et iuno-
vantur.

Cum præ-
cepto In-
quisitori-
bus, et
Ordina-

rum universi Orbis Christiani, in suis respective Diocesisibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirent, et procedant contra omnes, et singulos Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum, et cujuscumque Dignitatis, et Præminentiae, aut quovis Privilegio, et Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta, et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint; Et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, et circumstantiis, severe animadvertant, per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædecessoris Nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: Dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, et Ecclesie Dei injuriosum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, jam aliàs in præfata Constitutione tributam, procedendi cum Testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant.

ANNO
1741.
riis exequendi
omnia, et
singula in
eisdem
contenta.

§. 2. Meminerint præterea omnes, et singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari, suos Pœnitentes, quos nonoverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere, juxta occurrentium casuum

Confes-
sarii in-
jungant
Pœniten-
tibus ab
aliis soli-

PONT. circumstantias, de obligatione denunciandi In-
 A. I. quisitoribus, sive Locorum Ordinariis prædictis,
 Personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi
 citatis, ut Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem
 sollicitan- valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter
 tesdenun- Confessarium, et Pœnitentem mutua fuerit, sive
 cient. sollicitationi Pœnitens consenserit, sive consen-
 sum minime præstiterit, vel longum tempus post
 ipsam sollicitationem jam effluerit, aut sollicitatio
 a Confessario, non pro se ipso, sed pro alia
 Denegando absol- persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter
 tionem, Confessarii, ne Pœnitentibus, quos noverint
 nisi pa- jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolu-
 ruerint, tionem impertiant, nisi prius denunciationem
 aut parere prædictam ad effectum perducentes, delinquen-
 promise- tem indicaverint competenti Judici, vel saltem
 rint. se, cum primum poterunt, delaturos spondeant,
 ac promittant.

Calum- §. 3. Et quoniam improbi quidam homines
 niatores reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia
 extra mor indigna causa commoti, vel aliorum impiis
 tis articu- suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut
 lum pri- minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo
 vantur Dei judicio posthabito, et Ecclesiæ auctoritate
 beneficio contempta, innoxios Sacerdotes apud Ecclesias-
 absolutio- ticos Judices falso sollicitationis insimulant: Ut
 nis, quæ igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile
 Summo facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur,
 Pontifici quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi
 reserva- flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocen-
 tur. tes Confessarios impie calumniando, vel sceleste
 procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque
 Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, et
 dignitate munito, præterquam a Nobis, Nostris-
 que Successoribus, nisi in fine vitæ, et excepto
 mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ,
 quam Nobis, et Successoribus prædictis reser-
 vamus, perpetuo careat.

Provi- §. 4. Demum magnopere cupientes a Sacerdo-
 dentia talis Judicii, et Sacri Tribunalis sanctitate om-
 Pontificis- nem turpitudinis occasionem, et Sacramentorum
 ulterius contemptum, et Ecclesiæ injuriam longe sub-
 extendi- tur.

movere, et tam exitiosa hujusmodi mala prorsus
 eliminare, et quantum in Domino possumus,
 animarum periculis occurrere, quas sacrilegi
 quidam, Dæmonis potius, quam Dei Ministri,
 loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac
 nostro reconciliandi, majori peccatorum mole
 onerantes, in profundum iniquitatis barathrum
 nefarie submergunt, nonnullorum Venerabilium
 Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
 Cardinalium, et aliquorum in Theologia Magis-
 trorum consilio desuper adhibito, accedentibus
 quoque iteratis plurium Episcoporum supplica-
 tionibus, hac Nostra in perpetuum valitura
 sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis
 per Synodales suas Constitutiones jam factum
 esse novimus, omnibus, et singulis Sacerdotibus,
 tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque
 Ordinis, ac Dignitatis, tametsi alioquin ad
 Confessiones excipiendas approbatis, et quovis
 Privilegio, et Indulto, etiam speciali expressione,
 et specialissima nota, et mentione digno sufful-
 tis, Auctoritate Apostolica, et Nostræ Potestatis
 plenitudine interdicens, et prohibemus, ne
 aliquis eorum, extra casum extremæ necessita-
 tis, nimirum in ipsius mortis articulo, et defi-
 ciente tunc quocumque alio Sacerdote, qui
 Confessarii munus obire possit, Confessionem
 Sacramentalem personæ complicitis in peccato
 turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi
 Præceptum commisso, excipere audeat, sublata
 propterea illi ipso jure quacumque auctoritate,
 et jurisdictione ad qualemcumque personam ab
 hujusmodi culpa absolvendam; adeo quidem,
 ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque
 irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacer-
 dote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide
 absolvendum necessaria privatus existit, quam
 ei per præsentem has nostras adimere intendimus;
 Et nihilominus, si quis Confessarius secus facere
 ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis
 pœnam, a qua absolventi potestatem Nobis
 solis, Nostrisque Successoribus dumtaxat reser-
 vamus, ipso facto incurrat.

E 5

A N N O
1741.

Adimit
 Sacerdoti-
 bus facultatem excipiendi
 Confessiones
 complicitis in
 peccato
 turpi, extra casum
 extremæ
 necessitatis.

Sub pœna
 nullitatis
 absolutio-
 nis.

Et ex-
 communicationis
 ipso facto
 incurrendæ, et
 Summo
 Pontifici
 reservatæ

PONT.
A. I.
Etiam
tempore
Jubilæi
etc.

Cum de-
rogationi-
bus neces-
sariis, et
opportu-
nis.

Disposi-
tio præ-
sentium
Confessa-
riis incul-
canda.

§. 5. Declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti, Confessionem dicti complicitis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, et in hoc casu, nullus Confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, et Pœnitentis genere, jurisdictione, ut præfertur, careat, et absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, et approbato. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Universalis, et plenarii, necnon quibusvis Ecclesiarum, et Monasteriorum, et Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis; Quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam præsentibus quam futuri pro tempore existentes, in approbatione Confessariorum, tam prædictam Constitutionem Gregorii Prædecessoris, quam præsentem hanc Nosram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, et accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ut Ministros Christi, et Dispensatores. Mysteriorum Dei; Memores præterea sint, se locum tenere, ac vices obire Summi, atque

æterni Sacerdotis, qui Sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi: Sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus, et pulsantibus eorum culpa Cælum claudatur; ne deperditæ Oves ad Ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur; ne prodigi Filii egentes, et saucii, ad cœlestem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

ANNO
1741.

§. 7. Ut autem præsentēs Literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, et Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, et publicari, sicque publicatas, et affixas, omnes, et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Earumdem publicationi in Urbe factæ vis personalis intimationis, transumptis vero fides in judicio, et extra, tribuitur.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ voluntatis, sanctionis, præcepti, mandati, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Domi-

Sanctio.

Dat. die 1.
Jun. 1741.

PONT. nicæ millesimo septingentesimo quadragesimo
A. I. primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno I.

X. Sub-Datarius.

Pro D. Card. Passioneo

Cajetanus Amatus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loco ✕ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

*Publicata die xvij. ejusdem Mensis,
et Anni.*

XXI.

MONIALIBUS

In Portugallia, et Algarbiorum Monasteriis rigorosam Clausuram professis, et extra illi degentibus, injungitur reditus ad Clastra, et egressus in posterum prohibetur.

Venerabilibus Fratribus, Antistibus Regnorum Portugallia, et Algarbiorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Exordium a cura servandorum Virginum Deosacrorum.

CUM Sacrarum Virginum, quæ se Christo intra claustra dicaverunt, et tam carne, quam mente se Deo voverunt, ut consumment opus suum magno præmio destinatum, quo sublimior gloria est, eo major et cura esse debeat; inter præcipuas Apostolicæ nostræ solitudinis partes, illam non ultimam reputamus, ut, ceteris inter

Apostolicam hanc Sanctam Sedem, et Portugaliæ, Algarbiorumque Regna jamdiu exortis dissidiis, benedicente Domino, compositis, salutarem quoque nostram, ad majorem Monialium in iisdem Regnis degentium progressum in via mandatorum Dei, et vocationis suæ semita faciendum, operam conferamus.

§. 1. Quoniam autem, sicut accepimus, quam plurimæ Moniales variarum Diocesium Regnorum hujusmodi, quæ Regularem in Monasteriis quorumcumque Ordinum rigorosæ, et perfectæ clausuræ emiserunt Professionem, variis, et in speciem quasitis coloribus, et simulationibus, ac præsertim prætensis curandarum infirmitatum causis, non solum e Monasteriis exeunt, nec ad breve tempus, nec ad Civitates, et Oppida, ubi cujuslibet Monialis Monasterium reperitur, divertunt, verum etiam per integrum unius, ac plurium annorum spatium, et in locis a proprio uniuscujusque Monasterio longissime dissitis, moram ducunt: Eapropter fit, ut quam plurima inde scandala, et abusus incredibiles, ac Regularis perfectionis detrimenta, non sine gravi bonorum hominum offensione, oriantur: Conspiciuntur enim nonnullæ earumdem Monialium per plateam incedere, ad publica Spectacula, et Theatra, Comædias, Tragedias, et Dramata, audiendi, spectandique causa, convolare; et ad alia loca nullo pacto religiosis Virginibus convenientia pergere; His accedit, quod non religiosæ consuetudinis, sed, licentiosæ vitæ exemplo, iis, quibuscum in eorundem Domibus commorantur, sint offensioni, et scandalo.

§. 2. Hinc est, quod Nos, non quod, humilitatis nostræ admodum conscii, aliquid ad censuram licentiæ vindicemus, sed quod, ad sollicitudinem magis cauti, plus de Diaboli infestatione timeamus, opportunum hisce malis remedium afferre, et, quantum cum Domino possumus, debitæ earundem Sacrarum Virginum custodiæ, decori, atque honestati providere cu-

Abusus inter Moniales Regnorum Portugaliæ, et Algarbiæ inveci, quoad exitum extra Claustra.

Præcipitur Ordinariis earum prompta ad Clausuram revocatio, sub pœnis

ANNO
1741.

PONT. pientes, motu proprio, et ex certa scientia, et
 A. I. matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ
 contra potestatis plenitudine vobis omnibus, et singu-
 violantes lis, Venerabiles Fratres, injungimus, et man-
 Clausu- damus, ut statim ac ad Fraternalitates Vestras
 ram, ipso præsentibus nostræ in forma Brevis literæ, aut
 facto in- earundem transumpta, sive exempla, etiam
 curren. typis impressa, et manu alicujus publici Notarii
 subscripta, et sigillo Personæ in Ecclesiastica
 Dignitate constitutæ munita pervenerint, illico
 notum faciatis, et nuntietis omnibus, et sin-
 gulis Monialibus Monasteriorum, sive vestrarum
 respectivè, sive aliarum Diocesium in uniuscu-
 jusque vestrum Diocesi, quacumque auctori-
 tate, facultate, licentia, Indultis, ac privile-
 giis, sive per hanc Sanctam Sedem, sive per
 Congregationem Venerabilium Fratrum Nostro-
 rum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ne-
 gotiis Episcoporum, et Regularium præpositam,
 sive per Vos ipsos, aut Prædecessores vestros
 Antistites, sive per ordinarios Nostros, et ejus-
 dem Sanctæ Sedis pro tempore Nuntios quomo-
 dolibet concessis, extra claustra suorum Monas-
 teriorum quacumque etiam infirmitatis causa
 commorantibus, in virtute sanctæ obedientiæ
 præcipiatis, ut intra quindecim, aut viginti
 dies, et non amplius, ab earundem præsentium
 nostrarum literarum publicatione, et affixione,
 ad proprium Monasterium, in quo regularem
 Professionem emisissent, redeant, ibique per-
 maneant, aliter ipso facto pœnas a Sacris Ca-
 nonibus contra violantes clausuram Monialium
 inflictas, præter alias vestro arbitrio irrogan-
 das, incurrere, et incurrisse sciant, quibus sane
 pœnis, aliisque vestro etiam arbitrio imponen-
 dis, obnoxios, et ipso facto subjectos esse de-
 cernimus, et declaramus omnes, et singulos
 consilium, auxilium, commodum, aliaque hu-
 jusmodi dantes, aut præstantes, ne eadè præ-
 sentes suum sortiantur effectum.

Adhor- §. 3. Cæterum, Venerabiles Fratres, rogamus
 tatio ad Vos, et in Domino hortamur, ut pro eximia

pietate vestra, religionis zelo, Ecclesiasticæ disciplinæ amore, et æterna Sacrarum Virginum salute Fraternitatibus Vestris potissimum credita, statim hisce nostris acceptis, omnia et singula in ipsis contenta debitæ executioni mandanda curetis, super quibus vestras conscientias oneramus, ac significamus districtam Supremo Divino Judici Jesu Christo Cœlesti Sacrarum Virginum Sponso reddendam esse rationem. Contendite igitur omni ope, consilio, prudentia, et auctoritate vestra, Sacerdotale Ministerium vestrum cumulate explere; Nos enim omnes opportunas, et necessarias ad ejusmodi effectum facultates, etiam auxilium Brachii Sæcularis, quatenus opus fuerit, invocandi, Apostolica auctoritate earundem præsentium tenore impertimur.

ANN O
1741.

eosdem
pro præ-
sentium
exequu-
tionē.

Cum fa-
cultati-
bus oppor-
tunis.

§. 5. Verum, ne imposterum Indulta exeundi e Monasteriis, et extra Claustra permanendi, ob quaecumque causam. tanta facilitate Monialibus in iisdem Portugalliæ, Algarbiorumque Regnis concedantur, tum Fraternitatibus Vestris, vestrisque successoribus, tum ordinariis ejusdem Apostolicæ Sedis pro tempore isthic Nuntiis, tum denique ipsi Congregationi Cardinalium Episcoporum, et Regularium, quamcumque facultatem tribuendi, expediendique Indulta hujusmodi, quacumque auctoritate, potestate, privilegiis, et Indultis, quibus omnibus quoad hanc partem earundem præsentium tenore derogamus, attributam, omnino inhibemus, et inhibitam esse volumus, et declaramus. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Junii anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno I.

Sublata
eisdem,
atque et-
iam Cong-
regationi
Episcopo-
rum et
Regula-
rium fa-
cultate in
posterum
indulgen-
di egres-
sus e Mo-
nasteriis.

Dat. die
1. Junii
1741.

D. Card. Passioneus.

PONT.
A. I.



XXII.

MERCIMONIA

Super eleëmosynis Missarum vetantur, sub pœna Censurarum, quarum absolutio Summo Pontifici reservatur.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Præmatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis, gratiam, et communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

A Missarum celebratione quælibet aviditatis species arcedenda.

Abusus in hac materia introducti.

QUANTA cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium non solum omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur; verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et importunæ atque illiberales eleëmosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex Catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret.

§. I. Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri mœrore undique accepimus, nonnullorum, sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum Virorum avaritia, quæ est idolorum servitus, ut eleëmosynas quidem seu stipendia propter Missarum celebrationem, juxta locorum consuetudines, vel Diœcesanarum Synodorum Sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscujusque Sacerdotis duntaxat, pro regionum opportunitatibus præscripta, colligant; Missas vero celebrari curent alibi, ubi eleëmo-

synæ, seu stipendia, vel consuetudine, vel Synodali lege, pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur.

ANNO
1741.

§. 2. Id quam absonum sit, atque alienum ab ipsa, sive expressa, sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam, religionis, et pietatis stimulis ductus, eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia Ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiæ suspicione, et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut honorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant.

Quibus
frustratur
offerenti-
um volun-
tas

§. 3. Execrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices Prædecessores Nostri, de consilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Universalis Inquisitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote, stipendio, seu eleemosyna minoris pretii pro celebratione Missæ a quocumque accepta, non posse alteri Sacerdoti Missam hujusmodi celebraturo stipendium, seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti, et consentienti, se majoris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset.

Iidem a-
lias a Sum-
mis Pon-
tificibus
damnati.

§. 4. Eapropter Vos, Venerabiles Fratres, in Apostolici Ministerii, et sollicitudinis Nostræ partem adscitos, rogamus, et maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris, enitamini, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extingatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice, mala omnia

Adhor-
tatio ad
Episcopos
pro extir-
panda ava-
ritiæ labe.

PONT. germinant ; quam quidam appetentes , erraverunt a Fide , et inseruerunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio , quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis , inficiat evellatque. Avaritia opibus Deum posthabere , ac servire Mammonæ docens , efficit , ut Avari hæreditatem non habeant in Regno Christi , et Dei. Quod si hæc in Laicis hominibus minime toleranda , atque adeo legibus coercenda , quid in Ecclesiasticis viris , qui terrenis rebus nuntium miserunt , qui in sortem Domini vocati , qui Deo mancipati sunt ? Quid , quod non per mundana lucra , sed per Altaris ministerium , tam sordide , et cum sanctissimarum legum contemptu , et cum Sacerdotalis characteris dedecore , in avaritiam præcipiti animo rapiuntur ? Contendite igitur , Venerabiles Fratres , quibus Christi ovium cura demandata est , non solum ut verbo , et exemplo præeuntes , Christi sitis bonus odor in omni loco , unde populi vestigia vestra sequantur ; verum etiam ut Ecclesiasticos primum , deinde Laicos viros ab infectis vitiorum pascuis avertentes , per viam mandatorum Dei ad Cœleste Ovile currere doceatis.

Injungitur publicatio Edictorum contra illicitos quæstus.

Cum pœna Excommunicationis a

§. 5. Quoniam autem ita comparatum est , ut præsentis pœnæ metu salutaribus monitis facilius obtemperetur ; per Edictum in vestris Diocesisibus proponendum affigendumque , universis notum facite , quemcumque , qui eleëmodynas , seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis . quemadmodum locorum consuetudines , vel Synodalia Statuta exigunt , colligens , Missas , retenta sibi parte earumdem eleëmodynarum , seu stipendiorum acceptorum , sive ibidem , sibi alibi , ubi pro Missis celebrandis minora stipendia , seu eleëmodynæ tribuuntur , celebrari fecerit , Laicum quidem , seu Sæcularem , præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas , Excommunicationis pœnam , Clericum vero , sive quemcumque Sacerdotem , pœnam Suspensionis ipso facto incurrere ; a quibus nul-

lus per alium, quam per Nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suæ, posthac bene consultum velit animæ suæ, nec tam salutares leges censurasque Ecclesiasticas parvipendat. Interea Fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem, in populos etiam curæ vestræ commissos redundaturam, peramanter impertimur.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, sive exemplis, etiam impresis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxx. mensis Junii, anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno I.

ANNO
1741.
Laicis, et
suspensionis a
Sacerdotibus ipso
facto incurren.,
et Summo Pontifici
reservatæ

Præsentium transumptis
fidem præstari sancitur.

Dat. die
30. Junii
1741.

D. Card. Passioneus.



PONT.

A. I.

XXIII.

DE EODEM ARGUMENTO

Breve encyclicum ad Episcopos Provinciæ
Pedemontanæ.

Venerabili Fratri, Archiepiscopo Taurinensi

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

PRO eximia tua pietate observantiaque, quam
Abusus superMissarum eleemosynas in Diœcesibus Pedemontii tunc temporis vigentes.
canonicæ disciplinæ præstare debes, Venerabilis Frater, quem pastoralis creditarum Tibi ovium cura jamdiu laudabiliter impensa commendat, plane non dubitamus, quin permolestum quoque Fraternitati Tuæ accidat, quod Nos per alias nostras in simili forma Brevis literas ad universos Catholici Orbis Antistites, hac ipsa die datas, ac typis impressas, Tibique cum hisce insimul reddendas, non sine effusis lacrymis communicamus. Etsi autem detestabilem in Missarum celebratione mercaturam, de qua tantopere querimur, alibi etiam fieri accepissemus, non ea tamen, nec tanta cum turpis lucri aviditate exerceri noveramus, quam a nonnullis Pedemontii Ecclesiasticis, et Laicis viris frequentari recentibus nuntiis certiores facti fuimus, ut salutare, ad tam sordidæ negotiationis, et criminis notam a Diœcesibus Pedemontii penitus delendam, remedium adhibere satageremus. Verum Nos, ne opinionem, quam omnes de Ecclesiasticæ disciplinæ decore, et observantia in Pedemontii Diœcesibus vigente habent, minuere videremur, et ut debitis Apostolicæ sollicitudinis officiis faceremus satis, id scribendi inivimus consilium.

§. 1. Itaque quemadmodum facile hinc despicis, Venerabilis Frater, non obscurum hac in re peculiaris nostræ erga unumquemque Pedemontii Antistitem caritatis testimonium, ita vehementer enitaris oportet, ut omnem tam pro negotii gravitate, quam pro nostræ providentiæ ratione operam colloques, ut de contagione mercaturæ hujusmodi penitus extincta Tecum gratulemur.

ANNO
1741.

Episcoporum zelus excitatur ad eos evellendos.

§. 2. Verum si malorum hominum pervicacia tanta fuerit, ut pœnis per easdem literas nostras irrogandis arroganter despectis, ad eam confringendam Brachii sæcularis auxilio Tibi opus sit, illud invocare ne omittas, minime dubitans, quin libentius quam optas, Tibi præsto sit.

Implorato etiam auxilio brachii sæcularis.

§. 3. Tanta namque est Carissimi in Christo Filii Nostri Caroli Emanuelis Sardinie Regis illustris in Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantia sæpissime rebus ipsis probata, ut majora in dies Regiæ, non solum erga Nos ipsos, sed etiam erga Fraternalitatem Tuam pietatis, et pro Ecclesiastica disciplina zeli, ac patrociniæ argumenta Nobis certo polliceamus. Interea Fraternalitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxx. Junii MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno I.

Comendatur Religio Sæculi Sardinie Regis.

Dat. die
30. Junii
1741.

D. Cardinalis Passioneus.

mmmmmm

PONT.
A. I.

XXIV.

CONFIRMATUR

Militia S. Januarii Episcopi, et Martyris a
Carolo Rege utriusque Siciliae erecta : ejus-
que Officialibus, et Militibus plura Indulta,
et Privilegia conceduntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proce-
ssum.

ROMANÆ Ecclesiæ benignitas spirituales gratias,
et favores liberaliter impertire solet Catholicis
Principibus quorum eximia devotio, fideique
sinceritas, et præclara Majorum virtutum merita
in ejus conspectu clarere noscuntur, et piis eo-
rum Votis annuens, quæ ad augendum Divinum
Cultum, fovendamque Christianorum pietatem
laudabiliter ab eis instituta sunt, Apostolicæ
confirmationis præsidio munire non recusat,
prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Militia
S. Januarii
a Rege u-
triusque
Siciliæ
erecta.

§. I. Nuper quidem exposuit Nobis Dilectus
Filius Noster Trojanus Tit. S. Cæciliæ S. R. E.
Cardinalis de Aquaviva nuncupatus, nomine
Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Siciliæ,
et Hierusalem, et Terræ citra Pharum Regis
Illustris, et Infantis Hispaniarum, quod ipse
Carolus postquam de præfato Regno ex gratia,
et liberalitate Sedis Apostolicæ a Sede prædicta
meruit investiri, atque ea, quæ ad ejusdem
Regni felix regimen, ac firmum præsidium con-
ducerent, provide disposuit, volens religionem
suam, ac pietatem erga Deum, per quem Re-
ges regnant, et legum Conditores justa decer-
nunt, et piam animi devotionem erga glorio-

sum Martyrem, et Episcopum Januarium Neapolitanæ Civitatis, et totius Regni Patronum, illustri actu omnibus testatam facere, necnon aliquod præcipuum habere, unde gratis, acceptisque personis, optime de se, ac Regno meritis, Regiæ voluntatis testimonium posset provenire, ad laudem, et gloriam Omnipotentis Dei, ad Catholicæ Religionis propagationem, et defensionem, ac Christianæ pietatis augmentum unam laudabilem Confraternitatem, seu Societatem Nobilium Militum, ad instar alterius celebris Societatis, seu Militiæ Velleris aurei nuncupatæ, pro sexaginta Fratribus, seu Militibus, vel etiam pro quocumque majori, vel minori eorundem numero, prout Primati ejusdem Societatis magis placuerit, una cum Cancellario, Thesaurario, Secretario, et Cœremoniarum Magistro, quorum Caput, et Primas Ipse, et qui in dicto Regno Siciliæ ei legitime succederet, esse deberet, sub titulo, seu invocatione, et patrocinio ejusdem S. Januarii Episcopi, et Martyris, quibusdam præscriptis Regulis, ac Capitulis, instituit: Ut vero præfatæ Societati ab Eo, ut præfertur, institutæ spiritualium gratiarum dona, honor, firmitas, et decus valeant accedere, Nobis pro parte dicti Regis Caroli humiliter supplicavit, ut Apostolicis gratiis, et favoribus eam prosequi, et de Nostra benignitate pro prædictæ Societatis, seu Militiæ majori stabilitate, ac spirituali directione, conservatione, decore, et ornamento opportune providere dignaremur.

§. 2. Nos igitur, qui eundem Carolum Regem speciali dilectionis affectu ex visceribus charitatis prosequimur, et ejus commendabile institutum promovere in Domino desideramus, hujusmodi supplicationibus inclinati prænominatam Societatem, seu Militiam sub invocatione, et protectione S. Januarii Episcopi, et Martyris, cum quibusdam laudabilibus Regulis, Ordinationibus, et Statutis erectam, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Car-

ANNO
1741.

Militum
numerus,
et Officia-
lium mu-
nera.

Confir-
matio
summi
Pontificis

PONT. dinalium consilio, auctoritate Apostolica tenore
A. I. præsentium approbamus, et confirmamus, et
perpetuæ, ac inviolabilis firmitatis robur adji-
cimus.

Concedi- §. 3. Præterea eundem Carolum Regem, et
tur Can- dictam Societatem, seu Militiam specialibus
cellario gratiis, et favoribus prosequi volentes, Pri-
facultas mati, Cancellario, Thesaurario, Secretario, et
absolven- Cœremoniarum Magistro Societatis, seu Militiæ
di vel Con- hujusmodi nunc, et pro tempore existentibus,
fessarium et præterea sexaginta Confratribus, vel etiam
deputandi majori eorum numero, dummodo tamen nume-
rum centum Fratrum, seu Militum, compre-
hensis etiam dictis Officialibus non excedant,
auctoritate prædicta concedimus, et imperti-
mur, ut Cancellarius ipsius Societatis pro tem-
pore existens in Episcopali, seu Archiepiscopali
dignitate, prout in Statutis ejusdem Societatis
continetur, constitutus, seu Presbyter ad au-
diendas confessiones idoneus, per ipsum tamen
Cancellarium ad hoc deputandus, vel per ipsos
Confratres, eosdemque Officiales extra fines
dicti Regni utriusque Sicilia commorantes, ex
approbatis tamen a Locorum Ordinariis eligen-
dus, ipsos, et eorum singulos ab omnibus, et
singulis excommunicationis, suspensionis, et in-
terdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, cen-
suris, et pœnis a jure quavis occasione, vel
causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus
eorum peccatis, criminibus, excessibus, et del-
ictis, quantumcumque gravibus, et enormibus,
etiam Apostolicæ Sedi qualitercumque reservatis,
(non tamen de reservatis Locorum Ordinariis)
de quibus ore confessi, et corde contriti fuerint:
de reservatis autem qualitercumque Sedi Apos-
tolicæ semel in vita, et in mortis articulo;
etiamsi mors secuta non fuerit; de aliis eidem
Sedi non reservatis, quoties opus fuerit, in
Foro conscientiae dumtaxat absolvere, ac eis,
et eorum cuilibet pro commissis debitam abso-
lutionem impendere, et pœnitentiam salutarem
injungere; necnon vota per eos pro tempore
emissa

Eligendis
vero Mili-
tibus ex-
tra Re-
gnum exi-
sten.

Pro ab-
solutione
a censu-
ris. et pec-
catis S.
Sedi re-
servatis
semel in
vita, et in
morte.

emissa (ultramarino , Visitationis Liminum BB. Apostolorum , Petri , et Pauli , ac S. Jacobi in Compostella , nec non castitatis , et Religionis Votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare ; necnon in mortis articulo , etiamsi mors non subsequatur , plenariam omnium peccatorum suorum remissionem , et indulgentiam , et Apostolicam Nostram benedictionem , per se ipsum , vel per alium quemcumque idoneum Sacerdotem per singulos Fratres eligendum , impendere possit , ac valeat.

§. 4. Insuper ut liceat eisdem Primati , Officialibus , Confratribus Societatis , seu Militiæ prædictæ in privatis domorum suæ habitationis in quacumque Civitate , ejusque Diœcesi existentibus Oratoriis ad hoc decenter muro extractis , et ornatis , seu extruendis , et ornandis , ab omnibus domesticis usibus liberis , per Ordinarium Loci prius visitandis , et approbandis , ac de ipsius Ordinarii licentia , unam Missam pro unoquoque die , dummodo in iisdem domibus celebrandi licentia , quæ adhuc duret , alteri concessa non fuerit , per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum , sæcularem , seu de Superiorum tuorum licentia Regularem , sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio , ac Paschatis , Resurrectionis , Pentecostes , et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi , aliisque solemnioribus anni Festis diebus exceptis , in sua , ac familiæ , et in hospitem Nobilium suorum præsentia , etiam per unam horam ante auroram , et itidem per horam post meridiem , si aliqua urgente necessitate detenti fuerint , celebrari facere ; necnon , si forsitan ad Loca , et Terras Ecclesiastico interdicto , tam Ordinaria , quam Apostolica auctoritate suppositas , eos declinare contigerit , dummodo causam non dederint hujusmodi interdicto , nec eis specialiter interdictum sit , et fecerint quantum in eis fuerit , ut in iis propter quæ interdictum ipsum dicta auctoritate Apostolica pro tempore appositum fuerit , pa-

ANNO
1741.
Et pro
commuta-
tione Vo-
torum.

Et con-
cessione
Indulg.
Plenariæ
in artic.
mortis.

Eisdem
concedi-
tur Ora-
torium
domesti-
cum.

Cum fa-
cultate }
celebrari
faciendi
una hora
ante Au-
roram , et
post meri-
diem.

Et tem-
pore inter
dicti , clau-
sis januis
etc.

PONT.
A. I.

ritio fiat, et ea executionis debitæ demandentur, ac per eos non steterit, quo minus pareatur, per quemcumque Sacerdotem ab Ordinario approbatum, in sua, et cujuslibet ipsorum Familiarium, Domesticorum, Parentum, Consanguineorum pro tempore existentium præsentia, Missas, et alia Divina Officia in dictorum Locorum, et Terrarum Ecclesiis, submissa voce, clausis januis, et non pulsatis Campanis, ac excommunicatis, et interdictis exclusis, celebrari facere, illaque audire, et eis interesse, necnon tempore Interdicti hujusmodi Sacramentum Eucharistiam, et cætera Sacramenta recipere, ipsisque dicto tempore decedentibus, eorum corpora Ecclesiasticæ Sepulturæ, sine tamen funerali pompa, tradi possint, salvis juribus Parochialium Ecclesiarum.

Et recipiendi sacramenta durante interdicto

Indulgentia Plenaria in diebus festis in honorem S. Januarii.

§. 5. Singulis autem anni diebus, et per eorum octavas, quibus ejusdem Beati Martyris Januarii memoria recolitur, et festum celebrari solet, nempe primo Sabbato mensis Maji, die decimasexta Decembris, omnibus, et singulis Confratribus, seu Militibus, et Officialibus Societatis, seu Militiæ prædictæ ubicumque existentibus, vere pœnitentibus, et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam Ecclesiam devote visitaverint, et pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem, de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Apostolorum ejus Petri, et Pauli auctoritate confisi, misericorditer in Domino concedimus: Quodque unam, vel duas Ecclesias, seu duo vel tria Altaria unius, vel diversarum, in partibus, ubi singulos eorum pro tempore residere contigerit, per eos, et eorum quemlibet eligendas, seu eligenda, quadragesimalibus, et aliis diebus Stationum Ecclesiarum Urbis, et extra muros ejus, devote visitando, omnes et singulas Indulgentias, et peccatorum

Indulgentiæ stationales.

remissiones etiam plenarias consequantur, quas consequerentur, si eisdem temporibus, et diebus Stationum, Basilicas, et alias Ecclesias Urbis, et extra ejus muros ad id deputatas personaliter visitarent.

§. 6. Et demum tam quadragesimalibus, quam aliis anni temporibus, et diebus, quibus esus carniū, ovorū, casei, butyri, et aliorum lacticiniorum est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, ac etiam, si necessitas, vel infirma corporis valetudo, ac alia quæcumque indigentia exegerit, carnibus, de utriusque Medici consilio, exceptis tamen diebus Majoris hebdomadæ, die Cinerum, seu feria quarta in capite jejunii, Vigiliis Natalis Christi Domini, Pentecostes, BB. Apostolorum Petri, et Pauli, Assumptionis B. Mariæ Virginis, et quatuor temporum, uti, et vesci, servata tamen lege jejunii per unicam comestionem, aliisque contentis in nostris Literis novissime emanatis, sub Datum Romæ die 30. Maji 1741, quibus nullatenus per has præsentis intendimus derogare, libere, et licite valeant, Apostolica Auctoritate prædicta eorundem tenore præsentium de speciali gratia concedimus, et indulgemus.

§. 7. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, necnon in Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, statutis, et consuetudinibus, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ac quibusvis suspensionibus, seu limitationibus similium remissionum, et facultatum per Nos, et Sedem prædictam quomodolibet factis, et faciendis, quibus quoad præmissa, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem (ne, quod absit, propter hujusmodi concessionem, et remissionem, Contratres, ac alii prædicti reddantur procliviores

Indultum
vescendi
lacticiniis
in Quadra
gesima, ac
etiam car
nibus,
cum opus
fuerit.

Deroga
tur con
trariis.

Rebelles,
Fidei, et
S. Sedi,
Privile
giis pri
vantur.

PONT. ad illicita in posterum committenda) quod si
 A. I. a sinceritate fidei, unitate Romanæ Ecclesiæ,
 ac obedientia, et devotione Nostra, vel Suc-
 cessorum Nostrorum canonice intrantium hu-
 jusmodi destiterint, aut ex confidentia ejusdem
 concessionis, vel remissionis aliqua commise-
 rint, concessio, et remissio prædicta, ac quoad
 illos præsentis literæ eis nullatenus suffragentur.

Exem- §. 9. Cæterum, quia difficile foret præsentis
 plorum nostras Literas ad singula loca, ubi opus esset,
 Fides. deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam
 impressis, manu tamen Notarii publici sub-
 scriptis, et Cancellarii ejus Societatis, seu Mi-
 litariæ Sigillo munitis, eadem prorsus fides adhi-
 beatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent
 exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino ho-

Sanctio. minum liceat hanc paginam nostri Decreti, con-
 firmationis, concessionis, indulti, constitutionis,
 et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario
 contraire; si quis autem hoc attentare præsump-
 serit, indignationem Omnipotentis Dei, ac
 Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se

Dat. die noverit incursum. Datum Romæ apud Sanc-
 30 Junii tam Mariam Majorem Anno Incarnationis Do-
 1741. minicæ millesimo septingentesimo, quadragesimo
 primo, pridie Kal. Julii, Pontificatus Nostri
 Anno I.

D. Card. Passioneus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

A. S. Sisti.

Loco ✕ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

JURISDICTIONO

XXV.

In Ægyptios aliosque Ritus Coptici ad Ecclesiam Catholicam conversos, cujuscumque sint Diœcesis, tribuitur Episcopo Hierosolymitano ejusdem Ritus.

Venerabili Fratri, Athanasio Episcopo Hierosolymitano Ritus Coptorum

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

QUEMADMODUM ingenti lætitia exultat cor nostrum, cum ad veram Catholicæ Fidei, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus universali procurationi per immensam Divinæ Bonitatis abundantiam plane immerentes præfecti fuimus, cognitionem, sinum, et obedientiam, ejuratis hæresum, ac schismatum erroribus, Animas pretioso Jesu Christi Domini Nostri sanguine redemptas convolare accipimus; ita non minori sollicitudine, ac dolore afficimur, cum intelligimus tot Christianifideles ab ejusdem Romanæ Ecclesiæ amplexibus longe distractos, et in sinceritate Fidei Orthodoxæ Deo famulari cupientes, veluti Oves sine Pastore errare, et veluti parvulos cœlestem panem petere, nec esse, qui ipsis frangat. Benedictus Deus, et Pater Domini Nostri Jesu Christi Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur Nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.

Pontificis gaudium in conversione hæreticorum, et schismaticorum.

Et cura de ipsorum regimine, et gubernatione.

PONT. §. 1. Cum itaque quamplurimi Ritus Coptici
 A. I. Fideles, tam sæculares, quam Ecclesiastici,
 Copti paucis abhinc annis, veritatis lumine illustrati,
 ad Catho- qui sub Antistitibus sive hæresis labe infectis,
 licam Fi- sive in schismatis pertinacia obstinatis, per
 dem con- vastissimas inferioris superiorisque Ægypti re-
 versi Pas- giones reperiuntur, non habeant Catholicum
 toribus Antistitem, a quo in iis, quæ ad Deum sunt,
 destituun- et ad æternam suarum Animarum salutem in
 tur. Orthodoxæ Fidei unione procurandam condu-
 cunt, saluberrime instituantur, opportune confir-
 mentur, et sapienter regantur.

Pontifex §. 2. Eapropter de Venerabilium Fratrum Nos-
 de Consi- trorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propa-
 lio etc. eo- gandæ Fidei præpositorum consilio, Te. Vene-
 rum cu- rabilis Frater, quem, sicut justus Noë ab aqua-
 ram inte- rum inundatione, et Lot a Sodomis erepti fue-
 rim de- runt, ita ab aliorum Nationis tuæ Antistitum
 mandat erroribus immunem, ac liberum esse in Domino
 Episcopo gratulamur, super omnibus, et singulis Chris-
 Hieroso- tificidelibus Ritus Coptici, tam in superiori in-
 lymitano feriorique Ægypto, quam alibi commorantibus
 ejusdem Præsulem, ad nostrum, et Sedis Apostolicæ be-
 Ritus, neplacitum, et quousque Pastorum Princeps Jesus
 quem lau- Christus alios animarum Pastores tui similes ad
 dibus pro- ovile suum ibidem regendum dare dignetur,
 sequitur. Apostolica auctoritate Nostra, quibuscumque in
 contrarium facientibus non obstantibus, con-
 stituimus.

Cum fa- §. 3. Jurisdictionem vero super iisdem Chris-
 cultati- tificidelibus a Te exerceri volumus, et mandamus
 bus spe- cum iis omnibus facultatibus, quas tam ab ip-
 cialiter sis Cardinalibus Congregationis Propagandæ
 ipsi signi- Fidei, quam a Cardinalibus in tota Republica
 ficandis. Christiana adversus hæreticam pravitatem Ge-
 neralibus Inquisitoribus præscriptas accipies.

Adhor- §. 4. Enitere igitur, Venerabilis Frater, Sa-
 tatio ad cerdotale ministerium tuum ea, qua decet,
 eundem solitudine, pietate, fortitudine, caritate, et
 Episco- orthodoxæ Fidei zelo adimplere, certa bonum
 pum. certamen, ut coronam legitime certantibus in
 Cœlo propositam consequi merearis; ad cujus

auspicium, et pignus, Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. ANNO 1741.
 Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Dat. die 4.
 Annulo Piscatoris die iv. Augusti MDCCXLI. Aug. 1741
 Pontificatus Nostri Anno I.

RESIDENTIA

XXVI.

In propriis Diœcesibus Episcopis Hiberniæ inculcatur.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis Hiberniæ

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

GRAVE, et permolestum Nobis accidit com- Pontifex
 pertum habere, nonnullos Hiberniæ Episcopos refert, et
 adeo muneris sui, et animarum curæ sibi improbat
 commissarum esse oblitos, ut alter, ex quo negligen-
 pridem Episcopale regimen suscepit, nunquam tiam Epi-
 hactenus in Diœcesi resederit, alter, transacto scoporum
 vix cum ovibus suis mense, Angliam, deinde non resi-
 Galliam, Belgium, Germaniamque pergrave- dentium.
 rit, nonnulli vero semel in anno æstivo tem-
 pore, paucis quidem diebus, quasi relaxandi
 animi causa, ad Ecclesiam sibi traditam acce-
 dere consueverint. Hoc autem quanto Nos do-
 lore confecerit, verbis explicare satis non pos-
 sumus. Quid enim aliud ex tam absurda Epi-
 scoporum absentia cogitare possumus, nisi certam
 Populorum calamitatem, æternamque animarum
 perniciem? Experientia quippe didicimus, et ocu-
 lis prope Nostris vidimus in ipsa Italia Ecclesia-
 sticam disciplinam, pietatem, et mores in dete-

PONT. rius ire, si quando Episcopum a Sede sua diu-
 A. I. tius abesse contigerit; quamquam in Italia non
 desint et Parochi vigilantes, et Ecclesiastici
 plurimi docti, ac probi tam Sæculares, quam
 Regulares, imo et Vicarius probitate vitæ,
 scientia, usuque Ecclesiasticarum rerum valde
 peritus, qui absentis Episcopi partes pro viribus
 expleat. Quid vero sperandum, aut quid mali
 non metuendum, ubi summa Ecclesiasticorum
 paucitas, ubi Catholici inter Heterodoxos ver-
 sari debent, et ab ipsis Magistratibus sæpe Re-
 ligionis causa vexari solent?

Eccle-
 siasticas
 leges su-
 per resi-
 dentia in-
 nuit.

§. 1. Non est autem, cur Nos in præsens
 novas leges, aut pœnas, ad coercendam ejus-
 modi licentiam, statuamus; cum dubitare mi-
 nime possimus, Vos non ignorare, quam gra-
 viter, stricteque per Sacros Canones, Apostoli-
 casque Constitutiones, tum maxime per Conci-
 lium Tridentinum Episcopis injungatur in Ec-
 clesiis suis residere, et Oves sibi creditas nullo
 unquam tempore extra summam necessitatem
 deserere. Qua de re etiam nomine Venerabilium
 Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
 Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpo-
 sitorum nonnullos ex Vobis admonitos fuisse
 certo sciinus. Cui sane residendi debito satis
 nequaquam faciunt, qui per alium a se substi-
 tutum, seu Vicarium, Ecclesiam regunt, nisi
 foret ad breve tempus, et gravi de causa id
 fieret.

Quæ sit
 residentia
 materia-
 lis, et for-
 malis.

§. 2. Neque vero opus esse censemus, Viros
 doctos, et sacrarum literarum apprime callen-
 tes, quales Vos estis, docere de differentia re-
 sidendi, quam materialem, et formalem vocant.
 Quis enim Vestrum, Venerabiles Fratres, ig-
 norat, tunc Episcopum materiali modo in Ec-
 clesia sua residere, cum neque Verbum Dei
 voce, et exemplo disseminat, neque a semita
 justitiæ deflectentes revocat, neque periclitan-
 tibus opem, et auxilium defert, neque demum
 adversus Lupos rapaces, qui vestimentis ovium
 sæpe intrant ovile, ut rapiant, et mactent, se-

dulo invigilat, fortiterque se opponit? In qua sane vigilantia, ac Pastoralis sollicitudine potissimum sita est vera, et formalis residendi ratio.

Alloquimur profecto Viros Theologos, humanarum. Divinarumque rerum scientissimos, qui probe intelligitis, curam, et salutem animarum opus esse Divinum, et onus Angelicis, ut aiunt, humeris formidandum, Oves Dominicas pascere: quarum de manibus vestris sanguinem Summus Pastor aliquando requiret, si quæ forte vitio, aut negligentia vestra perierit. Neque enim se quisquam excusatione tuebitur, quod illæ se in scio, aut absente, substituti alicujus, aut Vicarii oscitantia aberraverint. Unicuique enim vestrum singulatim ab Oraculo Divino districte denunciatur: Attendite Vobis, et universo gregi, in quo Vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Vobis igitur, non alteri, pascendi oves præceptum datum est: Vobismetipsis spiritualis animarum salus innititur, et vos illam suscepistis, de ipsis rationem reddituri. Proinde Vobis non immerito tribuetur inopia Verbi Dei, Sacramentorum neglectus, corruptela morum, et omnis eorum, qui ignorant, et errant, miseranda perniciēs.

§. 3. Nos itaque hæc omnia non sine lacrymis considerantes, hortamur Vos, et per amantissima Jesu Christi Viscera, cujus vices in terris, licet immerenter, gerimus, obsecramus, ut animarum vestrarum non minus, quam earum, quæ Fidei vestræ traditæ sunt, miseratione moti, malis hisce tempesteve occurratis, habentes præ oculis judicium illud durissimum, quod Princeps Pastorum faciet iis, qui Ecclesiæ præsumunt, et Populum suum salvum non faciunt. Ponite Vobis ante oculos clarissima, et quidem domestica tot Sanctorum Episcoporum exempla, qui charitate pleni, et de animarum salute, ultra quam dici possit, solliciti, Hiberniam Catholicæ fidei zelo illustrarunt, eamque pietate, religione florentissimam effecerunt.

ANNO
1741.

Muneris
Episcopalis
gravitas,
et periculum.

Adhortatio ad
Episcopos
ab exemplis
Prædecessorum.

PONT. §. 4. Memoria recolite Sanctum Patritium ,
 A. I. Hiberniæ Apostolum nuncupatum, quem San-
 De S. ctus Cœlestinus Prædecessor Noster ad Vos misit :
 Patritio. cujus Apostolicæ Legationis, et prædicationis
 uberrimus fructus extitit, ut Hibernia antea
 Idolorum cultrix, mox Sanctorum Insula dice-
 retur, et esset.

De S. §. 5. Recolite Sanctum Malachiam Archiepi-
 Malachia scopum Armachanum, et Legatum Apostolicum
 Archie- per universam Hiberniam ab Innocentio II.
 piscopo Prædecessore Nostro constitutum, cujus ingens
 Armacha- animarum studium a S. Bernardo quasi colori-
 no. bus expressum legimus : *Stetit Pastor intrepidus, omnimodis argumentosus, quomodo faceret oves de lupis, monere communiter, secreto arguere, flere per singulos, nunc asperere, nunc leniter convenire, prout cuique expedire videbat... Circumiens Civitatem, perquirebat anhelus, quem Christo acquireret. Sed et foris rura, et oppida nihilominus sæpius percurrebat; ibat et erogabat, vel ingratis cœlestis tritici mensuram, nec vehetur equo, sed pedes ibat, et in hoc se Virum Apostolicum probans: Hæc S. Bernardus.*

De S. §. 6. Sed et sinceriora percurrite S. Laurentii
 Lauren- Archiepiscopi Dublinensis acta, quem Regio
 tio Ar- sanguine ortum, Legatum Apostolicum in Hi-
 chiepisco- berniam Alexander III. Prædecessor Noster Con-
 po Dubli- cilio Lateranensi III. selegit, eique postea Ho-
 nen. norius III. pariter Prædecessor Noster solempni
 ritu Sanctorum honores decrevit; atque inde
 facile intelligetis, quæ quantaque pro grege suo
 Vir Apostolicus fecerit, atque pertulerit.

De aliis §. 7. Quod si recensere voluerimus Sanctissi-
 Sanctis mos Viros, Columbanum, Kilianum, Virgilium,
 Hiberniæ. Rumoldum, Gallum, aliosque plures, qui ex
 Hibernia in alias Provincias Catholicam fidem
 invexerunt, aut illam per martirium effuso san-
 guine collustrarunt, plus nimio epistolæ modum
 excederemus. Satis sit eos breviter indicasse,
 quo facilius in memoriam revocetis, quæ fuerit
 majorum vestrorum religio, ac pietas, quæ,
 quantaque dignitatis Episcopalis sollicitudo, quæ

quidem illos gloriosos, ac beatos effecit. Horum sane vestigiis ut Vos, quantum fieri potest, insistatis, iterum in Domino rogamus, et obtestamur.

ANNO
1741.

§. 8. Confidimus autem plurimum, ut Vos, non tam paternæ hujus admonitionis officio, quam conscientiæ vestræ stimulis excitati, in Diocæsis Vestris in posterum resideatis, et gravissimum pascendi oves debitum serio, accurateque persolvatis. Quod si vestrum quispiam, vel ratione provectoris ætatis, aut ægræ valetudinis impedimento, se Pastoralis muneris revera imparem sentiat, is Coadjutorem sibi dari a Nobis petat, Nobisque simul indicet, quem ipse idoneum ad illud munus fore judicaverit: Nam statim ac erimus de ejus probitate, doctrina, aliisque ad Episcopatum necessariis satis instructi, Coadjutorem haberi indulgebimus. Apostolicam interim Benedictionem Nostram paterno affectu Vobis impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 15. Augusti 1741. Pontificatus Nostri Anno I.

Invalidis
suadet,
ut Coad-
jutores pe-
tant.

Dat. die
15. Aug.
1741.



PONT.
A. I.

XXVII.

DECLARATUR,

Unicam comestionem diebus Jejunii ab omnibus servandam esse, etiam ab iis, quibus ob peculiare causas permittitur esus carniū, ovorum etc.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatebus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis, gratiam, et communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Litteræ Apostolicæ pro observantia jejunii jam emanatæ.

IN suprema Universalis Ecclesiæ procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, ut Orthodoxæ Fidei assertores, sic etiam Ecclesiasticæ disciplinæ custodes, ac vindices constituti, Quadragesimale præsertim Jejunium, quod inter præcipua orthodoxæ disciplinæ capita semper, et ubique ab ipso Ecclesiæ exordio numeratum esse nemo ex Catholicis inficiatur, ab hodierna Jejunantium corruptela vindicare, et in pristinam, quantum, benedicente Domino, fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma Brevis literas ad Fraternitates Vestras die xxx. proxime elapsi mensis Maji currentis anni datas, eximium Fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte, et optatum Apostolicæ nostræ sollicitudinis angoribus levamen, et salutare abolendæ sacratissimi Jejunii corruptelæ remedium deesset. Quoniam autem

paternæ Pontificiæ caritatis, quæ novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a Jejuniis aliquando, legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente, dispensandum esse ex Apostolica benignitate censuimus, ita inter cætera præscripsimus Unicam Comestionem servandam, et licitas, atque interdictas Epulas minime esse apponendas.

§. 1. Hinc factum esse accepimus, quod defuerunt, qui per humanas, et hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes, sibi aliisque persuadeant, unicam potissimum Comestionem servari, atque Epulas licitas, et interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam, et de utriusque Medici consilio dispensatur.

§. 2. Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam ut ex omnium animis penitus evelamus, Nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, et de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa, et periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ, aliisque anni Temporibus, et diebus, quibus carniæ, ovorum, et lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit ab omnibus omnino, nemine excepto, Unicam Comestionem servandam, et licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore præsentium declaramus, et edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis literas singulis utriusque sexus Christifidelibus, ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima Quadragesima, aliisque Jejuniis consecratis diebus, vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expresse præscribimus, atque præcipimus.

ANNO
1741.

Quæstio
exorta super earum
sensu.

Declara-
tur.

PONT. §. 3. Eapropter Fraternitates Vestras roga-
 A. II. mus, atque in Domino obsecramus, ut populos
 Adhor- vestræ curæ commissos ad tam opportunum sa-
 tatio ad nandis vulneribus, quibus per humanam infir-
 Episcopos mitatem quisque sauciatur, sanctissimi Jejunii
 remedium alacriter adhibendum cohortantes,
 sedulo, ac paterne moneatis, rem agi non qui-
 dem exiguam, sed longe gravissimam, de ob-
 servando, sustinendoque Jejuniis purificandis
 animis corporibusque salutari. In spem igitur
 illos erigite cœlestium præmiorum, quibus as-
 sequendis non sunt condignæ passiones hujus
 temporis; imo leve, ac momentaneum non tri-
 bulationis, sed modicæ abstinentiæ nostræ in-
 commodum, magnum gloriæ pondus operatur
 in Cœlis. Ab omnibus se abstinent, qui in a-
 gone contendunt, ut corruptibilem coronam ac-
 cipiant; pudeat tam imbelles, ac delicatos Chri-
 stianæ militiæ milites, refugientes a consortio
 Crucis Christi, qui coronam legitime certan-
 tibus propositam sperare præcipit incorruptam;
 ad cujus auspiciis, et pignus, Fraternitatibus
 Vestris Apostolicam Benedictionem, iisdem etiam
 Populis vestris Nostro nomine impertiendam,
 peramanter elargimur.

Præsen- §. 4. Volumus autem, ut præsentium tran-
 tium tran- sumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu
 sumptis alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo
 fides ha- personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ
 benda. munitis, eadem prorsus ubique fides adhibea-
 tur, quæ præsentibus adhiberetur, et adhiberi
 posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die §. 5. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem,
 22. Aug. sub Annulo Piscatoris, die vigesima secunda men-
 1741. sis Augusti anno millesimo septingentesimo qua-
 dragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno II.

D. Cardinalis Passioneus.

ANNO
1741.

COMMISSIONES

XXVIII.

Causarum ad partes non aliis dirigendas esse statuitur, quam Judicibus Synodalibus, quorum electio Ordinariis Locorum commendatur, et permittitur fieri extra Synodum, cum consilio Capituli.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Præmatibus, Archiepiscopis, et Episcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

QUAMVIS Paternæ vigilantæ, qua de justitia unicuique integre, sapienterque administranda solliciti esse debemus, jamdiu innotuerit, quod Causæ extra nostram Romanam Curiam, pro Litigantium commodo, ad partes (ut ajunt) committi solitæ, iis quandoque decidendæ, ac fine debito terminandæ delegentur, qui tum congrua Juris peritia, tum quoque probitatis, spectatæque Fidei præsidio destituuntur: Acerbiori nihilominus doloris sensu percussi fuimus, postquam hujusmodi abusum, rumore publico evulgatum, multorum querelis ad Apostolicam Sedem delatis, eorumque literis ad Nos crebro datis apertius sensimus confirmari. Rationes præterea, et peculiare Causæ dicti abusus cum Nobis plures in eisdem literis obtenderentur, eas potissimum referri perspeximus eximio Protonotariorum non Participantium numero, quibus, utpote in Dignitate Ecclesiastica constitutis, in more positum est dictas Causas delegari, licet tempore quo ad hujusmodi Dignita-

Abusus
commit-
tendicaus
sas Judi-
cibus im-
cibis im-
peditis,
aut minus
integris.

Tribuitur
nimio
Protono-
tariorum
non par-
ticipan-
tium nu-
mero.

PONT. A. II. tis, et Officii gradum provehantur, nulla meritorum, et qualitaturn fiat diligens inquisitio, nec sedulo examinetur, an polleant requisitis ad Jus dicendum, et Justitiæ habenas moderandas necessariis.

Pontificis casus. §. 1. Quam graves curas id animo nostro ingesserit, quamve intimo mœrore affecti simus, ubi aliorum res, et negotia, ob Judicium ignorantiam, et malitiam, periclitari, et in discrimen adduci rescivimus: intelliget plane cui perspectus erit ille, quo semper incensi sumus, Justitiæ administrandæ zelus. Sed cum silere diutius, pro commissa Nobis Populorum salute, Paterna Charitas non pateretur, et ad propulsandam hanc corruptelam, restituendamque judiciorum integritatem, congruis remediis manus admoveremus; novimus non recentes, sed obsoletas esse hujusmodi querelas, atque rem esse non de morbo nunc ingruente, sed jamdudum invento: Remedia ad illum avertendum non esse modo excogitanda, sed antiquitus præstituta: Originem vero non Curia nostræ Romanæ, sed iis adscribi oportere, qui de praxi ejusdem Curia injuste nimis conqueruntur.

Saucta Sedes a lias super hoc providit, ut in Cap. Statutum de Rescript. in 6. §. 2. Si enim longe præteriti temporis ratio habeatur, facile quisque conjiciet fel. recor. Bonifacio Papæ VIII. has querimonias fuisse suggestas, eundemque Pontificem ad implendas Apostolici regiminis partes, sua Decretali *Statutum de Rescriptis in 6.* consulto præscripsisse, ne a Sede Apostolica, ejusque Legatis Causæ imposterum aliis delegarentur, quam Personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, et quibus sive Personatus, sive Canonicatus in aliqua Cathedrali Ecclesia obtigisset: Judicia præterea non in obscuro, sed in insigni, et populofo Oppido, ac in Urbibus instrui oportere, in quibus Peritorum Judicium copia commode haberi posset. Sacro etiam Concilio Tridentino hanc ipsam imperitorum Judicium querelam propositam fuisse, fas est credere: Postquam etenim *sess. 25. de Reform. cap. 10.* præmissum fuit, a

Item Concilium Tridentinum, de-

Sede Apostolica Judicibus non undequaque idoneis Causas in partibus delegari, et id fieri tum ob malitiosam petentium suggestionem, tum quoque ob locorum longinquitatem, a quibus notitia Personarum, quibus Causæ mandentur, haberi non potest: *Statuit eadem Sancta Synodus, in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, aliquot personas, quæ qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacii VIII. et alioquin ad id aptas designari, quibus imposte- rum Causæ committerentur; Et si aliquem interim ex designatis mori contingeret, substitueret Ordinarius Loci cum consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram Provinciam, aut Diœcesanam Synodum: Ita ut haberet quævis Diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas, et qualificatas Personas, quibus hujus- modi Causæ committerentur; Alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmitterent, delegaciones quæcumque aliorum Judicum, aliis, quam his factæ, subreptitice censerentur.*

§. 3. Cum vero Concilia Provincialia quolibet Triennio, Diœcesana anno quolibet ex præscripto Tridentini cogenda, ob varia, quæ obversantur impedimenta, longius protrahantur, nec Episcopis subsit quandoque certa spes, quod iis propere sublatis, dicta Concilia haberi possint, atque in illis designari novi Judices Synodales, in locum illorum, qui defecerunt: Sæpe idcirco Congregatio Concilii Tridentini Interpres a Locorum Ordinariis requisita, consultissime respondit, subrogandorum Judicum electionem ab Episcopis esse faciendam cum Consilio Capituli.

§. 4. Providæ igitur, et vetustæ hujusmodi leges palam evincunt, antiqua esse vulnera in hac parte disciplinæ illata, illaque modo recrudescere, non quia congrua desit medela, sed quia negligitur ad præscriptum Canonicarum Sanctionum Judicum Synodaliæ designatio, quorum notitia si Romano pro tempore Ponti-

ANNO
1741.
mandata
Judicum
Synoda-
lium desi-
gnatione.

Horum
electio
permissa
fuit etiam
extra Sy-
nodum.

Vera a-
bus in-
ducticau-
sa.

PONT. fici exhibita fuisset, eisdem tantummodo Judi-
 A. II. cibus facta fuisset Causarum delegatio, semota
 quavis querelarum occasione.

Cui Pon- §. 5. Dum minoribus in hac Curia muneribus,
 tifax oc- atque illo præsertim Secretarii Congregationis
 currere Concilii fungeremur, nihil Nobis fuit antiquius
 intendit. quam Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælati-
 hosce sensus ingerere, eosque pro viribus ad
 has Ecclesiasticas leges custodiendas sedulo com-
 monere: Nunc vero imperscrutabilis Consilii
 altitudine ad Supremum Apostolatus fastigium
 licet immerentes evocati, Pastoralis officii exigit
 ratio, ut nostris hisce literis certa vobis impo-
 sterum methodus præscribatur, ad quamcumque
 dubiorum, et querelarum occasionem averten-
 dam. Volumus itaque, et mandamus, quod in

Jubet
 sibi re-
 nunciari
 nomina
 Judicum
 Synoda-
 lium.

Eosque eligi, coactis Conciliis, et Synodis.

Vel interim extra Synodum, cum consilio Capituli.

In numero sufficienti

in iis Diœcesibus, in quibus vigiles Ecclesiarum
 Antistites ad tramites Tridentinæ Synodi Judi-
 ces elegerunt in Conciliis sive Provincialibus,
 sive Diœcesanis, electorum Nomina quamprimum
 Nobis renuncient; et si forte unum, vel
 plures illorum mori contingat, antequam denuo
 eadem Concilia cogantur, decedentibus subro-
 gentur novi Judices, eligendi ab Episcopo cum
 Consilio Capituli qui Nomina subrogatorum in
 dicto munere, usque ad diem Synodi duraturo,
 Nobis itidem significant. Ubi vero Concilia Pro-
 vincialia, et Synodalia jamdiu coacta non sunt,
 nec ulla idcirco facta dignoscitur Judicum ele-
 ctio: pro injuncta humilitati nostræ omnium Ec-
 clesiarum sollicitudine, Archiepiscopos, et Epi-
 scopos in Domino jugiter hortamur, et obtes-
 tamur, ut sublatis quibusvis impedimentis, ea-
 dem Concilia, sicubi omissa sunt, quamprimum
 haberi curent; interim vero cum consensu
 suorum Capitulorum Judices eligant, et Nomina
 Electorum in Albo redacta Nobis remittant; et
 si mori aliquem contingat, alios cum Consilio
 Capituli sufficienter, suffectosque Nobis indilate
 denuncient. Quo autem ad Numerum eligendo-
 rum, etsi Tridentini Decreto cautum sit qua-
 tuor saltem in unaquaque Diœcesi eligi debere,

plures nihilominus eligi volumus, si Diœcesis amplitudo, aliæque peculiare circumstantiæ id probe exposcere videantur.

§. 6. Monitos tamen esse volumus Locorum Ordinarios, quod licet ad tramites præmissæ Decretalis Bonifacii VIII. cui etiam consona sunt disposita a Tridentino, facultas judicandi tribuenda sit Personis, Dignitate aliqua Ecclesiastica, Personatu, vel Canonicatu Cathedralis Ecclesiæ insignitis; hujusmodi qualitates ita esse accipiendas, ut non desit in persona ad hoc munus assumenda, altera potissimum requisita qualitas Doctrinæ, et idoneitatis, in qua summa Negotii est constituta. Hoc pacto designati, et electi Judices Nostro Supplicum Libellorum Secretario denuncientur ab Ordinariis, vel immediate per se ipsos, vel mediate per suos in Urbe Negotiorum Gestores: Nostræque erit vigilantia solerter cavere, ne imposterum ab Officialibus nostræ Curia ad id Deputatis, Causæ aliis, quam dictis Judicibus, delegentur. Quæ quidem dum Vobis, Venerabiles Fratres, per hæc Apostolica scripta nota esse volumus, in felicitatis auspiciis, et paternæ dilectionis pignus, Apostolicam Benedictionem vobis imperitur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 26. Augusti 1741. Pontificatus Nostri Anno II.

ANNO
1741.

pro Diœcesum amplitudine. Qualitates Judicum, eligendorum

Eorum nomina Secretario Supplicum Libellorum denuncianda.

Nec aliis deinceps Causarum commisiones dirigendæ.

Dat. die 26. Aug. 1741.

PONT.
A. II.



XXIX.

CESSIONES

Commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur, sub pœna excommunicationis, et nullitatis contractus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

UNIVERSALIS Ecclesiæ cura, quam inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque Bonitatis, altitudo humilitati nostræ committere dignata est, inter cæteras sollicitudines exigit etiam, ac postulat, ut diligenter invigilemus, ne Clerici Ecclesiasticis Beneficiis, quæ e liberali Ecclesiæ manu acceperunt, abutentes, eorum redditus, non sine aliorum fidelium scandalo, inconsulta prodigalitate disperdant, sed tanquam boni dispensatores ita administrent, ut et vitæ suæ necessaria provideant, et pauperum inopiæ, et Ecclesiarum necessitatibus succurrant.

§. 1. Relatum est ad aures nostras, quosdam Clericos Ecclesiasticis Beneficiis cum onere, vel sine onere residentiæ provisos, turpibus ut plurimum ex causis impulsos, annuos eorundem Beneficiorum redditus, quos, donec viverent, percipere possent, unico actu alienare sub nomine cedendi commodum, seu utilitatem percipiendi fructus eorundem Beneficiorum, quos alteri, quoad vixerint, vendunt, recepta pecunia ad eam summam, et quantitatem, quam ipsi, habita ratione eorum ætatis, et corporis valetudinis, durante vita, verisimiliter consequi potuissent. Cum autem isti improvidi Clerici

Exordium a præcavenda Clericorum criminosa depauperatione.

Alienatio reddituum Beneficiorum, obtentu cedendi commodum exactionis, improbat.

instar illius prodigi filiifamilias, de quo in Evangelio scriptum est : *cum substantiam suam a Patre recepisset, totam statim consumpsisse luxuriose vivendo, et deinde, facta fame valida, coactum esse vivere de siliquis immundarum animalium*; pia Ecclesiæ subsidia, et Ecclesiasticos proventus in suas explendas cupiditates improbo hujusmodi contractu profundant; multa hinc, et gravia mala, ut experientia ipsa compertum est, evenire solent. Nam primum non leve dedecus Ecclesiastico Ordini inuritur, et grave reliquis fidelibus scandalum generatur, dum vident, Ecclesiasticas pecunias, quæ sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Christi, in pravos usus insumi, vel improvisa profusione dissipari, quæ ab Ecclesiasticis, tamquam probis dispensatoribus, in solamen pauperum, et Ecclesiarum restaurationem impendi deberent. Præterea sæpe hujusmodi Clerici ad summam rediguntur egestatem, et ut se sustentare possint, vel indecore, non sine infamia Clericalis gradus, mendicant, vel indignis quæstibus, et negotiis operam præbent; Ecclesiam autem, et Ecclesiasticas res quodammodo aversantur, quasi fraudati mercede, vel stipendiis suis, quæ nullius culpa, sed solum vitio, et flagitiis suis amiserunt; Ideo Ecclesiastica munera, vel nunquam, vel negligenter obeunt, Divinam Psalmodyam, si ad eam in publicis Ecclesiis ratione suorum Beneficiorum teneantur, frequenter omittunt, vel oscitanter persolvunt, Ecclesiasticos cœtus non frequentant, animarum salutem non curant, Divina fastidiunt, mundana sectantur.

§. 2. Volentes igitur hanc improbam consuetudinem, et non ferendam pravitatem, qua non mediocriter Clericalis ordinis fama minuitur, et honor conculcatur, Ecclesiæ debito servitio, pauperes opportunis subsidiis, et sacræ ædes necessariis reparationibus, et ornamentis fraudantur, penitus abolere, Motu proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione nostris,

ANNO
1741.

Quæ mala
inde pro-
veniant.

Dictus
abusus
prohibe-
tur sub
penis
contra a-
lienantes
bona Ec-
clesiæ.

PONT. deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus Clericis quacumque dignitate, præeminentia, honore, et privilegio insignitis interdiciamus, et prohibemus, ne in posterum audeant sub nomine alienandi utilitatem, et commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, et colore vendere, ac distrahere suorum respective Beneficiorum redditus, et proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab Emptore, per unam, vel plures solutiones, pecuniarum quantitate, quam ipsi Beneficiati per ejusdem temporis, vel vitæ spatium probabiliter consequi potuissent: sub pœna excommunicationis, et nullitatis actus, seu contractus, et omnium inde consecutorum, aliisque pœnis inflictis, præscriptis, et statutis contra alienantes bona Ecclesiæ, quas rursus hic contra eodem Clericos sic contrahentes renovare, decernere, ac statuere intendimus, et volumus. Et

Contractus, et actus ejusmodi annullantur ad quoscumque effectus.

insuper ad uberiores cautelam, et quatenus opus sit, omnes hujusmodi contractus, quos in futurum fieri contigerit, motu, scientia, deliberatione, et potestate simili damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus, et annullamus, eosque nullos, cassos, ac irritos decernimus, et declaramus, illosque suis auctoribus tanquam invalidos, cassos, irritos, atque inanes, viribusque, et effectu ab initio vacuos, neque in judicio, neque extra, ad ullum effectum suffragari debere, neminemque ad eorum observantiam obligari, etiamsi pluries juramento firmati, et vallati sint, sed nullum inde jus cuicumque, aut actionem, vel titulum etiam coloratum possidendi, aut præscribendi per quodvis longissimum temporis spatium acquiri unquam posse pariter præcipimus, et jubemus.

Clausulæ salutares. §. 3. Decernentes easdem præsentis literas, et in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore impugnari, aut retractari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singu

lis, ad quos spectat, et pro tempore quando-
cumque spectabit, inviolabiliter observari: Sic-
que, et non aliter in præmissis omnibus, et
singulis per quoscumque Judices Ordinarios, et
Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici
Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Eccle-
siæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, et
Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncios, aliosve quos-
libet quacumque præeminentia, et potestate
fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum
cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi
facultate, et auctoritate, judicari, et definiri
debere; ac irritum, et inane, si secus super
his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel
ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus
quibuscumque privilegiis, indultis, concessionibus,
et gratiis Apostolicis tam generalibus, quam
particularibus quantumvis speciali men-
tione, et nota dignis, quibuscumque Archie-
piscopis, Episcopis, et aliis Superioribus, et
Inferioribus Ecclesiarum Prælati, etiam Sanctæ
Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac eorum, et
nostris familiaribus continuis commensalibus,
necnon literarum Apostolicarum Scriptoribus,
Abbreviatoribus, cæterisque Romanæ Curix
Officialibus, concessis, et confirmatis, cæteris-
que contrariis quibuscumque.

§. 4. Ut autem facilius præsentis Literæ om-
nibus innotescant, et nemo prætextu illarum
ignorantiæ excusari possit, jubemus, easdem ad
valvas Ecclesiæ Lateranensis, et Principis Apo-
stolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Cu-
riæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie
Campi Floræ de Urbe, aliisque locis solitis, et
consuetis, ut moris est, publicari, earumque
exempla affigi: Volumusque, eas sic publicatas,
omnes, et singulos perinde afficere, et obligare,
ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ:
Exemplis quoque prædictis etiam impressis,
manuque Notarii publici, et Sigillo Prælati Ec-
clesiastici, vel ejus Curix obsignatis, eandem
prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus

ANNO
1741.

Decretum
irritans.

Deroga-
tiones op-
portunæ.

Publica-
tionis præ-
sentium
vigor.

Exem-
plorum
auctoritas

PONT. adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.
 A. II. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, constitutionis, declarationis, annulationis, infirmationis, prohibitionis, interdicti, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire : Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLI. iv. Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno II.

Dat. die
 29. Aug.
 1741.

D. Card. Passioneus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Publicat. die 3. Octobris ejusdem Anni.



RESIGNATIONES

XXX.

Beneficiorum cum reservatione Pensionis, et pacto eam cassandi, prohibentur, et annullantur; adjecta pœna privationis Beneficii, inhabilitationis ad alia assequenda, restitutionis pecuniæ, etc. et irritantur cassationes, et extinctiones pensionum, intra sex menses a capta possessione Beneficii obtentæ.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

IN sublimi Beati Petri Cathedra Divina dispensatione, licet immerentes, collocati, gravi dolore constringimur, quoties considerationis nostræ oculos convertimus ad præstantiorem Dominici Gregis partem, hoc est ad Ecclesiasticum cœtum, eumque conspiciamus, vel pravis moribus, vel indecoris actibus dehonestari; non eniam ignari sumus, quanta sit inde in populis corruptionis timenda pernicies, si sal, unde cætera condiri debent, evanuerit.

§. 1. Pervenit quidem ad aures sollicitudinis nostræ, non raro contingere solere, ut quidam Clerici in minoribus, vel majoribus ordinibus constituti, aut sola Ecclesiastica tonsura decorati, Beneficia, seu Officia simplicia, vel cum onere residentia possidentes, aliis resignent, annua sibi pensione sub Apostolico beneplacito reservata, inuito eodem tempore pacto cum Resignatario, cassandi, et abolendi dictam pensionem, representata pecunia, nempe factis quibus lam anticipatis solutionibus pecuniarum ad

Exordium a conservatione Ecclesiasticæ discipline.

Exponitur abusus resignationum, cum reservatione pensionis, et pacto eam abolendi.

PONT. eam summam, quæ ad abolitionem, et extinctionem prædictæ pensionis, vel potius ad paliatam ipsius beneficii venditionem nefarie perficiendam, expressa inter Partes conventionem, stabilita fuit. Et quoniam profani isti Beneficiorum distractores non ignorant, quod si hujusmodi improba pacta Datarie Apostolicæ nostræ Ministris, aut Nobis innotescerent, nunquam resignationes hujusmodi a Datario, vel Produlario Nostro, vel a Nobis, aliisque Romanis Pontificibus pro tempore existentibus admitterentur; ut circumspectam eorundem Datarie Apostolicæ Officialium, et Nostram, aliorumque Pontificum vigilantiam fallerent, callida malorum hominum improbitas hanc perditionis viam, et rationem excogitavit: Arcano, et clandestino pacto inter Resignantem, et Resignarium, ad pensionem cassandam, et extinguendam, conventa pecuniæ quantitate, eaque quandoque etiam deposita apud publicum mercatorem, seu mensam argentariam, unitim, ac simul expedire curant Bullam resignationis Beneficii, et alteram Pensionis reservatæ super eodem Beneficio favore Resignantis; ita tamen, ut prope eodem, vel non multo post tempore, quo Supplicationi pro reservatione Pensionis solita Data apponitur, alia Supplicatio subscribatur, seu signetur pro cassatione, atque extinctione ejusdem Pensionis per anticipatas, seu anticipandas solutiones faciendâ, nulla mentione facta de præcedenti abominanda conventionem, et simoniacam labem redolente pacto, quo Beneficii resignatio in occultam ipsius Beneficii venditionem execrabili transformatione commutatur.

Mala inde
conse-
quentia.

§. 2. Cum autem hujus generis pacta improba, reprobata, damnata sint, et gratiæ hujusmodi cassationis, seu extinctionis Pensionis, tamquam subreptitiæ, et dolosa calliditate obtentæ, et quæ, rei veritate, et totius negotii serie expressa, nunquam a Sede Apostolica concessæ fuissent, nullæ, irritæ, ac inanes sint, et in

maximum animarum eas fraudulentè impetrantium damnum, ac detrimentum tendant, et præterea scandalo simplicibus, et bonis abominationi, et pluribus æterno exitio sint: Siquidem gratiarum hujusmodi impetratores, qui Ecclesiastica Beneficia tali infami mercatu negotiantur potius, quam resignant, non solum gravissimo peccato, quod præ oculis habere deberent, animas suas illaqueant, sed insuper palam apud omnes in populo, non sine infamia Ecclesiastici ordinis, execrantur, et contemnuntur; Et si pro aliis Beneficiis obtinendis ad Datariam Apostolicam accedere ausi fuerint, tanquam Beneficiorum Venditores male audiunt, et publice redarguuntur; cum statim ipsis ab eorum competitoribus opponatur Resignatio facta, cum cassatione Pensionis per anticipatas, seu anticipandas solutiones, hoc est, indigna Beneficii jam antea obtenti negotio, et clandestina sub ambagibus, et fraudulentis conventionibus detestanda venditio.

§. 3. Nos igitur hoc execrabile malum, quo non leve Ecclesiastico Ordini dedecus, et infamiae nota inuritur, prout necessitas, et pastorale munus postulat, coercere in futurum volentes, et longe a Sanctuario Dei profanam hujusmodi abominationem remove, Motu proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione Nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, et declaramus, omnia hujusmodi pacta, et conventiones pro cassatione, seu abolitione Pensionum per anticipatas, vel anticipandas solutiones contemporanee ad Resignationes Beneficiorum, cum reservatione Pensionis, per quas-cumque personas quavis dignitate, honore, ac præeminentia insignitas inita, tanquam a Sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus improbata, et simoniacam labem redolentia, nulla, cassa, ac irrita esse; et omnes cassationes, abolitiones, et extinctiones Pensionum hujusmodi, quas in posterum intra sex menses, a die captæ possessionis Beneficii per Resignarium com-

Pacta cassationis Pensionis contemporanea Resignationi damnantur, et annullantur.

Irritantur abolitiones pensionum per anticipatas solutiones

nomine, colore, et auctoritate, per anticipatas solutiones, seu præsentata pecunia factas intra dictum tempus sex mensium; et etiam ultra id temporis spatium, dummodo reprobum illud, et detestabile pactum præcessisse constiterit.

ANNO
1741.

§. 5. Mandamus præterea, et jubemus, easdem præsentatas literas perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, et nullo unquam tempore sub quovis colore, et prætextu, etiam defectus nostræ intentionis, impugnari posse: Sicque, et non aliàs, in præmissis omnibus, et singulis, per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedi Apostolicæ præfatæ Nuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Resignantium, seu Cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus, et clausulis in ipsismet resignationibus, et cessionibus, seu Procuratorum constitutionibus, et Mandatis, ac aliàs, etiam ad præservationem suorum jurium, et significationem, quod non aliter, nec alio modo resignant, seu cedunt, appositis, et quacumque verborum vi, formula, et multiplicatione et amplitudine expressis, necnon quibusvis indultis, privilegiis, et gratiis Apostolicis, tam generalibus quam particularibus, quantumvis speciali mentione, et nota dignis, quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis, et aliis superioribus, et inferioribus Ecclesiarum Prælatibus, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac eorum, et nostris familiaribus continuis commensalibus, nec non Literarum Apostolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, cæterisque Romanæ Curie Officialibus concessis, et confirmatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausule
salutares.

Derogationes amplissimæ, etiam quoad præservationes in Resignationibus adjectas.

PONT. §. 6. Cæterum, ut facilius præsentēs Literæ
 A. II. omnibus innotescant, et nemo prætextu illarum
 Publica- ignorantie excusari possit, jubemus, easdem ad
 tionis vi- valvas Ecclesie Lateranensis, et Principis Apo-
 gor. stolorum, necnon Cancellarie Apostolicæ, Cu-
 riæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie
 Campi Floræ de Urbe, aliisque locis solitis, et
 consuetis, ut moris est, publicari, eorumque
 exempla affigi: Volumusque, eas, sic publica-
 tas, omnes, et singulos perinde afficere, et
 obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter
 intimatæ. Exemplis quoque prædictis etiam im-
 Fides pressis, manuque Notarii publici, et sigillo Præ-
 transump- lati Ecclesiastici, vel ejus Curie obsignatis, eam-
 tis haben- da. dem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsen-
 tibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel os-
 tensæ.

Sanctio. §. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc
 paginam Nostri decreti, constitutionis, declara-
 tionis, annullationis, infirmationis, prohibiti-
 onis, interdicti, ac voluntatis infringere, vel ei
 ausu temerario contraire; si quis autem hoc
 attentare præsumpserit, indignationem Omni-
 potentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apo-
 stolorum ejus se noverit incursum.

Dat. die Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem
 29. Aug. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septin-
 1741. gesimo, quadragesimo primo, quarto Kal.
 Septembris, Pontificatus Nostri Anno II.

Pro D. Cardinalis Passioneus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✕ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 3. Octobris ejusdem Anni.

ANNO
1741.

CONFIRMATIO

XXXI.

Synodi Nationalis Maronitarum, habitæ in Monte
Libano Anno Domini MDCCXXXVI.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

SINGULARIS Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum in Suprema Catholicæ Ecclesiæ procuratione sollicitudo, cura, atque providentia, tum ad Sacrosancta Orthodoxæ Religionis dogmata, tum ad tradita Ecclesiasticæ Disciplinæ præcepta, sive declaranda, sive sustinenda, sive confirmanda, sive tuenda, sive in pristinum, ubi fortasse excidissent, aut in aliquod quamvis minimum, erroris, vel corruptelæ vitium inclinassent, observantiam revocanda instaurandaque, accuratissime semper servata, in eo maximopere commendatur, quod minime passi fuere omnia opportuna, ac necessaria charitatis, sapientiæ, vigilantix, atque auctoritatis Apostolicæ remedia suaviter, fortiterque, ubicumque terrarum, ac gentium, ubi Catholica Fides colebatur, adhibenda fuissent, unquam desiderari. Sæpe enim per Apostolicas Literas arguebant errantes; sæpe vero de Apostolico fonte per omnes Provincias petentibus responsa dabant: interdum quidem aliis, cum longius abessent, suæ curæ vices gesturis, causas cognoscendas, definiendasque committebant; interdum etiam viros dignitate, ac doctrina insignes, per quos ibi, ubi præsentibus esse non poterant, sua repræsentaretur auctoritas, decernebant; aliàs Cœtus, ac Synodos, ut a Fratribus, et Coëpiscopis ibi congregatis, Canonica, et Apostolica integritate causæ discussæ Deo pla-

S. Sedes
Cathol. Fi
dem, et
discipli-
nam ubi-
que pro-
moveret va-
riis me-
diis.

PONT. cita æquitate definirentur, indicendas manda-
 A. II. bant; nonnunquam et Legatos suos mittebant,
 Inter cæ- qui Cœtus, et Synodos, sive Generales, sive
 tera, Con- Nationales, aut Provinciales convocarent; in
 ciliarum quibus Apostolicæ Sedis nomine aut adstantes,
 celebra- aut præsidentes, postquam salubriter, servata
 tione. æquitate, omnia discussa, et canonica integri-
 tate fuissent definita, ad eorundem Prædecessor-
 um Nostrorum studerent perducere notio-
 nem, quatenus ab ipsis valerent congrua sine
 dubio sententia terminari atque confirmari.

Eorum §. 1. Quantum autem ad Catholicæ Religio-
 utilitas nis veritatem illustrandam, confirmandamque,
 semper a- quantum ad ecclesiasticæ disciplinæ observan-
 gnita. tiam procurandam, quantum ad Christianæ pie-
 tatis, et sanctimonix studium promovendum
 prodessent hujusmodi Cœtus, et Synodi, satis
 superque experimento comprobavit ipsa anti-
 quitas. *Qua sane ex causa, inquit Sanctus Mar-
 tyr, et Episcopus Cyprianus, necessario apud
 Nos fit, ut per singulos annos seniores, ac Præ-
 positi in unum conveniamus ad disponenda ea,
 quæ curæ nostræ commissa sunt, ut, si quæ gra-
 viora sunt, communi consilio dirigantur.* Eapro-

Et a Conc. pter Tridentina Synodus præcepit, ut Concilia
 Trid. quidem Provincialia, sicubi ommissa fuissent, pro
 commen- moderandis moribus, corrigendis excessibus,
 data. controversiis componendis, aliisque ex Sacris
 Canonibus permissis, quolibet saltem triennio;
 Diocesanæ vero Synodi quotannis renovarentur.

Maroni §. 2. Etsi autem Venerabiles Fratres Patriar-
 tarum re- chæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique pro tem-
 bus neces- pore existentes Inclytæ Nationis Maronitarum,
 sarium quæ ab ipsa sua origine Orthodoxam Romanam
 erat Con- Fidem professa semper intactam ab Infidelibus,
 ciliam Hæreticis, Schismaticis undique circumsedenti-
 Nationale bus custodire, atque Apostolicæ huic Sanctæ
 Sedi arctissime adhærere, debitaque obedientia
 obsequi studuit, ac pergit, Cœtus, et Synodos
 ejusmodi veluti in speciem inter se celebrare
 non destiterint; nunquam tamen apud illos Pro-
 vinciale, seu totius Nationis Concilium habitum

luisse constat. Quo factum fuit, ut, cum nonnulla ad Disciplinam Ecclesiasticam potissimum spectantia sensim a primæva institutione, ac splendore declinare viderentur, ad eadem sustinenda reparandaque assidue per Congregationum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, tum Generalis adversus hæreticam pravitatem Inquisitionis, tum Propagandæ Fidei, Decreta super propositis dubiis, et exortis controversiis edita, quantum fieri potuit, consuleretur. Quæ certe providentia jamdudum inita, ac servata, etsi quodammodo salutaris, haud tamen satis visa fuit modernis Venerabilibus Fratribus Josepho Petro Patriarchæ Antiocheno, cæterisque Archiepiscopis, et Episcopis ejusdem Nationis Maronitarum, ut votorum suorum compotes fierent. Quamobrem per supplices Literas eximiis singularis erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem reverentiæ, et obedientiæ notis insignes, iterum atque iterum datas, non modo abusus sensim irreptos, ac controversias, et confusiones pacem plerumque interturbantes, e medio tollendas significabant: verum enixis etiam precibus tandem postularunt, ut ad gravissimum hujusmodi negotium cum ejusdem Nationis decore atque utilitate conficiendum, adlegare dignaretur Apostolica Sedes Dilectum Filium Josephum Simonium Assemanum, ejusdem Nationis Virum, primæ in Bibliotheca nostra Vaticana Custodiæ Præfectum, Canonicum Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Magistrum in utraque Signatura nostra Referendarium, Prælatum domesticum, et intimum Cubicularium nostrum, quem triginta fere abhinc annis Nobis notum, et acceptum, tum propter obsequia sua in eorumdem Congregationum Inquisitionis, et Propagandæ Fidei negotiis Nationum Orientalium expediendis laudabiliter præstita, et tot volumina, de Orientalibus præsertim, aliisque rebus, jam typis edita, plurimi facimus.

§. 3. Itaque fel. record. Clemens PP. XII. Prædecessor noster, ex ejusdem Congregationis Pro-

ANNO
1741.

Ideo re-
currunt
ad S. Se-
dem.

Et petunt
allegari R.
P. Assema-
num.

Clemens
XII. au-

PONT. pagandæ Fidei consilio, supplicationibus hujus-
 A. II. modi inclinatus, laudatum Josephum Simonium,
 tum suis Apostolicis in simili forma Brevis Li-
 teris, tum Decreto, et Instructione super non-
 nullis articulis peculiari reformatione dignis ha-
 bitis, et facultate Synodum Provinciam, seu
 totius Nationis, si opus fuisset, congregandi in-
 structum, ablegare dignatus fuit. Hic autem su-
 premis ejusdem Clementis Prædecessoris jussi-
 bus, ea, qua decebat, obedientia obtemperans,
 Orientem contendit. Postquam ad Libanum
 Montem accessit, Apostolica Mandata, Decreta,
 et Instructionem dictæ Congregationis in Apo-
 stolicis Literis, et Decretis, ut præmittitur, con-
 tenta, iisdem Josepho Petro Patriarchæ, aliisque
 Præsulibus Maronitis exposuit. Quibus omnibus
 cum veneratione Apostolicæ Sedi debita excep-
 ptis, lectisque, unanimi consensu statutum fuit,
 ut Synodus hujusmodi haberetur, in qua non
 solum recitarentur, atque observanda proponerentur
 decreta, et ordinationes dictæ Congregationis
 Propagandæ Fidei; verum etiam alia decreta,
 et canones, si aliquo pacto id, ad Ecclesiasticam
 Disciplinam cum ejusdem Nationis laude reformandam
 illustrandamque, necessarium, atque opportunum
 fuisset visum, conderentur.

Ablegatus, cum Mandatis Apost. ad Mont. Libanum accedit: et Synodus indicitur.

Locus Concilii, et Personæ in eo convenientes.

§. 4. Interea variis prolusionibus, et congressibus ante peractis, Synodus hujusmodi, quæ jam indicta fuerat, in Ecclesia sub Invocatione Beatæ Virginis Mariæ Immaculatæ Monasterii de Loaisa Dilectorum Filiorum Monachorum Sancti Antonii Congregationis Montis Libani in Provincia Chesroanensi Phœnicia convocata fuit. In ea sane, præter Patriarcham, et Ablegatum hujusmodi, interfuerunt Archiepiscopi, et Episcopi, nimirum quatuordecim Maronitæ, duo Syri, et totidem Armeni, Abbates Generales Monachorum tum Sancti Antonii Congregationis Montis Libani, tum Sancti Isaia, singuli cum quatuor Diffinitoribus, et aliis Abbatibus localibus, tam ejusdem Congregationis Montis Li-

Dani, quam Monasteriorum antiqui Instituti, Locumtenens Custodiæ Hierosolymorum, ac totius Terræ Sanctæ, Apostolici Missionarii omnium Ordinum, qui in Syria, et Palæstina commorantur, nempe Sancti Francisci Minorum de Observantia, et Capuccinorum, Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum, et Clerici Regulares Societatis Jesu, ac quamplures Archipresbyteri, Parochi, Presbyteri, Theologi, Collegii Pontificii de Urbe olim Alumni, alique Clerici, Monachi, Principes, ac Magnates Gazeni, Hebaiscii, et aliarum Familiarum insignium Montis Libani, et Antilibani.

§. 5. Antedicti omnes in sessionibus, tam matutinis, quam vespertinis trigesima mensis Septembris, ac prima, et secunda diebus mensis Octobris anni MDCCLXXVI. habitis, insimul convenientes, postquam recitata, et proposita fuerant decreta, canones, et articuli juxta instructionem dictæ Congregationis Propagandæ Fidei, ut præmittitur, in Synodo hujusmodi condita, et contenta, non solum omnia, et singula comprobaverunt laudaveruntque, iisque omnes, et singuli, qui suffragium, et votum habebant, alique subscripserunt; verum etiam Literas, quibus et ea, quæ gesta erant, significabant, et ipsum Ablegatum propter suum zelum, prudentiam, doctrinam, pietatem, sapientemque in rebus gestis habitam rationem, maximopere commendabant, diebus tertia, quarta, quinta, septima; et decimaquinta ejusdem mensis, et anni datas, ad Clementem Prædecessorem præfatum, et sæpe dictam Congregationem referendas curarunt; suppliciter expostulantes, ut

Conduuntur decreta juxta Instructiones, et acceptantur

Synodus hujusmodi, prævio Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis examine, censura, et correctione, quatenus necessitas exegisset, Apostolica auctoritate approbata, et confirmata, Typis etiam Arabicis dictæ Congregationis Propagandæ Fidei in lucem prodiret.

Petit examini, et confirmationi S. Sedis.

§. 6. Interea, dum ipse Joseph Simonius Ablegatus Instructioni memoratæ Congregationis,

Dissensiones ex-

PONT. et bonæ mem. Felicis Cardinalis Zondadari;
 A. II. dum viveret, Nationis Maronitarum Protectoris,
 et hujusmodi ad Montem Libanum Ablegationis
 Pontentis, mandatis obtemperaturus, et iis, qui
 in dicta Synodo suffragati fuerant, morem ge-
 sturus, statim nonnulla in quibusdam articulis,
 ut præmittitur, contenta, ac primum hic Romæ,
 deinde in memorata Synodo jam discussa atque
 decreta, executioni mandanda curat, ac præ-
 sertim omnimodam Monialium a Monachis se-
 parationem; non levis eundem Ablegatum inter,
 et Patriarcham, quoad modum separationis,
 emerit dissensio. Accessit deinde controversia
 de inhibita quacumque vel modica pecuniæ
 summa, aut aliarum rerum contributione, tum
 in Sacrorum Oleorum distributione, tum in
 Sacrorum Ordinum collatione, Patriarchæ, aut
 Episcopis aliàs solvi, et erogari solita. Demum
 de statuta uniuscujusque propriæ Ecclesiæ An-
 tistitis firma incardinatione, et Episcopatum ad
 certum numerum, juxta folium ab ipso Patriar-
 cha, Archiepiscopis, et Episcopis subscriptum,
 reductione, dissidium erupit. De hisce omnibus
 idem Patriarcha, et per suas Literas anno
 MDCCXXXVII. scriptas, et per suum Nuntium
 anno MDCCXXXVIII. hanc Almam Urbem as-
 sequutum, Apostolicam Sedem consuluit.

Quæ pari-
 ter ad S.
 Sedem de-
 feruntur.

Eadem
 examinan-
 tur in Con-
 gregat. de
 Prop. Fide

§. 7. Narratis autem, relatisque prius in sæ-
 pedicta Congregatione Propagandæ Fidei non
 semel habitæ, quamplurimis, tum quoad puncta
 in antedictis articulis contenta, tum quoad
 auctoritatem legitimitatemque Synodi præfatæ,
 rationum momentis hinc inde adductis, et ac-
 curatissime expensis; audita tum Venerabilis
 Fratris Gabrielis Eva Archiepiscopi Cypri Ma-
 ronitæ, tum Dilectorum Filiorum Thomæ Budi
 Abbatis Generalis Monachorum Sancti Antonii
 dictæ Congregationis Montis Libani, et Pompilii
 Rodata in Bibliotheca nostra Vaticana Græci
 Scriptoris, et de rebus Orientalibus non ignari,
 quibus Synodus præfata revidenda, et exami-
 nanda commissa fuerat, relatione; Particularem

Congregationem eorundem Venerabilium Fratrum nostrorum Propagandæ Fidei jam a Nobis deputatam, coram Nobis die xxvii. proxime elapsi mensis Augusti, Ponente Dilecto pariter Filio nostro Vincentio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Petra ejusdem Congregationis Propagandæ Fidei Præfecto, in locum Dilecti itidem Filii nostri Caroli Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfate Cardinalis Rezzonici Ponentis absentis suffecto, habendam indiximus.

§. 8. Proposita fuerunt in Congregatione hujusmodi dubia, quæ sequuntur. I. *An constet de legitimitate dictæ Synodi?* II. *An Canon quoad cohabitationem prohibitam Monialium, seu Mulierum, cum Monachis, sustineatur, vel quomodo moderandus?* III. *An Canon prohibens Patriarchæ quancumque exactionem in distributione Olei Sancti Parochis, sustineatur, et mereatur confirmationem?* IV. *An Canon quoad residentiam Episcoporum Maronitarum in propriis Titulis Ecclesiarum Episcopaliū, sit approbandus; et quid quoad Appendicem Synodi Cap. xli. in quo adest divisio Sedium Episcopaliū, cum limitibus Diocesum Maronitarum, pro distributione Diocesum in tot Episcopis, ita ut non possint amoveri a Patriarcha?* V. *An sit consulendum Sanctissimo pro approbatione dictæ Synodi etiam per Breve Apostolicum?* Ad quæ sane dubia, omnibus sedulo expensis, per eosdem Cardinales responsum fuit. Ad Primum. *Constare de legitimitate Synodi, omnibus suffragantibus.* Ad secundum. *Pro approbatione Canonis, citra tamen approbationem Monasteriorum.* Ad tertium. *Approbandum: et ad Sanctissimum, qui dignetur alio modo providere Domino Patriarchæ.* Ad quartum. *Pro approbatione Canonis demandantis Residentiam Episcoporum: et ad Sanctissimum quoad contenta in Appendice Cap. xli. in quo proponuntur Metropolitanarum, et Episcoporum Maronitarum Sedes, et limites.* Ad quintum. *Ad Sanctissimum, qui dignetur approbare Synodum, cum Breve Apostolico.*

ANNO
1741.
Ac de-
mum co-
ram San-
ctissimo.

Dubia
in Congr.
proposita.

Congreg.
Respons.

PONT. §. 9. Hinc est, quod Nos, qui in sublimi Sa-
 A. II. crosancti Apostolatus specula per Divinæ boni-
 Pontifex tatis abundantiam constituti, nihil optamus im-
 de illius pensius, quam ut per universum Catholicum
 consilio, Orbem evangelizemus, et dogmata Orthodoxæ
 Synodum Fidei omnes Christifideles edoccamus, et Eccle-
 approbat, siasticæ Disciplinæ præcepta intacta sanctissime
 et confir- servanda curemus: Eapropter, omnibus, et sin-
 mat. gulis dissidiis, controversiis, dissensionibus,
 cæterisque quibuscumque, quæ ad hanc usque
 diem super præmissis omnibus quocumque pacto,
 et quomodolibet excitata fuerunt, perpetuum
 silentium imponentes; necnon omnium, et sin-
 gulorum supra memoratorum Patriarchæ, Ab-
 legati, Archiepiscoporum, Episcoporum, cæte-
 rorumque Nationis Maronitarum hominum votis
 hac in re, quantum cum Domino possumus,
 favorabiliter annuere, eorumque singulares per-
 sonas specialibus favoribus, et gratiis prosequi
 volentes, atque Apostolicis laudibus commen-
 dantes, et a quibusvis excommunicationis, sus-
 pensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis
 sententiis, censuris, et pœnis, a jure, vel ab
 homine quavis occasione, vel causa latis, si
 quibus quomodolibet innodata existunt, ad ef-
 fectum præsentium dumtaxat consequendum,
 harum serie absolventes, et absolutas fore cen-
 sentes, supplicationibus eorundem nomine No-
 bis super hoc humiliter porrectis inclinati, de
 eorundem Venerabilium Fratrum nostrorum
 S. R. E. Cardinalium consilio, Synodum hujus-
 modi, omniaque, et singula in ea, ut præmit-
 titur, edita Statuta, Decreta, Ordinationes, et
 Canones, auctoritate Apostolica tenore præsen-
 tium confirmamus, et approbamus, illisque in-
 violabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus;
 ita tamen, quod per nostram prædictæ Synodi
 confirmationem nihil derogatum esse censeatur
 Constitutionibus Romanorum Pontificum Præ-
 decessorum nostrorum, et Decretis Conciliorum
 Generalium super Ritibus cæterarum quarum-
 cumque Nationum, siye specialiter, siye gene-

Salvis
 Constitu-
 tionibus
 super Ri-
 tibus ali-
 arum Na-
 tionum
 editis.

raliter factis, quæ, non obstante hujusmodi confirmatione, in suo robore permanere debeant; ac salva semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Propagandæ Fidei, Nobis tamen, ac Successoribus nostris Romanis Pontificibus, toties, quoties opus fuerit, super præmissis omnibus prius consultis.

A N N O

1741.

Et fa-

cultati-
bus ejus-
dem Congregationis.

§. 10. Decernentes easdem præsentis Literas, ac Synodum, in eaque edita Statuta, Ordinationes, Decreta, et Canones hujusmodi, semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, et per omnia inviolabiliter, et inconcuse observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, definiri, atque interpretari debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, sive Patriarcha, Archiepiscopis, et Episcopis Nationis Maronitarum, tam singulatim, quam una insimul convenientibus, sive Apostolicis Operariis, qui ab eadem Congregatione ad quascumque Orbis Terrarum partes mittuntur, quavis auctoritate, etiam per hanc Sanctam Sedem concessa, nisi expressa quoad Synodum hujusmodi a Nobis et Successoribus nostris Romanis Pontificibus data fuerit facultas, scienter, vel ignoranter contigerit attentari Non obstantibus præmissis omnibus, et Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ
proDecre-
torum ob-
servantia,
sublata
etc.Deroga-
tiones.

§. 11. Cæterum quidquid quoad omnia, et singula dubia antedicta, aliaque quæcumque pro totius nationis Maronitarum splendore, utilitate, pace, ac concordia proficuum, ac salutare fore noverimus, per alias nostras in simili forma Brevis Literas cumulate declarabimus.

Reliquo-
rum du-
biorum
Declara-
tio differtur.

Ducis Bavariae, et Sacri Romani Imperii Electoris expositum fuit, ipse, ut eximiis bon. mem. Maximiliani Emmanuelis parentis sui, belli, pacisque laudibus, dum viveret, florentissimi, et Sacrosanctae Religionis studio cum primis flagrantis, qui Equestrem Militiae Ordinem in honorem Intemeratae Deiparae Virginis Mariae, sub invocatione, et protectione Beati Georgii Martyris erigere constituerat, etsi propter varios bellorum eventus executioni demandare non potuit, eidem tamen Alberto Carolo in supremis tabulis commendavit, ut votis, ac mandatis obsecundaret, suaeque pietati faceret satis, eundem Militarem Equestrem Ordinem non solum instituit, verum etiam Apostolica auctoritate confirmandum curavit a fel. recordat. Benedicto Papa XIII. Praedecessore Nostro per Apostolicas ejusdem Benedicti sub plumbo literas Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo octavo, XV. Kalendas Aprilis, Pontificatus sui Anno Quinto datas, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, et in quibus de Ordinis hujusmodi institutione, et confirmatione uberius continetur. Ut autem eundem Ordinem, cujus laudatus Carolus Albertus Dux et Elector, Institutor, ac Magnus Magister existit, et cui quamplurimi Nobiles Viri nomen dederunt, majori decore, et incremento adaugeat; pro singulari sua pietate, et avita erga res Sacras reverentia, sex Nobiles Viros in Ecclesiastica Dignitate constitutos, prout infra, in Ordinem hujusmodi cooptare desiderans, in Capitulo Militum Equitum memorati Ordinis ad antedictum effectum habito, unanimi omnium suffragantium consensu, decretum voluit, ut iidem sex Nobiles Viri Ecclesiastici, si Nostrum hac in re Apostolicum beneplacitum accederet, adlegerentur.

§. 2. Praecipuus vero ejusdem Caroli Alberti in ea sententia finis in hoc vertitur, ut, ad

ANNO
1741.

Duce Bavariae institutus.

A Benedicto XIII confirmatur.

Erectio sex Officiorum Ecclesiasticorum.

Eorum munera.

PONT. majorem Dei gloriam, et Ordinis splendorem,
 A. II. Sacra Officia, quæ in Ecclesia dicti Ordinis pro tempore obeunda sunt, quam maxima potest majestate, ac dignitate peragantur. Horum itaque sex Virorum Nobilium Equitum Ecclesiasticorum primum quidem exoptat Episcopali Dignitate, et Characterè, ut Pontificalia munera in Ordinis præfati Ecclesia sub invocatione Sancti Georgii Martyris Deo dicata, quæ in Ducalibus et Electoralibus Ædibus posita, et ab omni Ordinarii Episcopi loci jurisdictione immunis, et exempta est, exercere valeat, insigniri; alterum vero cum Præpositi nomine, et Pontificalium usu constitui, ut vices Antistitis, hoc absente, vel legitime impedito, expleat; tertium, ac quartum Decanorum itidem nominibus dici, qui Divinis Officiis, sive Horis Canonicis, cum aliorum Militum Equitum interventu, in dicta Ecclesia persolvendis in Choro intersint; quintum, ac sextum denique Eleëmodynarios ab honore appellari, a quibus Decanorum munera, ipsis absentibus pariter, aut legitime impeditis præstentur. Porro pro congruenti, idoneoque antedictorum in suis respective Dignitatibus, et muneribus debito cum decore sustinendis emolumento, idem Carolus Albertus Dux et Elector primos duos, nempe Episcopum, et Præpositum pro tempore existentes, ad Præposituras, ad quas quemlibet nominandi sibi jus, cui non est in aliquo hactenus derogatum, competit, nominabit; duobus Decanis Collegiales Præbendas conferet, reliquis duobus ab honore Eleëmodynariis, servata antianitatis regula, eas, quibus alii Milites Equites donantur, commendas, pensiones, et beneficia impertiatur. Quo autem debitus honor, auctoritas, et reverentia Episcopo, et Præposito pro tempore existentibus concilietur, uterque Magnam Crucem cum Stella super Pallio, et Vestibus; Decani, ad instar Equitum Commendatariorum, Mediam, et Eleëmodynarii Parvam eandem prorsus, e collo vitta serica cœrulei coloris pendentem, quam

Emolu-
menta.

Insignia.

cæteri Equites ferre solent, Crucem gestare te-
neantur. Quæ quidem omnia, ut præmittitur,
per ipsum Carolum Albertum, in Capitulo cum
unanimes Equitum Militum consensu statuta, et
decreta, ut debitæ executioni demandentur, et
imposterum firmiter subsistant, ac serventur
exactius, ejusdem Caroli Alberti nomine Nobis
humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis op-
portune providere, et de benignitate Apostolica
indulgere dignaremur.

ANNO
1741.

§. 3. Nos igitur ipsum Carolum Albertum
Ducem, Electorem, et Ordinis præfati Institu-
torem, ac Magnum Magistrum, de Catholica
Religione, atque Apostolica hac Sancta Sede
præclare mereri pergentem, specialibus gratia-
rum favoribus prosequi volentes, eumque a
quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et
interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis,
censuris, et pœnis, a jure, vel ab homine quavis
occasione, vel causa latis, si quibus, quomo-
dolibet innodatus existit, ad effectum præsen-
tium tantum consequendum, harum serie ab-
solventes, et absolutum fore censentes, suppli-
cationibus hujusmodi Nobis ejusdem nomine
porrectis inclinati, præmissa omnia, et singula,
tenore præsentium, Apostolica auctoritate ap-
probamus, indulgemus, et confirmamus, illis-
que inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur
adjicimus, omnesque et singulos juris, et facti
defectus, si qui desuper quomodolibet interve-
nerint, supplementus, et sanamus.

Confir-
matio A-
postolica.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus literas,
et in eis contenta quæcumque, semper firmas,
validas, et efficaces existere, et fore, suosque
plenarios, et integros effectus sortiri, et obti-
nere, et ab illis, ad quos spectat, et pro tem-
pore quandocumque spectabit, inviolabiliter
observari, sicque in præmissis per quoscumque
Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causa-
rum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ
Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere
Legatos, et Apostolicæ Sedis Nuntios, sublata

Clausulæ,
et Dero-
gationes.

PONT. eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi,
 A. II. et interpretandi facultate, et auctoritate, judi-
 cari, et definiri debere; ac irritum, et inane,
 si secus super his a quoquam quavis auctori-
 tate scienter, vel ignoranter contigerit atten-
 tari. Non obstantibus Constitutionibus, et Or-
 dinationibus Apostolicis, necnon dicti Militaris
 Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apo-
 stolica, vel quavis firmitate alia roboratis sta-
 tutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque,
 indultis, et literis Apostolicis in contrarium
 præmissorum quomodolibet concessis, confir-
 matis, et innovatis. Quibus omnibus, et sin-
 gulis, illorum tenores præsentibus pro plene,
 et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum
 insertis habentes, illis aliàs in suo robore per-
 mansuris, ad præmissorum effectum hac vice
 dumtaxat specialiter, et expresse derogamus,
 cæterisque contrariis quibuscumque.

Forma
 jurisju-
 randi ab
 Ecclesia-
 sticis præ-
 standi.

§. 5. Cæterum earumdem præsentium tenore,
 ac pari auctoritate volumus, et mandamus, pri-
 mum, ut Episcopus, Præpositus, Decani, et
 Eleëmosynarii pro tempore existentes, quippe
 qui Ecclesiastici Ordinis, cum in Militarem Eque-
 stem Ordinem præfatum cöoptari contigerit,
 votum seu jusjurandum, scilicet ut prompti
 semper, et quacumque oblata occasione parati
 sint, Sanctam Fidem Catholicam, et Apostoli-
 cam Romanam, ejusque propagationem, hono-
 remque Deiparæ Virginis, sanguine ipso impa-
 vide contra quoscumque palam tueri, et de-
 fendere, ita concipiant, ut nullo unquam tem-
 pore iidem ad apertum bellum quibuscumque
 inferendum, inconsulta Apostolica hac Sancta
 Sede, et nonniñi de expressa ejusdem Sedis to-
 ties, quoties opus fuerit, pro eorum singulis
 impetranda licentia accedere teneantur: ac
 propterea hoc ipsum sibi in emittendo voto,
 ac jurejurando dicendo, expresse caveant; aliter
 nullum sit, et inane, ac nullius prorsus robo-
 ris, ac momenti.

§. 6. Deinde, ut Episcopus, et Præpositus, qui Pontificalia ut præmittitur, sive statis, sive indictis solemnitatibus, aliisque diebus exercebunt, non nisi in ipsa dumtaxat Ecclesia in Ædibus Ducalibus et Electoralibus, sita, et Militum Equitum dicti Ordinis Conventui assignata, quæ ab omni Ordinarii Episcopi Loci jurisdictione, ut asseritur, immunis est, atque exempta, obire debeant: in quacumque enim alia Ecclesia Pontificalia hujusmodi qualibet de causa exerceri contigerit, nullo pacto, nisi de Ordinarii Locorum permissu, toties, quoties occasio postulaverit, sub pœnis juxta Canonicas sanctiones inflictis fieri liceat.

ANNO
1741.
Pontifi-
calia qua-
tenus ip-
sis liceat
exercere.

§. 7. Tertium, ut cum Episcopis hujusmodi viam universæ carnis ingressus fuerit, idem Dux Elector, ac Ordinis præfati Magnus Magister Virum pietate, ac doctrina insignem, toties quoties id acciderit, nominet, qui, postquam omnia, et singula de more, institutoque majorum servanda in Antistitum, sive Residentiarium, sive Titularium, ut dicitur, inauguratione fuerint confecta, et omnino servata, ac dignus ea dignitate repertus fuerit, in Episcopum inauguretur.

Episco-
pi nomi-
natio con-
ceditur
Duci Ma-
gno Magi-
stro.

§. 8. Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis sub Annulo Piscatoris die VI Octobris MDCCXLI. Pontificatus Nostri anno Secundo.

Dat. die 6.
Oct. 1741.

D. Cardinalis Passioneus,

mmmmmm

jugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos Judices humanæ naturæ conditione, et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam præcipiti audacia Sanctum Matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum, atque indissolubilem primus humani generis Parens præmonuit, inquam: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: Et illud additum est: Quamobrem relinquet homo Patrem suum, et Matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.*

§. 2. Hujusmodi autem abolendæ pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum Virorum, qui post primam, et secundam, ac tertiam, quam duxerant, uxorem, ob nimiam Judicium præcipitantiæ in nullitate Matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; et similiter sæminarum, quæ post primum, secundum, et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se junxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra Matrimonii vincula ita contemni, et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuimus, et non prætermisimus Apostolicæ nostræ sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri Anno ad Episcopos illarum Partium, in quibus prædicta acciderant, plenissimis datis literis, graviter conquesti sumus de hujusmodi pravitate, quæ in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastoralementem zelum accendere curavimus, quod etiam egimus cum aliis aliarum Regionum Episcopis ubi hujusmodi pravum dirimendorum Matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

§. 3. Verum Nobis responsum est, id sæpe contingere partim ex culpa illorum Judicum, quibus, vel in prima instantia, cum Causa coram Judice Ordinario ex aliqua legitima causa

Excessus
abusuum
in conju-
biorum
dissolutio-
nibus ad-
mittendis

Causæ,
quibus
tribuitur
hujusmo-
di pravi-
tas.

PONT. cognosci nequit, vel in secunda, cum in parti-
 A. II. bus nullus adest Judex, ad cujus Tribunal Causa
 in gradu appellationis devolvatur, vel si adest,
 justa de causa coram eo disceptari nequit, Causæ
 Matrimoniales hujusmodi a Sede Apostolica com-
 mittuntur; qui vel ob inscitiam, vel ob malam
 voluntatem, proclives sunt ad Matrimonia dis-
 solvenda, atque eadem Matrimonia, levi, vel
 etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida
 declarant: partim etiam ex facto Conjugum su-
 per nullitate suorum Matrimoniorum litigan-
 tium; cum frequenter unus tantum eorum,
 qui dissolutionem Matrimonii postulat, in ju-
 dicio compareat, et Sententia, nullo contradi-
 cente, secundum sua vota obtenta, ad alias
 nuptias convolat: vel ambobus Conjugibus in
 Judicium venientibus, altero, qui pro Matri-
 monio, altero vero, qui contra agit, Senten-
 tia de nullitate Matrimonii prolata, nullus est,
 qui ad superiorem Judicem appellationem in-
 terponat; vel quia litigantes in specie quidem
 discordes, re vera inter se concordantes sunt et in-
 vicem colludentes, contractum matrimonium
 dissolvi cupiunt; vel quia Pars, quæ pro vali-
 ditate Matrimonii stabat, ejusque nullitatem
 acriter contra adversarium impugnabat, lata a
 Judice Sententia contra Matrimonium, mutat
 voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis
 non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis
 ad litigandum necessariis, et inceptum opus,
 ac Causam post primam Sententiam deserit; Quo
 fit, ut deinde ambo Conjuges, vel unus eorum,
 ad aliud contrahendum Matrimonium se con-
 ferat.

Pontificis
 providen-
 tia circa
 commis-
 siones cau-
 sarum ad
 partes.

§. 4. Quod autem ad Judices pertinet, quibus
 extra Romanam Curiam pro Litigantium com-
 modo causæ Matrimoniales committuntur, pa-
 terna illa vigilantia, qua de justitia unicuique
 integre sapienterque administranda solliciti esse
 debemus, encyclicis Literis ad Venerabiles Fra-
 tres Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, et
 Episcopos scriptis vigesima sexta Augusti anno
 secundo

secundo Pontificatus Nostri, providere curavimus, in quibus ea præscripsimus, quæ Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum Causæ non nisi personis congrua juris peritia, et necessario probitatis, spectatæque fidei munitis præsidio committentur. Insuper ad ea, quæ in iisdem encyclicis literis constituta sunt, id etiam in præsentì adjungimus: Quod, quamvis Concilii Tridentini Decretum, quo causæ Matrimoniales subtractæ fuerunt Decani, Archidiaconi, et aliorum inferiorum judicio, et Episcoporum tantum examini, et jurisdictioni reservatæ, duntaxat procedat de Archidiaconis, Decanis aliisque inferioribus, qui in eadem Diœcesi constituti, vel privilegio aliquo, vel præscriptione, saltem in visitatione, Causarum Matrimonialium cognitionem sibi arrogabant; ac idcirco minime obstet commissionibus, quæ, pro iisdem causis matrimonialibus definiendis, a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent: nihilominus præcipimus, ac mandamus iis, ad quos, hujusmodi Commissionum, seu Delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis, præsertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio, et delegatio dirigatur uni ex iis, qui, secundum ordinem, et modum a Nobis in præfatis encyclicis Literis præscriptum, pro Judice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

§. 5. Quod vero ad ordinem, et seriem judiciorum in causis matrimonialibus pro debita, et congrua earum terminatione, servandum spectat; motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deve Apostolicæ potestatis plenitudine hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac jubemus, ut ab omnibus, et singulis Locorum Or-

ANNO
1741.

Causæ
Matrimoniales non
nisi Episcopis et,
his deficientibus,
Judicibus
Synodali-
committendæ.

Defensor
Matrimoniorum in
singulis
Diœcesibus eligatur.

PONT. dinariis in suis respective Diœcesibus persona.
 A. II. aliqua idonea eligatur, et si fieri potest ex Ecclesiastico cœtu, juris scientia pariter, et vitæ probitate prædita, quæ Matrimoniorum Defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si justa causa adfuerit, et substituendi aliam æque idoneam, et iisdem qualitatibus ornatam; quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad Matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

Defensoris officia. §. 6. Ad officium autem Defensoris Matrimoniorum hujusmodi, ut supra electi, spectabit, in iudicium venire, quotiescumque contigerit, matrimoniales causas super validitate, vel nullitate coram legitimo Iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis Matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quæ ad Matrimonium sustinendum necessaria censebit.

Idem semper ad sit Iudicio. §. 7. Et demum Defensoris hujusmodi persona, tanquam Pars necessaria, ad iudicii validitatem, et integritatem censeatur, semperque adsit in Iudicio sive unus ex Conjugibus, qui pro nullitate Matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus hujusmodi committetur, iuramentum præstabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicujus Matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum præbebit: quæcumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde, ac si citata, et intimata non esset ea Pars, cujus citari intererat, et quam, juxta legum, et canonum præscripta, ad legitimam iudicii validitatem, citari, aut intimari omnino necessarium erat.

Non ap- §. 8. Cum igitur coram Ordinario, ad quem

causas hujusmodi cognoscere pertinet, contra-
 versia aliqua proponetur, in qua de Matrimo-
 nii validitate dubitantibus, et existentibus in
 judicio, vel uno ex Conjugibus, qui pro nul-
 litate Matrimonii, vel ambobus, quorum alter
 pro validitate, alter vero pro nullitate actio-
 nem intendat, Defensor Matrimonii partes
 omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si
 a Judice pro Matrimonii validitate judicabitur,
 et nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab ap-
 pellatione se absteat; idque etiam servetur,
 si a Judice secundæ instantiæ pro validitate Ma-
 trimonii fuerit judicatum, postquam Judex primæ
 instantiæ de illius nullitate Sententiam pronun-
 ciaverat; sin autem contra Matrimonii validi-
 tatem Sententia feratur, Defensor inter legi-
 tima tempora appellabit adhærens Parti, quæ
 pro validitate agebat; cum autem in judicio
 nemo unus sit, qui pro Matrimonii validitate
 negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum
 Sententia, judicium deseruerit, ipse ex officio
 ad superiorem Judicem provocabit.

ANNO
 1741.
 appellabit a
 Sententia
 pro vali-
 ditate Ma-
 trimonii
 prolata.

Contra,
 si pro in-
 validi-
 tate pro-
 nuncia-
 tum fue-
 rit.

§. 9. Appellatione a prima Sententia pendente,
 vel etiam nulla, ob malitiam, vel oscitantiam,
 vel collusionem Defensoris, et Partium, inter-
 posita, si ambo, vel unus ex Conjugibus novas
 nuptias celebrare ausus fuerit, volumus, ac
 decernimus, ut non solum serventur, quæ ad-
 versus eos, qui Matrimonium contra interd-
 ctum Ecclesiæ contrahunt, statuta sunt, præ-
 sertim, ut invicem a cohabitatione separentur,
 quoadusque altera Sententia super nullitate ema-
 naverit, a qua intra decem dies non sit appel-
 latum, vel appellatio interposita deserta deinde
 fuerit; Sed ulterius ut contrahens, vel contra-
 hentes Matrimonium hujusmodi, omnibus pœnis
 contra Poligamos a Saeris Canonibus, et Con-
 stitutionibus Apostolicis constitutis, omnino sub-
 jaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu,
 scientia, ac potestate, simili rursus statuimus,
 decernimus, ac renovamus.

Post uni-
 cam Sen-
 tentiam,
 sive ap-
 pellationem
 sit, sive
 non, ne-
 mini lice-
 at ad alia
 vota tran-
 sire.

Sub pœ-
 nis contra
 Poliga-
 mos sta-
 tutis.

§. 10. Posteaquam vero, appellationis bene- Defenso-

PONT. A. II. *ris officia eadem in secunda instantia.* ficio, ad alterum Judicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia, et singula quæcumque coram Judice in prima instantia servanda præfinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte, ac diligenter custodientur, citato in quolibet Judicii actu Defensore matrimonii, qui voce, et scripto matrimonii validitatem strenue, ac pro viribus tuebitur. Et si

Illius electio ad quem spectet.

Judex in secunda instantia fuit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicæ Nuncius, aut Episcopus vicinior; Matrimonii Defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quæ a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem Judex in secunda instantia erit Judex Commissarius, cui a Sede Apostolica causæ cognitio demandata sit, et qui Tribunal, et jurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat Defensore Matrimonii, volumus, ut illo Defensore Matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cujus Diocesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam Sententiam in eadem causa pronunciaverit.

Novas nuptias contrahere liceat post duas conformes, nisi appellatum sit.

§. II. Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda Sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda, æque ac in prima, nullum, ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea Pars, vel Defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit: in potestate, et arbitrio Conjugum

Vel alias prohibi- tum.

sit novas nuptias contrahere; dummodo alicui eorum, ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram Sententiam conformem, ut supra, Conjugibus facta intelligatur, et locum habeat, salvo semper, et firmo remanente jure, seu privilegio causarum matrimonialium, quæ ob cujuscumque temporis lapsum nunquam trans-eunt in rem iudicatam; sed si nova res, quæ non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in iudicalem con-

Vel nisi aliquid novi detegatur.

troversiam revocari; quod si a secunda Sententia super nullitate, vel altera Pars appellaverit, vel hujusmodi sit, ut ei, salva conscientia, Defensor Matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste injusta, vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius præcedentis super validitate in secunda instantia emanatæ, volumus, ut, firma remanente utrique Conjugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quassı contrahere ausi fuerint, pœnis, ut præfertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia, vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quæ a Nobis in prima, et secunda instantia demandata fuerunt, nempe, in quolibet judiciali actu, citato, et audito Defensore matrimonii, qui a Judice tertiæ instantiæ deputatus fuerit.

§. 12. Defensor autem Matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate et Ecclesiæ reverentia, in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede, aut salario, aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius Causæ Judice ei constituitur, et ab ea Parte, quæ pro validitate Matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus, a Judice primæ, vel secundæ, vel tertiæ instantiæ respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum Tribunalium redactas, vel redigendas, et in opera pia erogandas, in hujusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero Judices causæ erunt Judices Commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus, ac mandamus, ut Defensori Matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cujus Diœcesi Judex Commissarius, juxta Sedis Apostolicæ mandatum, judicium exercebit.

§. 13. Hactenus quidem quoad Causas Matrimoniales, quæ extra Romanam Curiam pertractantur: Quoad Causas vero, quæ Romæ disceptandæ sunt, cum earum cognitio in prima in-

ANNO
1741.

Appellatio
semper
suspendit
executionem.

Et in quavis instan-
tia idem
Ordo ser-
vandus.

Salarium
Defensori
volenti a
quo, et
unde con-
stitui de-
beat.

Eadem
omnia ser-
ventur in
Curia.

PONT. stantia ad S. R. E. Cardinalem in præfata Urbe,
 A. II. ejusque Suburbis, et Districtu Vicarium no-
 strum in Spiritualibus pro tempore spectet; man-
 damus, ac jubemus, ut omnia, et singula, quæ
 in aliis causis extra Romanam Curiam pertra-
 ctandis præscripta fuerunt, nempe ut judicium
 peragatur, citato, et audito Defensore Matrimo-
 nii ab eodem Cardinali Vicario deputato,
 aliaque, ut supra, omnino serventur: Tum etiam
 in aliis causis, quæ in prima instantia, ex con-
 sensu Partium, vel in secunda, per appellatio-
 nem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, in-
 terpositam, vel in tertia, Romam deferuntur;
 quas omnes judicari volumus, vel in Congre-
 gatione S. R. E. Cardinalium super interpreta-
 tione, et executione Concilii Tridentini, vel in
 causarum Palatii nostri Auditorio, dummodo
 Nobis, et Romano Pontifici pro tempore justis
 ex causis non videatur particularis Congregatio
 S. R. E. Cardinalium, vel Romanæ Curiae Præ-
 latorum deputanda. Cum autem causa super ma-
 trimonii nullitate agitabitur in dicta Congre-
 gatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini
 Interpretum, Defensor Matrimonii a Cardinali
 Præfecto ejusdem Congregationis, si vero in Pa-
 latii nostri Auditorio, ab Auditore Decano præ-
 fati Tribunalis, si demum in Congregatione par-
 ticulari, a Persona ejusdem Congregationis di-
 gniore deputetur.

Defen-
 soris elec-
 tio ad
 quem ibi
 pertineat.

Iteratum
 examen
 Causæ
 semper
 necessa-
 rium.

Coram
 quibus re-
 spectively
 facien-
 dum sit.

§. 14. Unica quidem resolutio pro nullitate
 Matrimonii emanata, si causa in Congregatione
 Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum,
 vel in Congregatione particulari deputata cogno-
 scatur, et similiter in Palatii nostri Auditorio,
 unica Sententia super eadem nullitate pronun-
 ciata minime sufficiat ad tribuendam liberam
 Conjugibus facultatem novas nuptias contra-
 hendi. Sed, si causa in præfata Congregatione
 Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum in-
 troduca fuerit, rursus in eadem, ad Defensoris
 Matrimonii instantiam, reproponatur; Si vero
 Congregationi particulari commissa fuerit, ad

ANNO
1741.

petitionem ejusdem Defensoris, altera etiam particularis Congregatio deputabitur; Si vero in Palatii nostri Auditorio judicata sit a præfato Defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus juxta ordinem in gyrum, seu turnum definiatur; Si autem causa universo Tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur: nolentes omnino, ut ullo in casu Matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata, vel resolutiones; aut Sententiæ penitus similes, et conformes, a quibus neque Pars, neque Defensor Matrimonii crediderit appellandum, emanaverint. Quod si secus factum fuerit, et novum initum Matrimonium, nostræ voluntatis hujusmodi transgressores pœnis a Nobis, ut supra, statutis submittantur.

§. 15. Et quoniam sæpe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione Matrimonii rati, et non consummati, quæ ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam, a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent; ut hujusmodi instantiæ ordine, ac rite procedant, volumus, ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, et accurata totius facti species contineatur, causæque omnes in eo exprimantur, quæ ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex. eo lecto, et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem rejiciat, vel ejus examen alicui ex dictis Congregationibus committat; a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario ejusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia judicabit, an Congregationis Resolutio sit approbanda, vel potius totius causæ examen alteri Congre-

Instantiæ
pro dispensatione
Matrimonii
rati, et
non consummati,
non recipiantur,
absque remissione
Pontificis

Nec absque ejus
Oraculo
definiantur.

PONT. gationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici
A. II. videbitur, rursus committendum.

Perpetuus §. 16. Demum volumus, ac decernimus,
præsen- easdem præsentem literas semper firmas, et va-
tium vi- lidas, et efficaces existere, et fore, suosque ple-
gor, sub- narios, et integros effectus sortiri, et obtinere,
lata etc. ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore
quandocumque spectabit, in omnibus, et per
omnia plenissime, et inviolabiliter observari.
Sicque, et non aliter per quoscumque Judices
Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Pa-
latii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E.
Cardinales, etiam de latere Legatos, et S. Sedis
Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præemi-
nentia, et potestate fungentes, et functuros sub-
lata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judi-
candi, et interpretandi facultate, et auctori-
tate, ubique judicari, et definiri debere, ac
irritum, et inane, si secus super his a quoquam
quavis auctoritate scienter, vel ignoranter con-
tigerit attentari. Non obstantibus præmissis,
ac Constitutionibus, et ordinationibus Aposto-
licis, necnon quibusvis, etiam juramento, con-
firmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia
roboratis, Statutis, et consuetudinibus, privi-
legiis quoque, indultis, et literis Apostolicis sub
quibuscumque tenoribus verborum, et formis,
ac cum quibusvis etiam derogatoriis deroga-
toriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clau-
sulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam
motu, scientia, et potestatis plenitudine pari-
bus in genere, vel in specie, seu aliàs quomo-
dolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Qui-
bus omnibus, et singulis, etiam si pro illorum
sufficienti derogatione de illis eorumque totis
tenoribus specialis, specifica, expressa, et indi-
vidua, ac de verbo ad verbum, non autem per
clausulas generales idem importantes mentio,
seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua
alia exquisita forma in illis tradita observata
eisdem præsentibus pro expressis, et insertis
habentes, illis aliàs in suo robore permansuris,

Quibus-
cumque
non ob-
stantibus

ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat ANNO
 expresse derogamus, cæterisque contrariis qui- 1741.
 buscumque.

§. 17. Volumus autem, ut præsentēs Literæ Publica-
 in valvis Ecclesiæ Lateranensis, et Principis tionis ef-
 Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, fectus, et
 ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, exemplo-
 publicentur, et affigantur, sicque publicatæ, rum au-
 et affixæ, omnes, et singulos, quos illæ concer- ctoritas.
 nunt, perinde arcent, et afficiant, ac si uni-
 cuique eorum nominatim, et personaliter inti-
 matæ fuissent, quodque earundem præsentium
 transumptis, seu exemplis, etiam impressis,
 manu alicujus Notarii publici subscriptis, et si-
 gillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica
 constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in
 judicio, quam extra illud ubique adhibeatur,
 quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent
 exhibitæ, vel ostensæ.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat Sanctio.
 hanc paginam Nostri decreti, statuti, constitu-
 tionis, prohibitionis, revocationis, annullatio-
 nis, declarationis, mandati, ac voluntatis in-
 fringere, vel ei ausu temerario contraire; Si
 quis autem hoc attentare præsumpserit, indi-
 gnationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, et
 Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.
 Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno
 Incarnationis Dominicæ millesimo septingente- Dat. die
 simo, quadragesimo primo, tertio nonas No- 3. Novem-
 vembris, Pontificatus Nostri Anno II. bris 1741.

D. Carl. Passioneus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Publicat. die 29. ejusdem Mensis, et Anni.

PONT.
A. II.

XXXIV.

DECLARATIO,

Cum Instructione, super Dubiis respicientibus
MATRIMONIA in Hollandia, et Belgio con-
tracta, et contrahenda.

Dubium **M**ATRIMONIA, quæ in locis Fœderatorum Or-
super va- dinum dominio in Belgio subjectis iniri solent,
litudine sive inter Hæreticos ex utraque parte, sive inter
Matr. cum Hæreticum ex una parte Virum, et Catholicam
Hæreticis Fœminam ex alia, aut viceversa, non servata
contract. forma à Sacro Tridentino Concilio præscripta,
in Domi- utrum valida habenda sint, nec ne, diu mul-
niis Ordi- tumque disceptatum est, animis hominum, ac
num Fœ- sententiis in diversa distractis: Id quod satis
derat. non uberem anxietatis, ac periculorum sementem
servata per multos annos subministravit, quum præser-
forma tim Episcopi, Parochi, atque illarum Regionum
Conciliï Missionarii, nihil certi hac super re haberent,
Trident. nihil vero inconsulta Sancta Sede auderent sta-
tuere, ac declarare. Cum autem, proxime evo-
lutis annis, in tam ancipiti, gravique causa
Apostolicæ Sedis iudicium vehementius expos-
ceretur, urgeretque id imprimis vigilantissimus
Iprensis Episcopus, dum pro debito Officii sui,
et sua erga B. Petri Cathedram observantia, de
Ecclesiæ sibi concreditæ statu ad Romanum Pon-
tificem referebat, ponendumque omnino esse
tam prolixæ dubitationi finem, gravissimis ver-
bis, ac rationibus persuaderet: Clemens XII.
Quod a id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravi-
Clemente tatem, quantum oportebat, æstimaret, Sacræ
XII. re- Congregationi Eminentiss. Cardinalium Concilii
mittitur Tridentini Interpretum in mandatis dedit, ut
Congreg. de tota controversia diligenter more suo cognos-
Conciliï. sceret. In re itaque tanti momenti volens ead-
dem Sacra Congregatio quam accuratissime pro-
cedere, commissæ sibi cognitionis initium ab

exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum Relationibus, atque sententiis, quas desuper explorari satigit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit præstantes aliquot hujus Almæ Urbis Theologos, quibus injunxit, ut rem totam ea qua decet, maturitate discuterent, suamque opinionem proferrent.

§. 1. At dum hæc maxime agerentur, super-
sedendum per aliquot Menses fuit ab istiusmodi
Causæ expeditione, propter viduitatem, quæ
intercidit Romanæ Ecclesiæ, donec ad Summum
Pontificatum feliciter evector Sanctissimus D.
N. BENEDICTUS XIV. inter primas Regiminis
suae curas, Causæ hujus cognitionem repeti jus-
sit a memorata Sacra Congregatione Concilii,
quam voluit coram se haberi, ut, auditis Emi-
nentissimorum Patrum Sententiis, ipse demum,
quid hac de re tenendum foret, supremo suo
pronunciaret oraculo. Cum igitur Congregatio
præfata sub die 13. Maji currentis anni 1741.
coram Sanctitate Sua fuerit habita, idem San-
ctissimus D. N. spatio aliquo temporis ad rem
secum expendendam accepto, hanc nuper De-
clarationem, et Instructionem exarari præcepit,
qua veluti certa regula, ac norma, omnes Belgii
Antistites, Parochi, earumque Regionum Mis-
sionarii, et Vicarii Apostolici deinceps in hu-
jusmodi negotiis uti debeant.

§. 2. Primo scilicet, quod attinet ad Matri-
monia ab Hæreticis inter se in locis Fœderato-
rum Ordinum dominio subjectis celebrata, non
servata forma per Tridentinum præscripta, licet
Sanctitas Sua non ignoret, aliàs in casibus qui-
busdam particularibus, et attentis tunc expositis
circumstantiis, Sacram Congregationem Concilii
pro eorum invaliditate respondisse; æque tamen
compertum habens nihil adhuc generatim, et
universe super ejusmodi Matrimoniis fuisse ab
Apostolica Sede definitum, et alioquin oportere
omnino ad consulendum universis Fidelibus in
iis locis degentibus, et plura avertenda gravis-
sima incommoda, quid generaliter de hisce Ma-

ANNO
1741.

BENEDI-
CTUS
XIV. Con-
gregatio-
nem co-
ram se
convocat.

Declarat
valida Ma-
trimonia
ibidem in
ter Hære-
ticos con-
tracta.

PONT. trimoniis sentiendum sit, declarare; negotio
 A. II. mature perpenso, omnibusque rationum mo-
 mentis hinc inde sedulo libratis, declaravit,
 statuitque, Matrimonia in dictis Fœderatis Bel-
 gii Provinciis inter Hæreticos usque modo con-
 tracta, quæque impostero contrahentur, etiamsi

Ideo, si
 ambo Con-
 juges ad
 Fid. Cath.
 redeant,
 consen-
 sum non
 esse reno-
 vandum.

Si unus
 converta-
 tur, cum
 ad alias
 nuptias
 transire
 non posse

Nuptias
 a Catholi-
 cis cum
 Hæreticis
 contra-
 ctas dete-
 statur.

forma a Tridentino præscripta non fuerit in iis
 celebrandis servata, dummodo aliud non obsti-
 terit canonicum impedimentum, pro validis
 habenda esse; Adeoque si contingat, utrumque
 Conjugem ad Catholicæ Ecclesiæ sinum se re-
 cipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo
 ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus
 coram Parocho Catholico ab eis non renovetur;
 Sin autem unus tantum ex Conjugibus, sive
 Masculus, sive Fœmina, convertatur, neutrum
 posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias
 nuptias transire.

§. 3. Quod vero spectat ad ea Conjugia, quæ
 pariter in iisdem Fœderatis Belgii Provinciis,
 absque forma a Tridentino statuta, contrahun-
 tur a Catholicis cum Hæreticis, sive Catholicus
 Vir Hæreticam Fœminam in Matrimonium du-
 cat, sive Catholica Fœmina Hæretico Viro nu-
 bat, dolens imprimis quam maxime Sanctitas
 Sua, eos esse inter Catholicos, qui insano amore
 turpiter dementati, ab hisce detestabilibus Con-
 nubiiis, quæ S. Mater Ecclesia perpetuo damna-
 vit, atque interdixit, ex animo non abhorrent,
 et prorsus sibi abstinendum non ducunt, lau-
 dansque magnopere zelum illorum Antistitum,
 qui, severioribus propositis spiritualibus pœnis,
 Catholicos coercere student, ne sacrilego hoc
 vinculo sese Hæreticis jungant; Episcopos
 omnes, Vicarios Apostolicos, Parochos, Missio-
 narios, et alios quoscumque Dei, et Ecclesiæ
 fideles Ministros in iis Partibus degentes, serio,
 graviterque hortatur, et monet, ut Catholicos
 utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis in pro-
 priarum Animarum perniciem ineundis, quan-
 tum possint, absterreant, easdemque Nuptias
 omni meliori modo intervertere, atque effica-

citer impedire satagant. At, si forte aliquod hujus generis Matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum jam sit, aut imposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat; declarat Sanctitas Sua, Matrimonium hujusmodi, alio non occurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex Conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse, sub obtentu dictæ formæ non servatæ, novum Matrimonium inire. Id vero debere sibi potissime in animum inducere Conjugem Catholicum, sive Virum, sive Fœminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, pœnitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum Conjugem a vera Fide deerrantem ad gremium Catholicæ Ecclesiæ pertrahere, ejusque Animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de cetero, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

ANNŌ
1741.

Validas
tamen pro
nunciat,
etiam non
servata
forma etc.

Quid fa-
ciendum
Conjugi
Catholico

§. 4. Ad hæc declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hactenus sancitum, dictumque est de Matrimoniis sive ab Hæreticis inter se, sive inter Catholicos, et Hæreticos in locis Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis, sancitum, dictumque intelligatur etiam de similibus Matrimoniis extra fines Dominiæ eorumdem Fœderatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt Legionibus, seu Militaribus Copiis, quæ ab iisdem Fœderatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque Arces conterminas, vulgo dictas *di Barriera*; Ita quidem, ut Matrimonia ibi præter Tridentini formam, sive inter Hæreticos utrinque, sive inter Catholicos, et Hæreticos inita, valorem suum obtineant, dummodo uterque Conjux ad easdem Copias, sive Legiones pertineat; Et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam Civitatem Mosæ Trajectensis, a Republica Fœderatorum Ordinum, quamvis non jure dominiæ,

Idem ju-
dicandum
edicit
quoad per-
sonas ad-
dictas Præ-
sidiis Lo-
corum
» di Bar-
» riera. »

Et inco-
las Civi-
tatis Mo-
sæ Tra-
ject.

PONT. sed tantum oppignorationis, ut ajunt, nomine
A. II. possessam.

Domi- §. 5. Tandem circa Conjugia, quæ contra-
ciliarii huntur, vel in Regionibus Principum Catholi-
Provincia corum ab iis, qui in Provinciis Fœderatis do-
rum Fœd. micilium habent, vel in Fœderatis Provinciis
in regio- ab habentibus domicilium in Regionibus Catho-
nubentes licorum Principum, nihil Sanctitas Sua de novo
in regio- decernendum, aut declarandum esse duxit;
nibus Ca- volens, ut de iis, juxta canonica juris commu-
tholico- nis principia, probatasque in similibus casibus
rum et vi- volens, ut de iis, juxta canonica juris commu-
ce versa, nis principia, probatasque in similibus casibus
subsint alias editas a Sacra Congregatione Concilii re-
juri com- solutiones, ubi disputatio contingat, decidatur.
muni. Et ita declaravit, statuitque, ac omnibus im-
Die 4. No- posterum servari præcepit. Die 4. Novemb. 1741.
vembri-
1741.

A Card. Gentili S. C. Concilii Præf.

C. A. Arch. Philippen. Secr.

XXXV.

MATRIMONIA

Occulta, quibus, et quomodo sint permittenda;
quibusque cautelis celebranda, et in actis
describenda: Quomodo consulendum edu-
cationi, et indemnitati Proles.

*Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Pri-
matibus, Archiepiscopis, et Episcopis*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Matri-
monia pa-
lam cele-
brari ju-
bet Eccle-
sia.

SATIS Vobis compertum esse non dubitamus,
Venerabiles Fratres, eam semper fuisse piæ Ma-
tris Ecclesiæ vigilem curam, ut Sacramentum
Matrimonii, *Magnum* ab Apostolo nuncupatum,

publice, et palam a Fidelibus celebretur. Quod quidem, ut diligentius, quam antea factum fuerat, imposterum ab omnibus observaretur, Sancta Tridentina Synodus, Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo, præcepit, ut imposterum, antequam

ANNO

1741.

Concilii
Tridentini
Decre-
tum.

Matrimonium contrahatur, ter a proprio Contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnias publice denuntietur; deindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie Ecclesiæ, coram Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus Testibus præsentibus, rite procedatur. Voluit etiam eadem Sancta Synodus, apud Parochum diligenter Librum custodiri, in quo Conjugum, et Testium nomina, diesque, et locus Matrimonii describantur.

§. 1. Providæ tamen hujusmodi leges, tanta auctoritate saluberrime institutæ, prava horum temporum conditione sensim prolabi visæ sunt, et enerves propemodum reddi, ob Matrimonia usu nimis recepta, quæ occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliueretur, et in tenebris ignorantia perpetuo jaceat consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis præviis factis Denunciationibus, coram solo Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia adhibita præsentia tantum duorum Testium apposite a Contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta; remque peragi sæpe extra Ecclesiam, quandoque etiam intra illam, januis tamen occultis, vel eo temporis momento, quo semota alterius cujusvis præsentia, scientia initi Matrimonii, præter Parochi, Contrahentium, Testiumque personas, alios penitus effugiat.

Contra-
rius usus
nimis fre-
quens.

§. 2. Quantum a Sacramenti dignitate, et ab Ecclesiasticarum legum præscripto occulta hæc Matrimonia, *Conscientiæ* vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque con- quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos il-

Mala et
peccata
inde con-
sequentia

PONT.
A. II.

lorum effectus convertat. Hinc enim gravia ortum habent peccata, præsertim vero eorum, qui Divini Judicii interminatione posthabita, priore Uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri Matrimonii decepta, et in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorundam vero mentem ita pravæ cupiditates excœcant, ut novum contrahere secretum Matrimonium audeant, post alterum secreto itidem contractum, et nondum prioris Conjugis morte solutum, seseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiæ devenere, ut in hujus magni Sacramenti contemptum, post primas secreto initas, et alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, sese audacius polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his Matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quamcumque Matrimonii suspicionem submovendam, Virum seorsim a Muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitæ consuetudo, et contemptum est verbum Domini: *Adhærebit homo Uxori suæ, et erunt duo in carne una*: Sin hæc vitæ consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis non arguat, et utpote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandala dispendia rependit subsecuta celebratio occulti Matrimonii, quod in tenebris delitescit, et ab omnibus ignoratur.

Prolis
damna spiritalia,
et temporalia.

§. 3. Leviora quoque damna non sunt, quæ susceptæ Proli irrogantur. Sæpe enim contingit, illam a Parentibus, et a Matre præsertim amotam, nec pie, nec liberaliter institui; sed incertis fortunæ casibus objectam relinqui, nisi etiam Parentes ipsi, contra naturæ leges; ausu nefario illius vitæ insidientur. Ubi vero tam immane facinus Parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat; alia imminet Liberis susceptis ex occulto Matrimonio lugenda Avitarum facultatum, et Bonorum jactura, pro quorum

possessione assequenda quamvis elament jura sanguinis, illis tamen careant necesse est, propter occulta Parentum Matrimonia, et ademptam legitimitatis, et Filiationis probationem.

ANNO
1741.

§. 4. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta Matrimonia contracta a Filiisfamilias contra Patris juste dissentientis voluntatem: ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in Minoribus Ordinibus constituti Pensiones, et Beneficia, ad Divinum Cultum, et Ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam Matrimonium retinuerint, sibi que de mammona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

Filiorum familias, et Clericorum excessus.

§. 5. Deslenda hæc igitur potius uberibus lacrymis, quam latiore calamo explicanda malorum congeries, cum ex hac Apostolicæ Sedis specula omnes sibi vindicet nostræ vigilantix curas; temperare non possumus, quin Vos ipsos, Venerabiles Fratres, in partem nostræ sollicitudinis evocantes, vestram pietatem, et zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super Grege Vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio Vos reddat difficiliores ad remittendum Publicationes, a quibus contracturi Matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute, solerterque oporteat ea in re Episcopos versari, non obscura Vobis a Concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem Sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si præcesserint Denunciationes; tunc vel una tantum Denunciatio fiat; vel saltem Parocho, et duobus Testibus præsentibus, Matrimonium celebretur, et deinde ante illius consummationem Denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Præterea licet Episcopo relictum sit omnimode super Denunciationibus dispensare, hæc

Ideo moventur Episcopi, ne facile dispensent a publicationibus.

PONT. tamen facilitas, non a sola Dispensantis volun-
 A. II. tate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis
 prudentiæ, discretique arbitrii legibus; quod
 idem est, ac legitimam causam dispensationis
 requirere.

Nec teme- §. 6. Parem quoque, imo fortasse majorem
 mere per- vigilantiam necesse est a Vobis adhiberi, ne,
 mittant post remissas Denunciationes, celebretur Matri-
 Matrimo- monium coram Parocho, vel alio Sacerdote ab
 nia secre- ipso Parocho, vel a Vobis deputato, præsentibus
 to iniri. duobus, vel tribus Testibus confidentibus, ne
 ulla celebrationis notitia, vel rumor oriantur.
 Id enim, ut ad præscriptum Sacrorum Cano-
 num licite fieri possit, non satis est obvia quæ-
 vis, et vulgaris causa, sed gravis, urgens, et
 urgentissima requiritur. A Sacro Nostræ Pœni-
 tentiariæ Tribunali, eo potissimum casu fit po-
 testas ita celebrandi Matrimonium, quo Vir,
 et Fœmina in figura Matrimonii publice degen-
 tes, et de quibus nulla viget criminis suspicio,
 in occulto tamen Concubinato perseverent:
 Facile enim quisque conjiciet, quam absonum
 esset, eos, a statu damnationis per gratiam
 Sacramenti revocandos, ad publice contrahen-
 dum Matrimonium præviis Denunciationibus com-
 pelli. Hanc vero praxim Vobis duximus propo-
 nendam, non quia Dispensatio præmisso casui
 solum congruat, cum alii similes, et fortasse
 urgentiores esse possint, in quibus dispensari
 expediat; sed quia Vestri Pastoralis Officii par-
 tes versari debent in sedulo investiganda legi-
 tima, et urgenti causa Dispensationis, ne Ma-
 trimonia occulte celebrata luctuosos habeant
 exitus, quos intimo cordis mœrore recensuimus.

Qualita- §. 7. Hunc porro in scopum Vos hortamur,
 tes Peten- et impense admonemus, ut Personarum Matri-
 tium dili- monium secreto contrahere petentium diligens
 genter ex- fiat a Vobis inquisitio: An scilicet ejus quali-
 pendent. tatis, gradus, et conditionis sint, quæ id probe
 exposcant; an sint sui, vel alieni juris; An Fi-
 liifamilias, quorum nuptiæ Patri juste dissen-
 tienti sint invisæ: ab Episcopali etenim, quod

geritis, munere nimium esset alienum, facilem præberi Filio inobediendiæ occasionem; An res sit de Personis Ecclesiasticis, licet in Minoribus Ordinibus constitutis, Pensiones, et Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu Uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet Vestra sollicitudo, antequam secreti Matrimonii licentia concedatur, quod Contrahentes clara, et indubia, et a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sint ingenii, polygamix periculum.

§. 8. Quod attinet ad Ministrum secreti Matrimonii, volumus ad id munus deputari Parochum alterius ex Contrahentibus, quem notitia Personarum, experientia, et diuturnus rerum usus, quovis Sacerdote extraneo peritiorum effecisse præsumuntur. Si quæ tamen Vobis occurrant circumstantiæ, quæ alium Sacerdotem loco Parochi exposcere videantur; gravi impellente causa: is Sacerdos a Vobis eligatur, qui probitate, et doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur.

§. 9. Uni tamen, aut alteri Sacramenti Ministro a Vobis deputando districtè præcipiatur, ne Matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate Conjuges in Domino monuerit, Sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere sacro Baptismatis lavacro; ac Christo Judici districtam reddituros esse rationem, nisi Filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, et frui patientur Bonis temporalibus, a Majoribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

§. 10. Celebrato autem Matrimonio, indilate a Parocho, vel alio Sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci, et temporis, Testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, quod ad perennem gestæ rei memoriam, præfatum documentum fideliter transcribatur in Libro prorsus

ANNO
1741.

Et præcipue eorum statum liberum.

Sacerdotem extraneum sine causa non deputent.

Contrahentes moneantur de ipsorum debito.

Matrimonii occultis documenta Episcopo exhiberi, in acta referri, et caute servari jubentur.

PONT. distincto ab altero, in quo Matrimonia publice
 A. II. contracta de more adnotantur. Hujusmodi Liber
 pro Matrimoniis secretis apposite compactus,
 clausus, et Sigillis obsignatus, in vestra Epi-
 scopali Cancellaria caute erit custodiendus: Et
 eo tantum casu resignari, et aperiri vestra ac-
 cedente licentia patiemini, quo alia id genus
 Matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet
 justitiæ administrandæ necessitas, vel de-
 mum aliquod documentum ab eo exposcant
 verum interesse habentes, quibus probationum
 aliunde petendarum non suppetit copia: Sedulo
 tamen animadvertentes, quod, re absoluta,
 denuo claudatur, et Sigillis, ut antea, obsigne-
 tur. Fides, seu Attestationes clam celebrati Ma-
 trimonii, a Parocho, vel Sacerdote, qui vices
 Parochi gessit, exarandæ, Vobisque exhibendæ,
 transcribantur in dicto Libro, prout jacent,
 de verbo ad verbum, a Persona a Vobis depu-
 tanda, quæ apud omnes integritatis, probati-
 que nominis luculentum habeat testimonium.
 Fides vero, et Attestationes ipsæ in secretiori
 loco, sartæ, tectæque a Vobis serventur.

Proles
 tempesti-
 ve bapti-
 zari.

Ejusque
 nativitas
 Episcopo
 denuncia-
 ri.

Et in Ac-
 tis rite de-
 scribi de-
 bet.

§. II. Quod si ex occulto hujusmodi Matri-
 monio Prolem nasci contingat, eadem munde-
 tur salutari Aqua Baptismi in Ecclesia, in qua
 aliis Infantibus hoc Sacramentum indistincte
 confertur. Et quia ad operiendum clam initum
 Matrimonium, facile est in Libro Baptizatorum
 nullam fieri mentionem Parentum, et eorum
 Nomina consulto reticere: Volumus, ac expresse
 mandamus, quod a Patre Baptizati, eoque de-
 functo, ab illius Matre, suscepta Proles vobis
 denunciatur; dictaque Denunciatio fiat, vel im-
 mediate per Parentes ipsos, vel per literas eo-
 rum caractere exaratas, vel per fide dignam
 Personam ab ipsis Parentibus designatam, ut
 certo, et clare Vobis constet, quod Proles tali
 loco, et tempore, vel reticitis, vel falso ex-
 pressis nominibus Parentum, baptizata, est le-
 gitima, licet occulti Matrimonii foedere procreata.
 Quæ sane omnia cum Vobis innotuerint, ne

illorum excidat memoria, in Libro fideliter describentur ab eo, cui facta a Vobis est potestas adnotandi Matrimonia occulte celebrata. Liber, in quem Baptizatorum, ac utriusque Parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero Matrimoniorum; eadem tamen diligentia, iisdemque cautelis in Cancellaria Episcopali clausus, et sigillis obsignatus, erit custodiendus, prout Librum Matrimoniorum caute custodiri supra mandavimus.

ANNO
1741.

§. 12. Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriæ conscientiæ vocibus obsurdescant, et nostris hisce mandatis parere negligant; debita pœnarum districtione pro modo culpæ a Vobis puniantur. Quinimmo cum satis Nobis experientia compertum sit, in hujusmodi negotiis homines, in terram oculos declinantes, ob humanos respectus tardiores effici, et a recte agendi semita revocari: Mandamus idcirco, Matrimonia occulta a Vobis evulgari, et nota fieri, si certo Vobis constiterit, ex aliquo Matrimonio occulto procreatam fuisse Sobolem, et baptizatam suppressis Parentum nominibus, nulla præstita Vobis notitia, ut par erat, ab illius Parentibus, intra triginta dies a Nativitate numerandos.

Contra-
venienti-
um pœna,
a Matrimo-
nii divul-
gatio.

§. 13. Ne autem Contumaces, et Inobedientes, violatæ fidei, proditique Secreti Pastores suos insimulent; sedulo a Vobis curandum est, ut a Parocho, vel alio Sacerdote pro secreta celebratione Matrimonii a Vobis deputando, Conjuges clare, et aperte moneantur, ea lege, et pacto illis permitti Secreti Matrimonii celebrationem, ut Soboles inde procreanda non solum regeneretur Sacro Baptismate, sed post Baptisma denuntietur Episcopo cum nota loci, et temporis administrati Sacramenti, ac sincera indicatione Parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum supra præmissum est; alioquin matrimonium, licet contractum data per Episcopum Secreti fide, in lucem proferetur, in

Prædicta
omnia
contra-
hentibus
edicenda.

PONT. gratiam Filiorum, et ad propulsandam ab illis
A. II. gravem, nulloque pacto ferendam jacturam.

Regestis §. 14. Volumus denique, ac mandamus, Fides,
secretis seu Attestationes Matrimonii clam initi, et So-
auctora- bolis ex eo procreatæ, excerptas ex dictis Li-
tas tribui- bris, modo, quo dictum est, apud Vos caute
tur. custodiendis, tantam promereri fidem, quantam
sibi alii Libri Parochiales Baptismatis, et Ma-
trimonii vindicare consueverunt.

Adhor- §. 15. Hæc a Vobis, Venerabiles Fratres, in
tatio ad hac temporum calamitate observari enixe præ-
Episco- cipimus, ad communem Animarum salutem,
pos. et ad præsidium, Ecclesiasticæ disciplinæ, pro-
pter invalescentem hominum malitiam nova
semper detrimenta vel patientis, vel reformi-
dantis. Cæterum nostris hisce literis sublata
nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo
in diem ingruenti consona dignoscet prudentia
vestra, ad Pastorale officium cumulate obeun-
dum. Vobis interea paternæ charitatis, et be-
nevolentia testem, Apostolicam Benedictionem
impertimur.

Dat. die Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majo-
17. Nov. rem die 17. Novembris 1741. Pontificatus Nostri
1741. Anno II.

BEATIFICATIONES

XXXVI.

Servorum Dei, et Beatorum Canonizationes in Basilica Principis Apostolorum peragi debere statuitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Sepulcra Apostolorum, quorum consecrata Proœmi-
Sanguine Roma, quæ fuerat Magistra erroris, um.
facta est discipula veritatis; ad Sacros Beati
Petri cineres, super ejus fidei firmitate ex-
structa totius sacri ædificii Cœlo inserenda con-
surgit sublimitas, Romana Mater Ecclesia in
suis triumphat Filiis, qui, calcatis Mundi blan-
ditiis, et infernalis hostis superatis insidiis, ad
præmia pervenerunt æterna, et quos inter San-
ctos Dei Servos, et cœlestis beatitudinis con-
sortes, congruo devotionis cultu venerandos, Ro-
mani Pontificis a Christo Domino accepta, et
per Petrum ad Successores suos derivata decernit
auctoritas. Quæ igitur a Romanis Pontificibus
Prædecessoribus nostris prudenti consilio, et
provida ratione instituta sunt, et longo deinde
usu recepta, pie sancteque servata, Nos, quo-
rum humilitatem ineffabilis Dei benignitas ad
Cathedram Petri evehere dignata est, decet di-
ligenter servare, et studiose custodire, et si
quid vel temporum, vel rerum varietate im-
mutatum est, in integrum restituere, et ad pri-
stinam rationem, ac formam revocare, atque
alia disponere, prout in Domino videtur ex-
pedire.

PONT. §. 1. Sane quidem omnes, et singulas Beatorum
 A. II. Canonizationes in Urbe nostra peragendas in
 Pontifex Basilica B. Petri Apostolorum Principis semper
 refert mo- peractas fuisse, antiqua ac fide digna testantur
 rem pera- monumenta: Cum autem fel. record. Benedictus
 gendi Can- Papa XIII. Prædecessor noster, a quo ad Car-
 noniza- dinalatus honorem assumpti fuimus, in eadem
 tiones in Vaticana Basilica Beatos Turribium ex Majorga,
 Basilica Jacobum a Marchia, Agnetem a Monte Poli-
 Vaticana. tiano, Peregrinum Latiosum, Johannem a Cruce,
 Franciscum Solanum, Aloysium Gonzagam,
 Stanislauum Kořtkam, et biennio post Beatam
 Margaritam a Cortona, Sanctorum cultu ho-
 norandos solemniter de more constituisset; ac
 Qui, ipso deinde Beatum Johannem Nepomucenum in
 dissen- Sanctorum numerum similiter referre vellet;
 tiente, se- ei persuasum est, ut id in Basilica nostra La-
 mel inter- teranensi solemniter ritu perageret. Nos, qui per
 ruptus id temporis Ecclesiæ Anconitanæ ex concessione,
 fuit sub et dispensatione Apostolica præeramus, eum-
 Bened. dem Benedictum Prædecessorem per nostras lit-
 XIII. teras certiore facere non prætermisimus, Bea-
 torum Canonizationes, quoties in Urbe faciendæ
 erant, nonnisi in Vaticana Basilica ab antiquo
 tempore celebrari consuevisse; et ad hujus-
 modi officium præstandum eo magis Nos teneri
 credidimus, quia per plures annos, dum in mi-
 noribus eramus, unus ex insignis ejusdem Basi-
 licæ Capituli Canonicis extitimus, et per plures
 etiam annos munere Promotoris Fidei functi
 fuimus. Tum autem Roma benigne Nobis re-
 sponsum est, quod in Basilica Lateranensi solem-
 nis apparatus pro Canonizatione ibidem habenda
 jam nimium processerat, nostræque literæ se-
 rius, quam oportebat, ad Urbem pervenerant.

Et iterum §. 2. Postmodum a piæ mem. Clemente PP.
 sub Cle- XII. similiter Prædecessore nostro ab Ecclesiæ
 men. XII. Anconitanæ, ad Ecclesiæ Bononiensis regimen
 Apostolica ejus auctoritate translatis Nobis signi-
 ficatum est, prædictum Clementem Prædeces-
 sorem BB. Vincentii de Paulis, Johannis Fran-
 cisci Regis, Catherinæ Fieschi Adorni, et Ju-
 lianæ

lianæ Falconeriæ Canonizationem propediem in Ecclesia Lateranensi solemniter celebraturum : Sed quoniam per id tempus jam primus Tomus Operis Nostri de Servorum Dei Beatificatione , et Beatorum Canonizatione in publicum editus fuerat , in quo nullam , ante præfati Benedicti Prædecessoris tempora , Beatorum Canonizationem in Urbe solemniter , nisi in dicta Basilica , celebratam fuisse satis superque demonstratum fuerat , ulterius animi nostri sensus aperire superfluum duximus.

§. 3. Præterea , cum ante fel. rec. Alexandri PP. VII. pariter Prædecessoris nostri tempora , nulla statuta esset solemnitas in Beatificatione Venerabilium Servorum , et Ancillarum Dei observanda , idemque ritum , et solemnitatem adhibendam in sacra functione hujusmodi , eamque debita cum pompa in Vaticana Basilica expleendam decreverit , ita semper posterioribus temporibus servatum est , ut omnes Beatificationes , in eadem Vaticana Basilica celebrarentur , usque ad præfati Benedicti XIII. tempora , quo Romanam Ecclesiam gubernante , quamvis in Vaticana Basilica Beatificatio Ancillæ Dei Beatæ Hiacynthæ Mariscottæ , et Servi Dei B. Joannis de Prado facta sit ; nihilominus Beatificatio Servi Dei B. Fidelis a Sigmaringa , paulo post Canonizationem B. Johannis Nepomuceni , in Basilica Lateranensi celebrata fuit. Post hanc vero Beatificationem in ejusdem Benedicti Pontificatu in Basilica Vaticana solemniter relati fuerunt in Beatorum numerum Servus Dei postea Beatus , et nunc Sanctus Vincentius de Paulis , et Servus Dei Beatus Petrus Forerius ; in Pontificatu autem Clementis XII. paulo post suprædictas Canonizationes in Basilica Lateranensi uno eodemque die unica solemnitate peractas , in eadem Basilica solemniter adscriptus est inter Beatos Servus Dei nunc Beatus Joseph a Leonissa : Cum autem a Nobis , ob ineffabilem Dei benignitatem Pontificatus honorem , ac onus gerentibus , decretum fuisset , ut inter Beatos

ANNO
1741.

Idem accidit quoad Beatificationes.

Non tamen sub Pontificatu SS. D. N.

PONT. Servus Dei Alexander de Saulis adscriberetur ,
A. II. solemnis ejusdem Beatificationis functio in Basilica Vaticana celebrata est.

Qui veterem consuetudinem Decreto suo firmat.

§. 4. Matura igitur consideratione perpenderit, quod a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris omnes Venerabilium Servorum et Ancillarum Dei Sanctificationes in Urbe nostra solemniter peragendæ, laudabili instituto, optimisque ex causis ab antiquissimo tempore in Vaticana Basilica, et quod ab Alexandri PP. VII. Prædecessoris nostri, et successivis deinde temporibus, Beatificationes quoque in eadem Vaticana Basilica, exceptis nonnullis supræmemoratis Canonizationibus, et Beatificationibus ab iisdem Prædecessoribus nostris Benedicto, et Clemente in Basilica Lateranensi peractis, semper celebratæ fuerunt: Ne igitur commendabili, et antiquæ consuetudini, prædictæ Vaticanæ Basilicæ prærogativæ hujusmodi, ex B. Johannis Nepomuceni Canonizatione, ac Venerabilis Servi Dei Fidelis a Sigmaringa Beatificatione a Benedicto, necnon ex Beatorum Vincentii de Paulis, et Johannis Francisci Regis, ac Beatarum Catharinæ Fieschi Adorni, et Julianæ Falconeriæ, respective Canonizatione, et Venerabilis Servi Dei Josephi a Leonissa Beatificatione, a Clemente, Prædecessoribus prædictis, in Ecclesia Lateranensi celebratis, præjudicium aliquod afferatur; hac nostra perpetuo valitura constitutione veterem consuetudinem, ac venerandum Prædecessorum nostrorum institutum, decretumque Alexandri Prædecessoris prædicti, ac integrum ejus tenorem Apostolica auctoritate approbantes, confirmantes, et innovantes, ac illis quodcunque Apostolicæ firmitatis robur adjicientes, motu proprio, ex certa scientia, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, decernimus, præcipimus, et constituimus, ut in posterum, et perpetuis inde futuris temporibus, omnes, et singulæ Venerabilium Servorum, et Ancillarum Dei Beatificationes, ac BB. Canonizationes in Urbe nostra prædicta pro tempore

Et prædictas Functiones deinceps in Basilica Sancti Pe-

celebrandæ, non in aliis, quam in Basilica Principis Apostolorum de Urbe prædicta, privative quoad reliquas Basilicas, Ecclesiasve ejusdem Urbis, celebrari omnino debeant; utque Canonizationes, et Beatificationes in eadem Ecclesia Lateranensi a Benedicto, et Clemente Prædecessoribus prædictis, ut præfertur, peractæ, nullo unquam tempore, perinde ac si in ea celebratæ non fuissent, præjudicium aliquod antiquo instituto, et Vaticanæ Basilicæ prærogativæ afferre valeant.

ANNO
1741.

tri fieri
mandat,
non ob-
stantibus
etc.

§. 5. Insuper quoniam ab eodem Alexandro Prædecessore nostro, usque ab anno 1659. alterum emanavit decretum super contributione, tam in Beatificationibus, quam in Canonizationibus, favore Sacrarii ejusdem Basilicæ faciendæ, quod a Nobis in prædicto Tomo primo Operis Nostri de Beatorum Canonizatione relatum est, motu, scientia, et potestate simili illud approbamus, et confirmamus, et quatenus opus sit, quæ ab ipso Alexandro Prædecessore decreta sunt, rursus decernimus, et constituimus, et in futurum ab omnibus inviolabiliter observari volumus, et mandamus.

Confir-
mat De-
cretum A-
lex. VII.
circa præ-
stationes
ejusdem
Basilicæ
Sacrario
debitas.

§. 6. Præsentes quoque, ex eo quod interesse ad præmissa habentes ad hoc vocati, et auditi non fuerint, aut ex alia quavis juridica, et legitima, etiam necessario exprimenda causa, vel quocumque prætextu, de intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, vel impugnari nullo unquam tempore posse, sed semper firmas, validas, et efficaces fore, et esse: Sicque, et non alias, per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ac quoscumque alios Judices quacumque judicandi facultate suffultos, judicari, et definiri debere, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate: irritum quoque, et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ
salutares.

Decretum
irritans.

PONT. §. 7. Non obstantibus Canonizationibus, et
 A. II. Beatificationibus in prædicta Ecclesia Latera-
 Deroga- nensi, ut præfertur, celebratis, ac nostræ, et
 tiones. Cancellariæ Apostolicæ regula, de jure quæsito
 non tollendo; necnon Constitutionibus, et ordi-
 nationibus Apostolicis, siquæ contra literarum
 nostrarum hujusmodi tenorem editæ existant,
 statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque,
 et indultis, quibus, illis aliàs in suo robore
 permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et
 expresse derogamus, ac derogatum esse volumus,
 cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio. §. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
 paginam nostri decreti, statuti, constitutionis,
 confirmationis, derogationis, et voluntatis in-
 fringere, vel ei ausu temerario contraire; Si
 quis autem hoc attentare præsumperit, indi-
 gnationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Pe-
 tri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit in-

Dat. die cursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam
 23. Nov. Majorem, nono Kal. Decembris Anno Incarna-
 1741. tionis Dominicæ millesimo septingentesimo qua-
 dragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno II.

D. Card. Passioneus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✕ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 13. Decembr. ejusdem anni.

PRÆSCRIBITUR

XXXVII.

Forma, et solemnitas in Exequiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium servanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

PRÆCIPUUM intimi amoris nostri, et sinceræ Pontificis studium in Christo caritatis erga Venerabiles Fratres erga S. R. Nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, E. Card. quos in Apostolicæ nostræ sollicitudinis partem viventes superna cœlestis Patrisfamilias evocat dispositio, atque defunctos, a Nobis exigit studium, ut quemadmodum omnia et singula, eis viventibus, eorumque sublimes dignitati debita privilegia, quantum in Domino possumus, firmo constantique animo tuemur, ita et eorundem ex hac mortali vita decedentium curam geramus, ut et ipsorum funera a Nobis, Romanisque Pontificibus Successoribus nostris, et ipsorum Cardinalium superstitem cœtu, stabili, ac solemniter, etsi lugubri, decorentur honore, et ipsorum animæ incruento Altaris Sacrificio, Ecclesiasticis precibus, ac supplicationibus juventur, quibus adjunctæ, omni macula diluta, quam in terreno hujus Sæculi pulvere contraxerunt, per merita Salvatoris nostri Christi Domini, cœlestem patriam ingrediuntur; ibique apud Patrem misericordiarum pro Nobis intercedant, Divinamque opem Nobis implorent in gravissimo Apostolici hujus ministerii onere ferendo, ut in fine diei repromissum laborantibus in Vineâ sua æternæ beatitudinis denarium a Domino recipere mereamur.

PONT. §. I. Cum itaque, sicut accepimus, postquam
 A. II. piæ memoriæ Benedictus Papa XIII. Prædeces-
 Cardinalium exequiæ vario ritu celebratæ
 sor noster, pie provideque attendens, quod ab
 aliquo tempore, et ante ejus Pontificatum,
 Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium pro tem-
 pore in Romana Curia decedentium exequiæ,
 quæ olim, et veteribus temporibus multifarie,
 sed augusta semper, et decenti pompa celebratæ
 fuerunt, tunc vero cum assistentia Sanctæ Ro-
 manæ Ecclesiæ Cardinalium superstitem cœtus,
 decantatis in eisdem exequiis a Regularibus ex
 Ordinibus Mendicantium tribus nocturnis De-
 functorum Officii, ut plurimum de Vespere, et si
 aliquando de mane, aliqua sic suadente causa,
 habitæ fuerant, numquam cum solemnibus Defun-
 ctorum Missæ celebratione, præsentem defuncti
 Cardinalis corpore, peragebantur; propterea,
 ut in exequiis celebrandis hujusmodi, solemnibus
 Missa prædicta semper, prout exigit pia Ecclesiæ
 consuetudo, præsentem defuncti Cardinalis Ca-
 davere, celebraretur, Cardinalibus ab onere
 interveniendi de vespere recitationi Officii De-
 functorum, non autem Fratribus ex Ordinibus
 Mendicantium a decantandi Nocturnos Officii
 prædicti obligatione exemptis, laudabilem per-
 sonaliter, una cum omnibus, et singulis Ordini-
 bus Capellas Pontificias constituentibus, ad
 exequias prædictas de mane celebrandas, in
 quibus præfata Missa solemnibus a Cardinale re-
 liquorum Cardinalium cœtus Camerario pro
 tempore existente solemniter celebrabatur, confe-
 rendi se ipsum, et in exequiarum hujusmodi
 fine, supra defuncti Cardinalis corpus per se
 absolutionem impertiendi, introduxerat morem;
 quem, usquequo in hac terrena peregrinatione
 permansit, religiose servavit; felicis recorda-
 tionis Clemens Papa XII. similiter Prædecessor
 noster, provida animi consideratione secum per-
 pendens, quod ad peragendas de mane, et ve-
 spere exequias prædictas, pro duplici videlicet
 uno, et altero lugubribus apparatus, cele-
 bratio hujusmodi majores exigebat sumptus,

Duplices
 sub Bened
 XIII. qui
 ipsis de
 mane in-
 teresse so-
 lebat.

Clem. XII
 eas ad pri-
 mævum
 statum
 redegit.

gravioribus dispendiis parcere cupiens, exequias ipsas ad primævum statum redegerit.

ANNO
1741.

§. 2. Nos igitur animo nostro attente, ac diligenter considerantes, quod antiquitus, sicut Pontifex, inhærens, ex veteribus sacrarum Cæremoniarum libris do veteri consuetudini, compertum est, in more Romanæ Ecclesiæ fuit, ut, adistente Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegio, Missa, præsentem Cardinalis defuncti cadavere, celebraretur, et pro ejus anima offerretur Deo salutare immaculatæ Hostiæ Sacrificium, quemadmodum nunc in omnibus, etiam infimi Ordinis personarum, exequiis pie, sancteque servari solet, cupientesque antiquam, et laudabilem consuetudinem in usum revocare; et insuper rationi congruum, maximeque conveniens existimantes, ut Romanus Pontifex pro tempore existens eis, qui sibi in oneroso Pontificii regimine adjutores extiterunt, ultimum debitumque sui amoris, suæque pietatis persolvat officium, absque eo tamen, quod eorum patrimonium majori expensarum onere graventur; præsentem hac nostra perpetuo valitura Constitutione, motu proprio, ex certa scientia, Apostolica Auctoritate, de consensu etiam Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium quibuscum deliberationem nostram in Consistorio nostro secreto communicavimus, decernimus, et statuimus quod in posterum Cardinalium in Romana Curia decedentium exequiæ semper de mane, nunquam vero de vespere, celebrentur, et celebrari debeant, infra scripta forma servata, videlicet, quod Fratres ex Ordinibus Mendicantium de mane diluculo ad Ecclesiam, in qua defuncti Cardinalis corpus expositum reperitur, pro inibi prædictis tribus Officii defunctorum Nocturnis de more decantandis, solícite accedant; quibus quidem Nocturnis decantatis, eodem mane, absque ulla lugubris apparatus mutatione, vel aliarum expensarum augmento, Capella Pontificia, intervenientibus Romano Pontifice, ac Sacro Cardinalium Cœtu, necnon omnibus, et

Ac de consensu Collegii S. R. E.

Præscribit hujusmodi exequias de mane tantum celebrari.

PONT. singulis Capellam Pontificiam constituentibus,
 A. II. habeatur, et in ea Sacrum Missæ Defunctorum
 Et Capel- Sacrificium a prædicto Cardinale Cardinalium
 lam Pon- Cœtus pro tempore Camerario existente, eoque
 tificiam impedito, ab altero Cardinale ab eodem Car-
 haberi ad dinale Camerario delegato, solemniter celebretur,
 Missam. tur, quodque supra defuncti Cardinalis corpus
 absolutio ab eodem Pontifice præsentem, eoque
 absente, a dicto Cardinale Camerario, seu eo
 pariter absente, a Cardinale, ut præfertur, de-
 legato impertiatur.

Successo-
 ribus com-
 mendat
 præsen-
 tium exe-
 cutionem.

§. 3. Quocirca Romanum Pontificem pro tem-
 pore existentem, Sacrumque nunc et pro tem-
 pore etiam existentem prædictæ Romanæ Eccle-
 siæ Cardinalium Cœtum enixe obsecramus, ut
 in celebratione exequiarum Cardinalium in
 Curia decedentium, omnia et singula a Nobis
 per præsentem perpetuo statuta et decreta debitæ
 executioni demandari, eaque semper, et invio-
 labiliter servari studeant; qua de re minime
 dubitamus, sed certa spe in Domino confidimus,
 quod quisque Romanorum Pontificum Succes-
 sorum nostrorum memor erit, se vicem gerere
 in terris Cœlestis æternique Pontificis, qui in
 morte Lazari amici sui lacrymatus est adeo, ut
 mirarentur Judæi, et dicerent: *Ecce quomodo
 amabat eum*; ita et ipse, exemplo Christi Do-
 mini, eosdem Cardinales, sibi Coadjutores a
 Domino datos, in visceribus caritatis comple-
 ctens, in eorum ab hac luce discessu, supremis
 paterni amoris officiis, et solemnibus Pontificalium
 exequiarum, ac propitiatorii Missæ Sacrificii ce-
 lebratione, aliisque piarum orationum subsidiis
 prosequi libenter curabit, ut et defunctorum
 animæ, ob eorum Apostolatus munus laudabi-
 liter expletum, una cum Beatis Apostolis ma-
 nere mereantur in Cœlis, et erga sublimem
 Cardinalatus dignitatem, ex solemnibus celebra-
 tione hujusmodi, populorum obsequium, et ve-
 neratio in terris augeatur.

Sanctio
 Constitu-
 tionis.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
 paginam Nostri decreti, constitutionis, decla-

rationis, exhortationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, nono Kal Decembris, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadagesimo primo. Pontificatus Nostri Anno II.

ANNO
1741.

Dat. die
23. Nov.
1741.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠ *Ego T. Episcopus Ostien., et Veliternen. Card. Rufus Decanus, et S. R. E. Vice-* Subscrip-
Cancellarius. *tionibus S.*

✠ *Ego A. Episcopus Sabinensis Card. S. Cle-* R. E. Car-
mentis *S. R. E. Camerarius.* dinalium.

✠ *Ego L. Episcopus Portuensis Card. Picus.*

✠ *Ego Petrus Episcopus Tusculanus Card. Cor-*

✠ *Ego V. Episcopus Prænestinus Card. Petra* Major Pœnitentiarius.

✠ *Ego P. A. Episcopus Albanen. Card. Ca-*
rafa.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

PONT.
A. II.



✠ *Ego Fr. Vincentius Ludovicus Tit. S. Sixti
Presbyter Card. Gotti Ordinis Prædicatorum.*

✠ *Ego Joseph Tit. S. Maricæ Transtyberim Pre-
sbyter Card. Accorambanus.*

✠ *Ego Camillus Tit. S. Maricæ Angelorum Pre-
sbyter Card. Cybo.*

✠ *Ego F. Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter
Card. Burghesius.*



✠ *Ego V. Tit. S. Matthæi in Merulana Pre-
sbyter Card. Bichius.*

✠ *Ego J. Tit. S. Crucis in Hierusalem Pre-
sbyter Card. Firao.*

✠ *Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Pre-
sbyter Card. Gentili.*

✠ *Ego Fr. J. A. Tit. SS. Silvestri, et Martini
Presbyter Card. Guadagni.*

✠ *Ego T. Tit. S. Cecilicæ Presbyter Card. de
Aquaviva.*

✠ *Ego D. Tit. Basilicæ Sanctorum Duodecim
Apostolorum Presbyter Card. Rivera.*

✠ *Ego P. Tit. S. Eusebii Presbyter Card. Al-
drovandus.*



✠ *Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presby-
ter Card. Passioneus.*

✠ *Ego S. Tit. S. Priscæ Presbyter Card. Va-
lenti.*

✠ *Ego P. Tit. SS. Nerei, et Achilei Presbyter
Card. de Tencin.*

- ✠ *Ego Alexander S. Agatæ Diaconus Card. Albanus.* ANNO
1741.
- ✠ *Ego N. S. Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Judice.*
- ✠ *Ego Nerijs S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.*
- ✠ *Ego A. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Mosca.*
- ✠ *Ego J. B. S. Cæsarei Diaconus Card. Spinola.*
- ✠
- ✠ *Ego C. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. Rezzonicus.*
- ✠ *Ego M. S. Adriani Diaconus Card. Corius.*
- ✠ *Ego P. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.*
- ✠ *Ego C. S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.*



P. Card. Pro-Datarius.

D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 10. Januarii 1742.

PONT.
A. II.

XXXVIII

INDORUM

In Provinciis Paraquariæ, Brasiliæ, et ad Flumen *de la Plata* existentium, libertati, et indemnitati consulitur.

Venerabilibus Fratribus, Antistitibus Brasiliæ, aliarumque Ditionum Carissimo in Christo Filio Nostro Joanni Portugalliæ, et Algarbiorum Regi, in Indiis Occidentibus, et America subjectarum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pontificia caritas omnes homines ubique Terrarum degentes amplectitur.

IMMENSA Pastorum Principis Jesu Christi, qui, ut homines vitam abundantius haberent, venit, et se ipsum tradidit redemptionem pro multis, caritas urget Nos, ut, quemadmodum ipsius vices plane immerentes gerimus in terris, ita majorem caritatem non habeamus, quam ut animam nostram non solum pro Christifidelibus, sed pro omnibus etiam omnino hominibus ponere satagamus. Etsi autem, pro suprema Catholicæ Ecclesiæ procuratione infirmitati nostræ injuncta, Apostolicam hanc Sanctam Sedem, ad quam undique gentium in dies concurritur, ut opportunum ac salutare emergentibus in Christiana Republica, sive negotiis, sive detrimentis remedium afferatur, hîc Romæ, more institutoque Majorum, tenere, ac regere cogimur; nec longinquas dissitasque regiones, ut qualemcumque inibi Apostolici ministerii nostri pro lucrandis animabus pretioso Jesu Christi sanguine redemptis operam impendamus, ac vitam

ipsam, quemadmodum cupimus, profundamus, adire non possumus: tamen sicut nolumus omnes Apostolicæ providentiæ, auctoritatis, benignitatisque partes ab omni natione, quæ sub Cœlo est, desiderari; ita Vos, Venerabiles Fratres, quos ad excolendam Vineam Dei Sabbaoth Cooperatores eadem Apostolica Sedes sibi adscivit, in Pontificiæ sollicitudinis vigilantixque nostræ partem libenter advocamus; ut et imposito Vobis muneri magis magisque satisfacere, et coronam legitime certantibus in Cœlo repositam facilius consequi valeatis.

§. 1. Porro Fraternitatibus Vestris comper-
tum est, quæ et quanta Romani Pontifices Præ-
decessores nostri, et Catholici Principes de Chri-
stiana Religione benemerentissimi, laborum in-
commoda, ac pecuniarum dispendia alacri con-
stantique animo passi fuerint, ut hominibus,
qui ambulabant in tenebris, et in umbra mortis
sedebant, per Sacros Operarios, tum sacris
prædicationibus bonisque exemplis, tum donis,
tum opibus, tum subsidiis, tum auxiliis, lumen
Orthodoxæ Fidei illucesceret, et ad agnitionem
veritatis venirent: et quibus etiam nunc mune-
ribus, quibus beneficiis, quibus privilegiis, qui-
bus prærogativis, quemadmodum semper fac-
tum est, Infideles cumulentur, ut iis illecti,
Catholicam Religionem amplectantur, in eaque
manentes, per bona Christianæ pietatis opera
æternam salutem adipiscantur.

§. 2. Ea propter non sine gravissimo paterni
animi nostri mœrore accepimus, post tot inita
ab iisdem Prædecessoribus nostris Romanis Pon-
tificibus Apostolicæ providentiæ consilia, post
editas Constitutiones, opem, subsidium, ac præ-
sidium Infidelibus omni meliori modo præstan-
dum esse, non injurias, non flagella, non vin-
cula, non servitutem, non necem inferendam
esse, sub gravissimis pœnis, et Ecclesiasticis
censuris, præscribentes; adhuc reperiri, præ-
sertim in istis Brasilix regionibus, homines Or-
thodoxæ Fidei cultores, qui veluti caritatis in

ANNO
1741.

Episco-
porum
operam in
subsidi-
um advo-
cat.

Aposto-
licæ Sedis
studium
pro Infideli-
um conver-
sione.

Nonnul-
lorum a-
speritas
in Indos
tum Infid-
eles, tum
etiam
Christia-
nos.

PONT.
A. II.

cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusæ sensuum penitus obliti, miseros Indos non solum Fidei luce carentes, verum etiam sacro regenerationis lavacro ablutos, in montanis asperimisque earundem Brasiliæ, tam occidentali-um, quam meridionalium, aliarumque regionum desertis inhabitantes, aut in servitutum redigere, aut veluti mancipia aliis vendere, aut eos bonis privare, eaque inhumanitate cum iisdem agere præsumant, ut ab amplectenda Christi Fide potissimum avertantur, et ad odio habendam maximopere obfirmantur.

Ea impro-
batur
a pietate
Serenissi-
mi Lusita-
niæ Re-
gis.

§. 3. Hisce malis, quantum cum Domino possumus, occurrere satagentes, primum quidem eximiam pietatem, et in Catholica Religione propaganda incredibilem Carissimi in Christo Filii nostri Johannis Portugalliæ, et Algarbiorum Regis illustris zelum excitandum curavimus, qui pro filiali sua erga Nos atque hanc Sanctam Sedem observantia, statim se omnibus et singulis suarum Ditionum Officialibus, et Ministris in mandatis daturum pollicitus est; ut quemcumque suorum Subditorum aliter, quam Christianæ caritatis mansuetudo exigit, erga Indos hujusmodi sese gerere comperissent, gravissimis juxta Regia edictâ pœnis afficerent.

Pontifex
hortatur
Episcopos
ut ipsi
quoque
eam refræ-
nare cu-
rent.

§. 4. Deinde Fraternitates Vestras rogamus atque in Domino hortamur, ut nedum debitam ministerii vestri vigilantiam, sollicitudinem, operamque vestram hac in re, cum nominis dignitatisque vestræ detrimento, deesse non patiamini; quin imo, studia vestra Reginum Ministrorum officiis conjungentes, unicuique probetis, Sacerdotes animarum pastores quanto, præ Laicis Ministris, ad Indis hujusmodi opem ferendam, eosque ad Catholicam Fidem adducendos, ardentiori Sacerdotalis caritatis æstu ferveant.

Confir-
mat Præ-
decesso-
rum Con-
stitutio-
nes.

§. 5. Præterea Nos, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, Apostolicas in simili forma Brevis Literas a fel. rec. Paulo Papa III. Prædecessore nostro, ad tunc existentem Johannem

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem de Tavera nuncupatum Archiepiscopum Toletanum die 28. mensis Maji anno MDXXXVII. datas, et a rec. mem. Urbano Papa VIII. itidem Prædecessore nostro, tunc existenti jurium, et spoliolorum Camera Apostolicæ in Portugalliæ et Algarbiorum Regis debitorum Collectori Generali, die xxii. mensis Aprilis anno MDCXXXIX. scriptas renovamus, et confirmamus; necnon eorumdem Pauli, et Urbani Prædecessorum vestigiis inhærendo, ac impiorum hominum ausus, qui Indos prædictos, quos omnibus Christianæ Caritatis et mansuetudinis officiis ad suscipiendam Christi Fidem inducere oportet, inhumanitatis actibus ab illa deterrent, reprimere volentes, unicuique Fraternalitatum vestrarum, vestrisque pro tempore Successoribus committimus, et mandamus, ut unusquisque vestrum, vel per se ipsum, vel per alium, seu alios, editis atque in publicum propositis affixisque edictis, omnibus Indis, tam in Paraquariæ, et Brasilæ Provinciis, ac de Flumen *de la Plata* nuncupatum, quam in quibusvis aliis regionibus, et locis in Indiis Occidentalibus, et Meridionalibus existentibus, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, universis et singulis personis, tam sæcularibus, etiam Ecclesiasticis cujuscumque status, sexus, gradus, conditionis, et dignitatis, etiam speciali nota, et mentione dignis existentibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam Jesu, Religionis, et Instituti Mendicantium, et non Medicantium, ac Monachalis, Regularibus, etiam quarumcumque Militiarum, etiam Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani, Fratribus Militibus, sub excommunicationis latæ sententiæ per Contravenientes eo ipso incurrenda pœna, a qua, nonnisi a Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, et satisfactione prævia, absolvi possint, districtius inhi-beant; ne de cætero prædictos Indos in servitutem redigere, vendere, emere,

ANNO
1741.

Mandat
publicari
Edicta in
favorem
Indorum.

Inhiben-
do quibus
libet, ne
eos in ser-
vitutem
redigant,
vendant,
spolient
etc.

PONT.
A. II.

Contra-
venientes
anathe-
mate, et
censuris
puniant.

commutare, vel donare, ab Uxoribus, et Filiis suis separare, rebus, et bonis suis spoliare, ad alia loca deducere, et transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitute retinere; necnon prædicta agentibus consilium, auxilium, favorem, et operam quocumque pre-textu, et quæsito colore præstare, aut id licitum prædicare, seu docere, ac aliàs quomodolibet præmissis cooperari audeant, seu præsumant; Contradictores quoslibet, et rebelles, ac unicuique Vestrum in præmissis non parentes, in pœnam excommunicationis hujusmodi incidisse declarando, ac per alias etiam censuras, et pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras. et pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Nos enim unicuique Vestrum, vestrorumque pro tempore Succëssorum, desuper plenam, amplam, et liberam facultatem tribuimus, et impertimur.

Contra-
riis dero-
gat.

§. 6. Non obstantibus similis memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, ac Concilii Generalis de duabus diætis, ac aliis Apostolicis, et in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, Legibus quoque etiam municipalibus, ac quorumcumque locorum piorum, et non piorum, et generaliter quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiam de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio

habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda, foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 8. Cæterum, Venerabiles Fratres, custodientes Vos vigilias super grege unicuique vestrum credito, ministerium vestrum satagite atque enitami, ea, qua obstricti estis, diligentia, sedulitate, et caritate adimplere, assidue in animis vestris recolentes rationem, quam et Vos Pastorum Principi Jesu Christo æterno Judici de ovibus suis reddituri eritis, et quam ille accuratissime a Vobis exacturus erit. Ita enim fore confidimus, ut unusquisque Vestrum omnem operam atque conatum adhibeat, ne debitum in hoc tam eximiæ caritatis opere officium desideretur. Interea ad prosperi eventus successum, Apostolicam benedictionem, cum uberrima cœlestium Charismatum copia conjunctam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Decembris MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno II.

ANNO
1741.


Transumptis fidem tribuit.

Episcopos obtestatur pro præsentium executione.

Dat. die
20. Dec.
1741.

D. Cardinalis Passioneus.

PONT.
A. II.



XXXIX.

CLAUSURA

Monasteriorum quorumcumque Virorum Regularium assertitur, sublata quibuslibet dispensandi facultate.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

REGULARIS disciplinæ observantiam, ante etiam quam et Generalium, ac Particularium alicujus Nationis, aut Provinciæ Conciliorum decretis confirmaretur, et Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum legibus sanctionibusque præscriberetur, quoad vetitum Mulieribus quibuscumque, etiam consanguineis, intra quorumcumque religiosorum Virorum Clausuram ingressum, tam integerrime custoditam fuisse constat; ut, ne dum fœminis quibuscumque, sed masculis quoque, non tam ad Monasteriorum claustra, seu septa, quam ad ipsa eorundem Monasteriorum Oratoria, et Ecclesias nullus patuerit aditus, et accessus; quin imo sub gravissimis pœnis fuerit interdictus; ne scilicet, ut inquit S. Gregorius PP. I. Prædecessor noster, in Servorum Dei secessibus occasio præbeatur popularibus conventibus, et simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat.

Nihilre-
missum
quoad ea-
rum in-
gressum
intra Mo-
nasteria.

§. I. Hujusmodi autem regularis disciplinæ observantia, etsi, pro temporum varietate, ac necessitate, tot tantasque subiit vices, ut iidem Prædecessores nostri aditum et accessum ad publicas Monasteriorum Ecclesias dumtaxat, sive masculis, sive fœminis, Sacrosanctum Missæ Sacrificium audiendi, Prædicationibus Verbi Dei interessendi, et Sacramentum Sanctissimæ Eu-

charistiæ sumendi, ac peccata sua confitendi causa, sine tamen Parochorum præjudicio, interdum concesserint; vicissim tamen ipsi Prædecessores nostri, tam ante Concilii Tridentini decreta, quam post eorundem Decretorum promulgationem denuntiationemque, providis saluberrimisque Constitutionibus ordinationibusque, sub pœna etiam excommunicationis latæ sententiæ, fœminis quibuscumque aditum ingressumque hujusmodi intra Monasteriorum clausuram interdixerunt.

ANNO
1742.

§. 2. Quoniam autem, sicut dolentes accepimus, alii quidem Apostolicas leges, ac præcepta hujusmodi, vel ausu temerario parvipendentes, vel ad eorum arbitrium interpretantes, fœminis quibuscumque aditum ingressumque, tam manifeste, ac tanta solemnitate vetitum, permittunt; alii vero privilegia, indulta, prærogativas, facultates, licentias, et alias quocumque pacto excogitatas concessionibus sibi sive a jure, sive ab homine factas, et impertitas, seu facta, et impertita, ac quorumcumque munerum, dignitatum, ac præeminentiarum ratione debitas, seu debita arrogantes, prætendentes, obtendentesque, fœminas quaslibet intra Monasteriorum claustra, septa, cœnacula, cubicula, aliasque officinas aut admitti, ac recipi sinunt mandantque, aut una secum ducunt; alii denique sub pietatis, ac religionis prætextu, cum Supplicationes, sive cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, sive cum sacris Sanctorum Sanctarumque Reliquiis, Statuis, et Imaginibus, per claustra, septa, et alia Monasteriorum loca de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos, et fœminas Supplicationes hujusmodi per eadem loca sequi, et comitari licitum, quin imo, ut Indulgentias lucrari valeant, necessarium esse obtendunt.

Sed nimia dispensationum facilitas invecta.

§. 3. Hinc est, quod Nos, qui, dum in minoribus essemus, quamplurimos hujusmodi abusos compertos habebamus, in hac sublimi Sacrosancti Apostolatus specula constituti, non

Pontifex eam tollere statuit.

PONT.
A. II.

tam assiduis nonnullorum aliarum Ecclesiarum Antistitum documentis, quam justis etiam Superiorum, aliorumque Virorum ex Religiosis Ordinibus, Dei honorem, et instituti sui disciplinam zelantium, expostulationibus, de antedictis similibusque abusibus in dies admonemur, ut opportunum, ac salutare iisdem abusibus tollendis, quantum cum Domino possumus, re-
 Renovat, medium afferamus; auctoritate Apostolica, te-
 et confir- nore præsentium, primum quidem omnes, et
 mat Præ- singulas Constitutiones, Sanctionesque a Roma-
 decesso- nis Pontificibus Prædecessoribus nostris, tam ante,
 rum San- quam post Concilii Tridentini decreta, super
 ctiones. Clausura Monasteriorum quorumcumque reli-
 giosorum Virorum editas, renovamus, et con-
 firmamus, necnon in posterum ab omnibus et
 singulis, ad quos spectat, et in futurum spec-
 tabit, sub iisdem pœnis in Constitutionibus,
 Sanctionibusque eorundem Prædecessorum no-
 strorum Romanorum Pontificum, et decretis ejus-
 dem Concilii Tridentini contentis, inviolabiliter
 observandas esse statuimus, decernimus, præ-
 cipimus, atque mandamus.

Abolet, §. 4. Deinde motu proprio, et ex certa scien-
 et revocat tia, ac matura deliberatione nostris, deque
 quascum- Apostolicæ potestatis plenitudine, earundem
 que facul- præsentium tenore, omnia et singula indulta,
 tates dis- privilegia, prærogativas, facultates, licentias,
 pensandi et quocumque alio pacto nuncupatas concessio-
 quibusli- nes, omnibus et singulis quibuscumque Eccle-
 bet con- siasticis personis quacumque auctoritate, digni-
 cessas. tate, honore, præeminentia, ac jurisdictione
 fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus No-
 stris S. R. E. Cardinalibus, sive singulis, sive
 eorundem Cardinalium Congregationibus, etiam
 de Latere Legatis, sive qui Provinciis, et Le-
 gationibus Status nostri Ecclesiastici pro tempore
 præsent, sive quos ad Carissimos in Christo
 Filios nostros Romanorum Regem in Impera-
 torem pro tempore eligendum, vel electum,
 Reges, et Reginas illustres, aliasque summas
 Potestates, prout rerum conditio postulaverit,

ANNO
1742.

mitti, et ablegari contigerit; sive qui, licet aliarum insignium Ecclesiarum Antistites, tamen tamquam Apostolicæ hujus S. Sedis Legati de Latere aliàs nuncupati, et habiti sunt, et fortasse habentur, aut haberi, et esse prætendunt, et in posterum habendi sunt; sive Ordinarii, sive Extraordinarii nostri et ejusdem Apostolicæ Sedis ubicumque, etiam ad ipsos Imperatorem, et Reges, ac summas Potestates, Nuntii, sive Inter-Nuntii resident; ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, a quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore, et prætextu, per quas-cumque Apostolicas, sive in simili forma Brevis, sive sub Plumbo expeditas literas, sub quibuscumque verborum formis, facta, data, concessa, et impertita, sive factas, datas, concessas, et impertitas, super hujusmodi accessu, et ingressu revocamus, abolemus, annullamus, atque irritamus, necnon a datarum earundem præsentium die revocata, abolita, annullata et irrita, ac nullius prorsus momenti, ac vigoris esse, et fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari statuimus, decernimus, et declaramus.

§. 5. Quemadmodum etiam statuimus, decernimus, et declaramus, quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate hujusmodi temere uti audentem, ipso facto absque ulla alia declaratione, pœnas, et Ecclesiasticas censuras, a quibus, præter quam a Nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere, et incursum esse, licentiamque hujusmodi cuicumque concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti, perinde, ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore, et haberi, ac pœnas, et censuras Ecclesiasticas ipso etiam facto, ut præmittitur, per contrafacientem incurri, et incursum esse.

Earum
usum iu-
terdicit,
et irritum
fore de-
clarat.

PONT. §. 6. Decernentes easdem præsentis literas,
 A. II. et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod
 Præsen- quicumque in præmissis interesse habentes, seu
 tium fir- habere quomodolibet prætendentes, cujusvis
 mitati status, gradus, ordinis, præminentia, et di-
 consulit. gnitatis existant, seu alia specifica, et individua
 mentione, et expressione digni, illis non con-
 senserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi,
 causæque, propter quas præsentis emanarint,
 sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ
 non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quan-
 tumvis juridica, et privilegiata causa, colore,
 prætextu, et capite, etiam in corpore juris
 clauso, etiam enormis, enormissimæ, et totalis
 læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis,
 vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut
 intentionis nostræ, vel interesse habentium con-
 sensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis
 magno, et substantiali, ac incogitato, et inex-
 cogitabili, individuumque expressionem requi-
 rente defectu notari, impugnari, infringi, re-
 tractari, in controversiam vocari, aut ad ter-
 minos juris reduci, seu adversus illas aperi-
 tionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quod-
 cumque juris, facti, vel gratiæ remedium in-
 tentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam
 motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus
 concessio, vel emanato quempiam in iudicio,
 vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo
 posse; sed ipsas præsentis literas semper firmas,
 validas, et efficaces existere, et fore, suosque
 plenarios, et integros effectus sortiri, et obti-
 nere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tem-
 pore quandocumque spectabit, inviolabiliter,
 et inconcusse observari, sicque, et non aliter
 Clausula sublata, in præmissis per quoscumque Iudices Ordina-
 et Decre- rios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii
 tum irri- Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales,
 tans. etiam de latere Legatos, et Sedis prædictæ Nun-
 tios, aliosve quoslibet quacumque præminen-
 tia, et potestate fungentes, et functuros, sub-
 lata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudi-

candi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ANNO
1742.
judicari, et definiri debere, ac irritum, et
inane, si secus super his a quoquam quavis au-
toritate scienter, vel ignoranter contigerit at-
tentari.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quatenus Derogat
contrariis
opus sit, nostra, et Cancellariæ Apostolicæ re-
gula de jure quæsito non tollendo, aliisque Con-
stitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, nec-
non quibusvis, etiam juramento, confirmatione
Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis
statutis, et consuetudinibus, ac usibus, et stylis,
etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, in-
dultis, et literis Apostolicis prædictis, aliisque
quibuslibet personis, etiam quocumque Eccle-
siastica, vel mundana dignitate fulgentibus, et
aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem
expressionem requirentibus, sub quibuscumque
verborum tenoribus, et formis, ac cum qui-
busvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis-
que efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clau-
sulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam
motu, scientia, et potestatis plenitudine simi-
libus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet
in contrarium præmissorum concessis, editis,
factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque
vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis.
Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illo-
rum sufficienti derogatione de illis, eorumque
totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et
individua, ac de verbo ad verbum, non autem
per clausulas generales idem importantes, men-
tio, seu quævis alia expressio habenda, aut
aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda
foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad
verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis
tradita observata, exprimerentur, et insereren-
tur, præsentibus pro plene, et sufficienter ex-
pressis, et insertis habentes, illis aliàs in suo
robore permansuris, ad præmissorum effectum,
hac vice dumtaxat specialiter et expresse dero-

PONT. gamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque
A. II. contrariis quibuscumque.

Præser- §. 8. Cæterum per præsentibus non intendimus
vat privi- derogatum esse iis concessionibus, quæ ad fa-
legia a S. vorem quarumcumque Nobilium fœminarum,
Sede legi- ex eo, quod sive earundem Majores, ac pro
time con- tempore existentes de familia, fuerint, et ha-
cessa Pa- beantur Fundatores, vel insignes Benefactores
tronis etc. illius Monasterii, intra cujus claustra, vel septa
fœminas etiam de familia ingredi, vel conces-
sum, vel cautum esse sibi voluerunt, et de con-
cessione hujusmodi confirmationem ab Aposto-
lica hac Sancta Sede obtinuerunt; sive fœminæ
hujusmodi sint Consanguineæ, et Affines eo-
rum, qui sunt Domini in Temporalibus locorum,
in quibus Monasteria sita reperiuntur, et qua-
cumque legitima tituli, vel consuetudinis causa,
et occasione, ingressu hujusmodi de præsentibus
gaudent, factæ, et impertitæ fuerunt; dummodo
concessionibus hujusmodi per Apostolicas in si-
mili forma Brevis, vel sub Plumbo desuper ex-
peditas literas dumtaxat, et non aliter omnino
factas, et impertitas fuisse prius Ordinariis lo-
corum Antistitibus, vel Præsulibus, per legi-
tima, et autentica documenta constare fecerint;
et dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec
comedendi cænandique, nec per ambulacra,
cubicula, cænacula, aliaque loca, et officinas
discurrendi causa, sed ad Ecclesias accedendi,
Sacrosanctum Missæ Sacrificium audiendi, alia-
que erga Deum pietatis officia, et opera exer-
cendi studio ingrediantur; et dummodo de ea-
rum adventu, et ingressu interdiu, et opportune
faciendo, Superiores pro tempore existentes prius
certiores fiant, ad hoc ut, absque Fratrum in-
commodo, et offensione, recto tramite ad Ec-
clesiam pergatur, et alia de jure servanda ser-
ventur.

Dummo-
do sola
pietatis
causa et
caute iis
utantur.

Transum- §. 9. Volumus autem, ut earundem præsen-
ptis fidem tium literarum transumptis, exemplis, etiam
tribuit. impressis, manu alicujus Notarii publici sub-
scriptis, et Sigillo Personæ in Ecclesiastica di-
gnitate

guitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die tertia Januarii millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno II.

ANNO
1742.

Dat. die 3.
Jan 1742.

D. Card. Passioneus.

Public. die 4. ejusdem mensis, et anni.

DE CLAUSURA MONIALIUM.

XL.

Confirmantur Sanctiones Ecclesiasticæ, antea editæ. Revocantur facultates extraordinariæ permittendi ingressum, et egressum e Monasteriis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

SALUTARE in Catholica Ecclesia institutum, ab ipsa antiquitate susceptum, ac tanta cum soliditate et pastoralis zelo custoditum, ut flos ille Ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, Sacræ Virgines, quarum, quo sublimior gloria est, major et cura est, intra Monasteriorum septa, et claustra vigili sollicitaque custodia servarentur, tam ante, quam post Tridentinæ Synodi Decreta, Romani Pontifices Prædecessores nostri tot sanctissimis Legibus, et initis Apostolicæ providentiæ caritatisque consiliis communire, et confirmare studuerunt, ut, quæ se Christo dicaverint, et a carnali concupiscentia recedentes, tam carne,

Exacta
Moniali-
um Clau-
sura sem-
per in Ec-
clesia ser-
vata fuit.

PONT. quam mente se Deo voverint, consumment opus
 A. II. suum magno præmio destinatum.

Relaxatio §. 1. Quoniam autem, etsi providas hujus-
 hujus di- modi Sanctiones, Constitutionesque, si ea, qua
 disciplinæ decet, regularis disciplinæ observantia custodi-
 ab aliqui- rentur, satis esse scimus, ut Virgines ea, quæ
 bus invec- Coelestis earundem Sponsi Jesu Christi sunt,
 ta. cogitantes, sint sanctæ et corpore, et spiritu;
 longa tamèn experientia edocti, et assiduis Ve-
 nerabilium Fratrum aliarum Ecclesiarum An-
 tistitum querelis admoniti, supremas Apostolicæ
 auctoritatis providentiæque partes requiri, ut abu-
 sibus quamplurimis ex nimia quorumcumque,
 aut sibi quocumque pacto arrogantium, aut præ-
 tendentium, aut obtendentium facultatem aliàs
 sibi quomodolibet, sive ajure, sive ab homine
 concessam, vel demandatorum munerum ratione
 debitam esse, ut sive ipsi, sive alii, ingredi
 clausuram Monialium, aut ipsæ Moniales e clau-
 sura ob quascumque etiam non legitimas causas
 egredi, et extra clausuram hujusmodi commo-
 rari possint, licentiam concedendi, indulgentia
 sensim invec-tis, cõportune occurratur.

Pontifex §. 2. Hinc est, quod Nos, pro suprema om-
 confirmat- nium Christifidelium procuracione imbecillitati
 Prædeces- nostræ in universalis Orthodoxæ Ecclesiæ regi-
 sorum mine divinitus imposita, opportunum abusibus
 Constitu- hujusmodi remedium, quantum cum Domino
 tiones. possumus, adhibere satagentes, Auctoritate Apo-
 stolica, tenore præsentium, omnes, et singulas
 Constitutiones a Romanis Pontificibus Præde-
 cessoribus Nostris, tam ante, quam post
 Concilii Tridentini Decreta, super clausura Mo-
 nialium editas renovamus, et confirmamus,
 necnon imposterum ab omnibus, et singulis,
 ad quos spectat, et in futurum spectabit, sub
 iisdem pœnis in Constitutionibus eorundem
 Prædecessorum Nostrorum Romanorum Ponti-
 ficum, et Decretis Concilii Tridentini præfati
 contentis, inviolabiliter observandas esse statui-
 mus, decernimus, præcipimus, atque manda-
 mus.

§. 3. Præterea motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, earumdem præsentium tenore, omnia, et singula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, omnibus et singulis quibuscumque Ecclesiasticis personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia, ac jurisdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus sive singulis, sive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de Latere Legatis, sive, qui Provinciis, et Legationibus Status Nostri Ecclesiastici pro tempore præsent, sive quos ad Carissimos in Christo Filios Nostros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges et Reginas illustres, aliasque Summas Potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti, et ablegari contigerit; sive qui, licet aliarum insignium Ecclesiarum Antistites, tamen tamquam Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis Legati de Latere alias nuncupati, et habiti sunt, et fortasse habentur, aut haberi, et esse prætendunt, et imposterum habendi sunt; sive Ordinarii, sive Extraordinarii Nostri, et ejusdem Apostolicæ Sedis ubicumque, etiam apud ipsos Imperatorem, et Reges, ac Summas Potestates Nuntii, sive Inter-Nuntii resident (exceptis dumtaxat locorum Ordinariis, iisque omnibus Superioribus, quibus tamquam Ordinariis, et ordinaria jurisdictione utentibus, Monialium Monasteria subjecta, et addicta sunt, in casibus tamen necessariis, et servatis aliis de jure servandis, et non aliter omnino), ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, a quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore, et prætextu, per quas-cumque Apostolicas, sive in simili forma Brevis, sive sub Plumbo expeditas Literas, sub quibus-

ANNO
1742.
Adimit,
et revocat
facultates
dispensas
di quibus-
libet con-
cessas.

Salva au-
toritate
Ordinario-
rum.

FONT. cumque verborum formis facta, data, concessa,
 A. II. et impertita, sive factas, datas, concessas, et
 impertitas, super hujusmodi ingressu, revoca-
 mus, abolemus, annullamus, atque irritamus;
 necnon a datarum earundem præsentium die
 revocata, abolita, annullata, et irrita, ac nul-
 lius prorsus momenti, ac vigoris esse, et fore,
 neminique cuilibet quocumque tempore suffra-
 gari.

Usum §. 4. Ac quemlibet omnium antedictorum,
 facultatum hujusmodi, etiam speciali mentione dignorum, quacumque
 facultate hujusmodi, sive pro se, sive pro aliis
 temere uti audentem, ipso facto, absque ulla
 sub Censuris interdicit, et irritum decernit.
 alia declaratione, pœnas, et Ecclesiasticas cen-
 suras contra violantes Clausuram Monialium
 inflictas, a quibus, præterquam a Nobis, et pro
 tempore existente Romano Pontifice, nisi in
 mortis articulo, absolvi possit, incurrere, et
 incursum esse; licentiamque hujusmodi conces-
 sam nullo modo suffragari, atque nullius mo-
 menti, perinde ac si minime concessa fuisset,
 ipso facto fore, et haberi, ac pœnas, et cen-
 suras Ecclesiasticas ipso etiam facto, ut præ-
 mittitur, per contrafacientem incurri, et in-
 cursas esse, statuimus, decernimus, ac decla-
 ramus.

Clausule §. 5. Decernentes easdem præsentis Literas,
 præservativæ, et de perpetuo præsentium vigore.
 et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo,
 quod quicumque in præmissis interesse habent-
 tes, seu habere quomodolibet prætendentes,
 cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ,
 et dignitatis, existant, seu alia specifica. et in-
 dividua mentione, et expressione digni, illis non
 consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi,
 causæque, propter quas præsentis emanarint,
 sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ
 non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quam-
 tumvis juridica, et privilegiata causa, colore,
 prætextu, et capite, etiam in corpore juris clauso,
 etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis,
 nullo umquam tempore de subreptionis, vel
 obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis

Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno, et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili, individuaque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentis Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, et inconcussè observari: sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedis prædictæ Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Sublata
cuilibet
secus ju-
dicandi,
et inter-
pretandi
facultate.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ Regula *de jure quæsito non tollendo*, aliisque Constitutionibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus, ac usibus, et stylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis prædictis, aliisque, quibuslibet personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, et aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressio-

Deroga-
tiones am-
plissimæ.

PONT. A. II. nem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissis, et forma in illis tradita, observata, exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplo- §. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium auctoritas. Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, et extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 3. Januarii MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Card. Passioneus.

Publicat. die 5. ejusdem mensis, et Anni.

ANNO
1742.

INDULTUM

XLI.

Pro celebratione Missarum super Triremibus
Militiæ Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXPONI Nobis nuper fecit Dilectus Filius Magnus Magister Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, quod ipse, considerans tam Fratres Milites, quam Officiales, Nautas, et Turmam Catholicam, qui super Classe Triremium Hospitalis præfati reperiuntur, tempore expeditionum, præsertim in Littore Maris Africi, et Lybici, aliisque partibus communi Christiani nominis hosti subjectis, longo tempore, et multoties in solemnioribus anni Festis diebus, prout etiam quando in oris maritimis Catholicorum Principum, et in illorum portibus existunt, tum propter anni tempestates sibi adversas, quæ minime permittunt tentorium in terra figere, et obtendere, sub quo Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrari possit, tum propter distantiam Terræ firmæ, Sacrosanctum Missæ Sacrificium hujusmodi audire non posse; ut incommodis, et inconvenientibus hujusmodi, ne pietas, et devotio Fratrum, Subditorumque ejusdem Hospitalis minuatur, occurri possit, idem Missæ Sacrificium in Triremibus prædictis celebrari posse plurimum desiderat: Nobis propterea dictus Magnus Magister humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur piis dicti Magni Magistri votis hac in re, quantum cum Domino possumus, Pontifex annuit. favorabiliter annuere, eumque specialibus fa-

Summa-
rium pre-
cum, et
rationum.

PONT. voribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodo libet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, moderno, ac pro tempore existenti Magno Magistro, et Dilectis Filiis Consilio Hospitalis præfati, petitam facultatem celebrari faciendi Sacrosanctum Missæ Sacrificium hujusmodi, tum tempore navigationis, quo Triremes hujusmodi anchoratæ sunt, in quibusvis oris, littoribus, et portibus habitatis, et non habitatis, et dummodo celebratio Missæ hujusmodi eo tempore, quo mare tranquillum, et Cœlum serenum reperiatur, et cum assistentia alterius Presbyteri, seu Diaconi, fiat; ita ut periculum effusionis Sanguinis in dicta celebratione minime adsit; auctoritate Apostolica tempore præsentium concedimus, et indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Cum conditionibus opportunis.

Dat. die Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XV. Januarii 1742. MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno II.

D. Card. Passioneus.



DE DOCTRINA CHRISTIANA

XLII.

Populis tradenda: Qua ratione, et methodo
Fidelium indigentiaë hac in re consulendum sit.

*Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Pri-
matibus, Archiepiscopis, et Episcopis*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

ETSI minime Nobis dubitandum sit, omnes, Cura Pon-
tificia de
Fidelium
instruc-
tione. quibus animarum cura credita est, Vosque præ-
sertim, Venerabiles Fratres, ad Apostolatus offi-
cium evectos, atque in Prælationis fastigio a Deo
constitutos, in id potissimum sollicitudinem in-
tendere, ut Christianus Populus Cœlestis Doctri-
næ pabulo enutritus, et rudimentis Fidei salu-
herrime instructus, in semitam Mandatorum
Domini, facem Vobis præferentibus, feliciter
dirigatur: temperare tamen non possumus,
quin vos ipsos Nostræ Auctoritatis, ac Paternæ
dilectionis stimulis excitemus ad tam pium,
tamque salutare Opus Doctrinæ Christianæ im-
pensiore cura provchendum, sublatis iis impe-
dimentis, quæ animarum saluti adversantur.

§. 1. Quia vero scientibus Legem loquimur, Aliqua
Mysteria
Fidei ex-
plicitate cre-
denda de
necessita-
te medii,
et aliqua de
necessita-
te præ-
cepti. et vigiles Ecclesiarum hortamur Antistites, qui-
bus nec Pietatis, nec alia sacrarum Literarum
desunt præsidia; supervacaneum ducimus plu-
rimis urgere argumentis, non satis esse ad cœ-
lestem Beatitudinem assequendam, confusim,
et involute credere a Deo revelata, et ab Ec-
clesia Catholica proposita Mysteria; sed hanc
cœlestem Doctrinam divinitus traditam, et quæ
ex auditu concipitur, Doctoris legitimi ac fide-

PONT. A. II. lis ministerio ita esse accipiendam, ut singillatim illius capita explicentur, et eorum aliqua necessitate *medii*, aliqua vero necessitate *præcepti* Fidelibus, ad credendum proponantur: Tenenda quoque morum præcepta. Præterea licet per Fidem justificari dicamur, cum ea sit humanæ salutis initium, et fundamentum; ad futuram tamen, quam inquirimus Civitatem, ut pervenire aliquando mereamur, satis compertum est, solam Fidem non sufficere; sed viam nosse, constanterque tenere oportere, nempe præcepta Dei, et Ecclesiæ, tum virtutes, quas persequi, tum vitia, quæ studiose declinare debemus.

Episcoporum officium quoad traditionem Doctrinæ Christianæ. Quatenus extendatur.

§. 2. Quæ quidem omnia cum primis Catholicæ Fidei rudimentis, sive *Doctrina*, ut ajunt, *Christiana*, contineantur; Episcopalis muneris exigit ratio, ut illa in singulis Diœcesibus, et ubique locorum recte, atque ex ordine explicetur; nec posse Episcopos sine tacito conscientiæ convicio illam negligere, sed in hoc opus maxime necessarium omnem curam, et diligentiam conferre debere. Id tamen oneris non ita Episcopo impositum esse intelligimus, ut ipse per se Doctrinæ Christianæ semper intersit, pueros interroget, et Mysteria Fidei, quam profiteremur, aperiat: Nimium quippe novimus, in Pastoralis sollicitudinis munere prægravari Apostolicæ servitutis sarcinam, ac plane intelleximus, cum Anconitanam primum, tum deinde Bononiensem Ecclesiam regeremus, multis, variisque curarum veluti fluctibus jactari Præsullem suo satis muneri facere cupientem. Id vero futurum affirmamus, ut si Episcopus, alieno etiam a Visitatione Diœcesis tempore, quandoque adsit ubi doctrina traditur Christiano homine digna, pueros, puellasque de rebus antea auditis sciscitetur, ac Mysteria nostræ Religionis evolvat, et annunciet; Pastoris operam in maximam crediti sibi Gregis utilitatem cessuram, ejusdemque exemplum alios excitaturum ad Vinam Domini Sabaoth pro viribus excolendam.

§. 3. Hanc administrandæ Ecclesiæ quasi legem sibi duxerunt nedum veteres, sed recentiores etiam Præsules, Beatorum Civium albo adscripti; Carolus nempe Borromæus, Franciscus Salesius, Turribius, Alexander Sauli, quorum aliqui (ut literis consignatum est) cum gravioribus distenti, atque impediti curis, adesse coram non possent, operæ, ac diligentix suæ Vicarium aliquem ex Canonicis, aut ex Sacerdotibus designabant, qui, susceptis Pastoralis Ministerii partibus, Adolescentulos ad omnia Religionis Officia Fidei elementis informarent.

§. 4. Optimum ergo, et ad profectum animarum maxime accommodatum erit Antistitis exemplum, si, quod antea dictum est, id omni tempore, præsertim vero dum obit Diœcesim, in singulis Parœciis impleverit. Sed ut quisque facile conjiciet, ad hoc vires ejus non suppetunt: Ideoque ut propositum assequatur, necesse est, diligentia, quanta potest maxima, curet, ne in aliis, quos tam laudabilis, tamque fructuosi operis Vicarios constituit, studium, ac sedulitas desideretur.

§. 5. Duo potissimum onera a Tridentina Synodo Curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut Festis diebus de rebus divinis sermonem ad Populum habeant; alterum, ut pueros, et rudiores quosque, Divinæ Legis, Fideique rudimentis informant. Si statis diebus eam Parochi concionem habebunt, quæ non persuasibilibus humanæ Sapientiæ verbis obstrepat auribus, sed captui Auditorum accommodata in eorum animos ostensione spiritus illabatur; si Mysterium aliquod annunciabunt, in primis vero, quod eo tempore Ecclesia recolit, ea disserentes, quæ ad virtutum incitamento sint, et ad vitia fugienda, graviora præsertim, et quæ fœdius grassantur in Populo; si diebus ipsis (hoc enim pariter debent suo muneri) pueros, tamquam infantes modo genitos, nutriant Doctrinæ lacte, nunc hos, nunc illos interrogando, dubia, atque involuta explicando;

ANNO
1742.

Exempla
Sancto-
rum Epi-
scoporū

Inferio-
rum Pa-
storum
opera ab
Episcopis
dirigenda

Parocho-
rum mu-
nus du-
plex, præ-
dicandi,
et catechi-
zandi.

PONT. Si demum cum Apostolo attendant lectioni, exhortationi, et doctrinæ, ut perfectus sit homo Dei, et ad omne opus bonum instructus: fas est credere, exitum optatis respondere posse, et Populum acceptabilem sectatorem bonorum operum facile extitutum.

Eorum labor ab aliis de Clero sublevandus. §. 6. Verum satis experientia compertum est, imparem esse solius Parochi laborem; cum nequeat unus omnes instruere, ubi Doctoris diligentiam numerus vincit. Quoties tamen Episcopus toto animo, ac studio in Ecclesiam sibi commissam incumbat, nunquam necessariis, et opportunis destituetur auxiliis. Semper enim invenias, qui Tonsura initiari, qui per Minorum, qui per Sacrorum Ordinum gradus ad Sacerdotii fastigium promoveri, qui denique ad Ecclesiastica Beneficia viam sibi munire studeant. Gravissimis idcirco verbis (et verbis facta respondeant) affirmet Episcopus, numquam se facturum, ut Tonsura inauguret grandiores ætate, aut Minores, præsertim vero Majores Ordines iis conferat, qui in tradenda Christiana Doctrina operam suam Parochis commodare neglexerint. Hunc porro Clericorum numerum idem Episcopus in singulas suæ Civitatis, et Diœcesis Parochias apte distribuatur, et eorum aliquos determinatæ Ecclesiæ adscribat. Denunciet præterea, ac fidem præstet, in conferendo Parochiarum, et aliorum Beneficiorum Jure, plurimum apud se ponderis, et momenti habiturum studium, et diligentiam in hoc opus a Clericis collatam: atque ita re ipsa constabit, non Rectori tantum impositum esse docendi munus, sed plures illi præsto esse, ut omnes Officii sui numeros cumulate implere possit.

Item a Puercorum, et Puellarum Magistris. §. 7. His accedit, Sacris Apostolicis Constitutionibus, et septima præsertim fel. rec. Leonis X. Prædecessoris Nostri edita in Concilio Lateranensi, saluberrime cautum fuisse, ut tam Ludimagistri discipulos suos, quam Piæ Fœminæ Puellas instituentes, sana, et incorrupta Doctrina, (Episcopo id potissimum urgente) tam-

quam pabulo vitæ, nutriant, et confirment. Constat etiam, ipsum Episcopum posse, ac debere Sacris Oratoribus quam diligentissime commendare, ut pro concione in Parentum aures animosque ingerant, sua interesse Mysteriis nostræ Religionis susceptam prolem imbuere: et si ad id minus idonei fuerint, filios in Ecclesiam adduci oportere, in qua Divinæ Legis præcepta explicantur. Pluribus itidem in locis pia, ac laudabilis, et ubi non sit recepta, inducenda consuetudo invaluit, ut Parocho idem munus persequenti auxilium ferant Laici tum viri, tum mulieres, in Christiana institutione veluti adjutricem operam navantes, qui audiunt pueros, ac puellas Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apostolorum, aliaque id genus memoriter pronunciantes. Alibi quoque Sodalitia erecta sunt, quorum cura in explicanda Christianæ Religionis disciplina versatur, et quorum Institutum nedum meritis laudibus cumulat san. mem. Pius V. in sua Constitutione, quæ incipit: *Ex debito*; sed in omnibus etiam Diocesisibus propagari enixe exposcit. Quæ quidem omnia in unum collecta si sedulo perpendantur, certum omnibus, atque exploratum erit, ubi multa sit messis, paucos nequaquam esse Operarios, nec eos deesse, qui parvulis panem petentibus frangant.

§. 8. Sed quia compertum est, non solum Adolescentulos, illosque qui confirmata sunt jam ætate, in divinarum rerum ignoratione versari, sed etiam viros, ipsosque senes salutaris Doctrinæ esse omnino expertes; vel quia numquam illam perceperunt, vel quia jamdiu perceptam paulatim delevit oblivio: huic etiam malo provida Episcoporum occurret vigilantia, si operis sui Vicarios cogent, quæ parata sunt, remedia sedulo adhibere.

§. 9. Ut autem ab iis, qui in prima sunt ætate, sermo instituat, ad Sacram Eucharistiam, et Confirmationem admitti plures postulant: Pauci enim enixam hanc voluntatem, ac fere impatiens

A N N O
1742.

APatribus
familias.

Ab aliis
Laicis vi-
ris, et mu-
lieribus.

Et a piis
Sodali-
tatis, in
hunc fi-
nem erec-
tis.

Christia-
na Insti-
tutio o-
mni ætati
necessa-
ria.

Quid agen-
dum cum
pueris.

PONT. studium non præseferunt. Moneat igitur Episcopus
 A. II. Parochos, eisque districte præcipiat, ne quis eorum sacrum Eucharistiæ Sacramentum administret, et *Schedulam*, ut ajunt, confirmationis iis tradat, qui graviora Fidei, et Doctrinæ capita, et Sacramenti virtutem, et vim ignorent; vel quia parum in hoc Tirocinio profecerint, vel quia ea neglexerint audire, quæ ad hujusmodi Sacramenta pie, riteque suscipienda statis temporibus tradita sunt. Hoc sane pacto primæ ætatis satis videri potest consultum.

Quid cum §. 10. Si vero loquamur de Adolescentia, quoniam unusquisque proprium donum habet ex Adolescentibus, qui ad Ordines promoveri cupiunt. Deo, usu satis constat, alios Ecclesiasticæ, alios vero sæcularis vitæ rationem inire. De primo hominum genere verba jam fecimus, cum de iis ageremus, qui Ordinibus initiari volunt. Id unum addi posse videtur, rem fore magni commodi, multæque utilitatis plenam, si qui se sistunt examini, eos Præsul potissimum interroget de iis, quibus Christiani hominis scientia continetur. Etenim magistra rerum experientia edocuit, ex his aliquos, tametsi latini sermonis nitore, et elegantia exultos, in scientiarum curriculo liberaliter institutos, et quæ ad Ordines pertinent apprime callentes, de Doctrina tamen Christiana percunctanti parum, aut nihil apposite respondere.

Quid cum §. 11. Si autem ad eos, qui in sæculo de-
 iis, qui gunt, mentis aciem convertimus, palam fit,
 Matrimo- illos ut plurimum sacri conjugii fœdera inire.
 nio jun- Verum cum Matrimonio jungendi non sint, si
 gendisunt Parochus, ut debet, prius interrogando depre-
 henderit, Marem, seu Fœminam, quæ ad salutem necessaria sunt, ignorare; Vix tantæ, ac tam luctuosæ ignorantæ locum relinquet Episcopus, qui Pastores animarum admonet officii sui, et huic si desint, negligentæ repetat pœnas.

Ignoran- §. 12. Omnes denique omnium ætatum, atque
 tibus quæ ordinum homines solent identidem sordes ani-
 scire oportet neces- mæ Pœnitentiæ Sacramento detergere. Curabit
 sitate me- itaque Episcopus, ut Sacerdos excipiens Confes-

sores, fixum illud, immotumque animo semper habeat, invalidam esse Absolutionem Sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate *medii* impertitur, nec posse homines Deo per huiusmodi Sacramentum reconciliari, nisi prius excussa huius ignorantiae caligine, ad agnitionem Fidei educantur. Sedulo etiam animadvertet Confessarius, in aliud tempus rejiciendam esse Absolutionem illius, qui necessaria necessitate *praecepti* suo vitio nescit, et eo quandoque casu Pœnitentem absolvi posse, quod se vincibilis huius ignorantiae reum agnoscat, et accuset; ac intime dolens, tum a Deo veniam precetur, tum Confessario serio promittat, operam se impense daturum, qua, Divinae Gratiae praesidio, discat etiam necessaria necessitate *praecepti*.

ANNO

1742.

dii deue-
ganda est
absolutio.Quid agen-
dum cum
ignoranti-
bus quæ
scienda
sunt ne-
cessitate
praecepti.

§. 13. Hanc profecto Christiani Populi instituendi rationem si Pastores sibi proposuerint, si eorum consilia, labores, et studia ad propositam methodum duxerint referenda; sperare fas est, Fide, et Opere Gregem ita in dies profecturum, ut coedificetur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. At vero cum maximi momenti ea res sit, nullaque alia ad Dei gloriam, et ad animarum salutem utilius instituta, mirari nemo debet, quod plurima passim objiciantur impedimenta.

Occur-
rendum
impedi-
mentis.

§. 14. Sitæ quandoque sunt in agro parvæ, humilesque Ecclesiae, aliae Parochiali proximæ, aliae vero longo intervallo disjunctæ, ad quas diebus festis Patresfamilias una cum liberis accedunt, Sacerdotem Sacris operantem audituri; ex quo fit, ut suæ Parochiæ nunquam fere intersint, nec ullum deysteriis Fidei, de Præceptis, de Sacramentis verbum accipiant. Episcopus huic malo occurret, suamque objiciet auctoritatem. Et primo quidem, quoad parvas Ecclesias Parochiali proximas, expressa lege caveatur, ne quis antea Sacrificium faciat, quam Parochus Missam celebraverit, sermonem habuerit, ceterasque sui muneris partes absolve-

In aliqui-
bus Eccle-
siis rura-
libus non
permit-
tenda Mis-
sarum ce-
lebratio,
nisi post
Missam
Parochia-
lem.

PONT. rit. Hoc enim pacto Ecclesia Parochialis con-
 A. II. fluentium Parochianorum numero celebrabitur.

In aliis Quo vero ad parvas Ecclesias a Parochiali longe
 injungendum Pres- sepositas, cum difficile admodum sit, Parochia-
 byteris asperum, hyemali præsertim tempore, cum
 non Cur- pluvie inundant, Parochialem adire, ibique
 ratis ut Divinis Officiis interesse, relicta Ecclesia proxi-
 Populum miore: decernat Episcopus, gravibus etiam sta-
 instruant tutis pœnis, quod Sacerdotes ibi operantes Chri-
 stianæ Doctrinæ summam Populo tradant, Di-
 vinamque Legem annuncient. Monendus tamen
 est Parochus, ne alienæ operæ nimium tribuat,
 sed videat ipse quo loco res sint, cum pueri
 Sacramentum Eucharistiæ, et Confirmationis,
 alii vero Matrimonii, sibi administrari exposcant.

In Civita- §. 15. Præterea sua etiam Urbes habent im-
 tibus præ pedimenta: Sæpe enim contingit, in aliis Ec-
 scribenda clesiis, ac præsertim Regularium, solemniter
 ratio cele magnaue Populi frequentia, Festum aliquem
 brandi diem celebrari: ideoque si in Ecclesia Paro-
 Festivita chiali, summo mane, aut statim a prandio Ca-
 tes in Ec- techismus habeatur; aut nemo, aut pauci ad-
 clesiis modum sunt, qui eidem Catechismo intersint,
 non paro- quique præscriptas horas non causentur. Sin
 chialibus. vero captentur horæ Civitatis commodo magis
 appositæ, usu compertum est, populum ad Ec-
 clesiam confluere, in qua Festus dies agitur; et
 celebritate pompæ illectum, Doctrinam Chris-
 tianam non sine gravi animæ detrimento dese-
 rere. In hoc articulo quia certa, et communis
 regula præscribi non potest, id totum relictum
 esse volumus Prudentiæ vigilis Ecclesiæ Antis-
 titis, qui attenta loci, temporis, personarum
 qualitate, expensisque rerum omnium momen-
 tis, ita studeat solemniter diei celebritatem cum
 Doctrina Christiana componere, ne alteri altera
 sit impedimento. Quod si Regulares, et Exempti
 contradixerint, et sanctum hoc Doctrinæ opus,
 licet ab Episcopis prius admoniti, suis functio-
 nibus perturbare præsumperint; Nostram lo-
 corum Ordinariis auctoritatem, qua potimur in

exemptos, pollicemur; nec alia Pontificiæ vigi-
lantia deerunt remedia, ne Parochiales Ecclesiæ
debitis fraudentur obsequiis.

§. 16. Plurimum quoque ad Christiani Populi
institutionem conferre poterit, si Visitatores eli-
gantur, quorum alii Civitatem, alii Dioccesim
lustrantes, omnia sedulo inquirent, ut certior
factus Episcopus, pro meritis ejusque Pastoris,
aut præmia decernat, aut pœnas.

§. 17. Clementis Papæ VIII. aliorumque Præ-
decessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hor-
tamur in Domino, et enixe commendamus, in
Doctrina Christiana tradenda adhibere libellum
de Clementis ejusdem mandato a Cardinali Bel-
larmino conscriptum, mox in deputata Congre-
gatione diligenter examinatum, et approbatum;
ac denique ab eodem Clemente in lucem eo
saluberrimo consilio edi jussum, ut unus deinceps,
idemque modus in docendo, et discendo
Christianam Doctrinam, ab omnibus teneretur.
Nihil hac uniformitate optabilius; nihil ad præ-
cavendos, qui in multiplicem Catechismorum
varietatem irrepere possent errores, conducibilius,
atque opportunius. Sicubi vero contingat,
ob peculiare regionum necessitates, alium quem-
piam adhiberi forte libellum; sedulo invigilan-
dum erit, nequid ille contineat, nequid in eum
unquam inducatur, a Catholica veritate abso-
num. Curandum insuper, ut in eo fidei dogmata
clare, et dilucide sint explicata, additis, si quæ
desunt, necessariis, ac sublatis quæ redundant.
Brevis enim, et univoca docendi methodus mul-
tum prodesse solet ad faciliorem interrogatio-
nem, cum quis periculum facit progressus pue-
rorum.

§. 18. Complectatur Liber hujusmodi etiam
Fidei, Spei, et Charitatis Actus, quos recte
scienterque compositos esse, minime dubitan-
dum. Sed si aliter se res habeat, castigati emen-
dato prælo donentur. Actus prædicti paucis po-
tius, quam multis verbis efferri gaudent; dum
illis tamen tota vis, et natura virtutis expli-

ANNO
1742.

Visitato-
res per
Civitates,
et Diocce-
ses depu-
tandi.

Commen-
datur li-
ber Card.
Bellar-
min. de
Doctrina
Christia-
na.

Et gene-
raliter
uniformi-
tas in me-
thodo, et
ratione
docendi.

Actus
Fidei,
Spei, et
Charita-
tis Populo
tradendi.

PONT. cetur. Et quia Christianam Religionem profi-
 A. II. tenti maxime necessaria est consuetudo, et exer-
 Et publi- citatio sæpius eliciendi dictos Actus; idcirco ne
 ce in Ec- illorum usus circumscribatur angustis finibus,
 clesiis fre et exiguo numero a quibusdam singulis annis
 quantan- præfinito; Episcopus suæ non minus, quam
 di. alienæ salutis studiosus, provide statuatur, ut in
 Parochis, tum Urbis, tum Diœcesis, Rectores
 Animarum, post Missam Festo die celebratam,
 statim ante Aram provoluti, clara, et intelli-
 gibili voce dictos virtutum actus eliciant, et
 præire satagant Populo, verba ab ipsis prolata
 devote reddituro. Hoc enim pacto Fideles sen-
 sim illos memoriæ mandabunt, et assuescent,
 nedum Festis, sed aliis etiam diebus, in hac
 pia exercitatione versari.

Adhorta- §. 19. Saluberrimas has erudiendi Gregis ra-
 tio Ponti- tiones, quas Vobis, Venerabiles Fratres, per
 ficis ad hæc Apostolica scripta notas esse volumus, quis-
 Episco- que vestrum facile intelliget, consonas esse
 pos, cum *Monitis Nostris Pastoralibus* prælo jam deman-
 mentione datis, cum Sponsam Nostram Bononiensem Ec-
 Instructio clesiam Paterna Charitate cominus amplectere-
 num Pa mur: illasque præterea ex Pontificiis Constitu-
 storali- tionibus haustas esse, et spectabilium Antistitum
 ab ipso Testimonio, et exemplo comprobatas. Quia
 editarum. vero maximam inde utilitatem proficisci experi-
 mento cognovimus; quo majori possumus studio
 Vos hortamur, et admonemus, ac per Viscera
 Misericordiæ Dei nostri enixe obtestamur, ut
 pro injuncto Vobis Pastoralis Ministerii debito,
 præmissorum executioni strenuo, constantique
 animo incumbatis: sedulo recogitantes, quid-
 quid laboris, studii, ac vigilantix in hunc scopum
 collatum fuerit, Deum omnium Bonorum
 Datorem uberi mercede retributurum, et Apo-
 stolicam Benedictionem ex animo Vobis imper-
 timur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem
 7. Febr. die VII. Februarii MDCCXLII. Pontificatus No-
 1742. stri Anno Secundo.

MARONITARUM

XLIII.

Patriarchæ attribuitur annuum caritativum subsidium; abrogata consuetudine colligendi præstationes pecuniarias in distributione Sacrorum Oleorum. *Episcopis* Maronitis certæ Sedes assignantur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

APOSTOLICA Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Jesu Christi Pastorum Principis, cujus Supremas vices plane immerentes gerimus, in terris Vicariorum sollicitudo, ac providentia ad æternam Christifidelium salutem procurandam semper intenta, in eo maximopere commendatur, quod inter cætera ab iisdem ad animabus ejusdem Jesu Christi sanguine redemptis opportune, ac frugifere consulendum, sapientissime instituta atque sanctissime custodita, omni etiam cura, ac labore confirmare, et sub canonicis censuris, ac pœnis exigere studuerint, nimirum, ut et Ecclesiarum Pastores, quibus ovium salus commissa est, non Mercenariorum more, sed attendentes sibi, atque universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, præsidentes, inque suis residentes Ecclesiis vigilarent; et ab Ecclesiastico Ordine omnis vel minima avaritiæ suspicio, aut simoniacæ labis species, in iis præsertim, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, penitus amoveretur. Non alia sane ratione Antistitum inauguratio spirituale dicitur fœdus conjugii, quod est inter Episcopum, et Ecclesiam, cui præficitur, in electione initiatum, in con-

Disciplina Ecclesiæ, quoad residentiam Episcoporum, et gratuitam Sacrorum administrationem.

PONT. A. II. firmatione ratum, in consecratione consummatum, ita ut transcursiones etiam de una ad aliam Ecclesiam, nulla intercedente legitima gravissimaque causa, veluti spiritualis adulterii species existimatæ fuerint a Sanctis Patribus, et Sacrorum Canonum sanctionibus, per maximas pœnas coercitæ. Eodem prorsus modo, ut non solum sine Simonia labe, verum etiam sine avaritiæ suspiciōne Sacramenta administrarentur, inhibitum fuit, ne pro pastu, vel alicujus consuetudinis obtentu, in iis, quæ Sacramenta respiciunt, etiam a sponte dantibus, non secus ac voluntariæ antiquitus fiebant oblationes, quidquam directe, vel indirecte accipiat, aut exigatur.

Laudantur Canones Synodi Nationalis Maronitarum circa utrumque caput. §. I. Eapropter Apostolicis laudibus prosequimur Venerabiles Fratres Josephum Petrum Antiochenum et Antistites Maronitas, cæterosque, qui in Synodo Provinciali, sive totius Nationis Maronitarum, Apostolica fel. rec. Clementis PP. XII. Prædecessoris nostri, qui ad hujusmodi effectum ad Montem Libanum dilectum Filium Magistrum Josephum Simonium Assemanum in utraque Signatura nostra Referendarium, Prælatum nostrum Domesticum, et Intimum Cubicularium ablegaverat, primum indictâ, et celebratâ, deinde nostra quoque auctoritate, per alias nostras in simili forma Brevis Literas die prima mensis Septembris anno MDCCXLI. proxime elapso datas, quarum tenorem præsentibus pro expresso, et inserto haberi volumus, et in quibus uberius continetur, approbatâ confirmatâque, interfuerunt. Enimvero, cum Antiocheni pro tempore Patriarchæ Maronitarum, ob jus quoddam, quod nullis canonicis documentis suffultum, sed sive antiquissima consuetudine, sive propria auctoritate, sive quomodolibet inventum erat, non solum Antistites, qui jam suis Ecclesiis addicti, ab iisdem propter Turcarum tyrannidem absentes, ipsarum Ecclesiarum populis præesse minime possent, aliis, sed prioribus, quibus incardinati

erant, haud dimissis, Ecclesiis in Chesroani, et Montis Libani Diœcesibus existentibus, veluti suos ad nutum amovibiles præficere Vicarios; verum etiam oblationes pecuniarias, vel alterius rei præstationes, pro necessaria victus dignitatique Patriarchalis, aliis deficientibus congruentibus redditibus, sustentatione, ut asserebatur, tempore, et occasione distributionis Sacrorum Oleorum fieri consuetas exigere solerent; hujusmodi asserto juri tamquam non legitimo, quin immo Sacris Canonibus in viso, per duos Canones in eadem Synodo conditos derogatum fuit.

ANNO
1742.

§. 2. Verum inter alia dubia, quæ proposita, et examinata fuerunt in particulari Congregatione aliquot Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpositorum pro approbatione dictæ Synodi a Nobis deputata, et coram Nobis habita, etiam hæc duo fuere discussa, nempe primum: *An Canon prohibens Patriarchæ quancumque exactionem in distributione Olei Sancti Parochis, sustineatur, et mereatur confirmationem?* Secundum: *An Canon quod residentium Episcoporum Maronitarum in propriis Titulis Ecclesiarum Episcopaliū, sit approbandus, et quid quoad Appendicem Synodi Cap. XLI. in quo adest divisio Sedium Episcopaliū, cum limitibus Diœcesum Maronitarum, pro distributione Diœcesum in tot Episcopis, itaut non possint amoveri a Patriarcha?*

Eorum
examen
instituitur
in
Congr.
partic. de
Prop.
Fide.

§. 3. Tenor autem memoratæ Appendicis est, qui sequitur. *Appendix XLI. post Synodum Montis Libani Metropolitanorum, et Episcoporum Maronitarum Sedes, et Limites. Patriarcha Antiochiæ, ac totius Nationis Maronitarum Sedem habet in Monte Libano in Cœnobio, quod Canubinense dicitur: Sub eo erant Archiepiscopi, et Episcopi sequentes. I. Tyri. II. Damasci. III. Cypri. IV. Alepi. V. Beryti. VI. Tripolis. VII. Botri. VIII. Aco, seu Ptolemaidis. IX. Laodiceæ. X. Apameæ. XI. Arcæ. XII. Eden. XIII. Sarepta. XIV. Pâneadlis. XV. Listræ, seu Bybli.*

Articulus
Appendicis
Synodi de
numero,
et limitibus
Diœcesum
Maronitarum.

PONT. XVI. Neapolis. Sed in Synodo Montis Libani
 A. II. die xxx. Septembris MDCCXXXVI. decreverunt
 Patres, ut Maronitarum Diœceses imposterum
 ad octo tantum redigerentur; salva Reverendis-
 simo Domino Patriarchæ Episcopos nonnullos
 titulares ordinandi potestate; videlicet. I. Alepi,
 seu Berocæ, et adjacentium Locorum. II. Tri-
 polis: Hujus Pontificis jurisdictionis extenditur a
 Tripoli, et Jania ad Arcam Balaneam, Aradum
 Orthosiadem, Gabalum, Laodiceam, usque ad
 fines Alepi. III. Bybli, et Botri: hujus juris-
 dictionis extenditur in Diœceses Bybli, et Botri,
 Acurcæ, Dairalamari, et Regionis Bisarojæ. IV.
 Heliopolis, seu Baalbech: hujus jurisdictionis ex-
 tenditur in Diœceses Heliopolis, et Phatuchæ in
 Bybliensis Regionis confinio, et dimidiæ partis
 ditionis Gazirensis, cujus caput Gusta, et Ga-
 zir. V. Damasci: hujus jurisdictionis extenditur in
 Diœcesim Damascenam, necnon ampliatur ad
 alteram dimidiam partem ditionis Gazirensis,
 cujus caput est Agelton, complectitur præterea
 Bascontam Zuc-Charabam, et Zabbugam. VI.
 Cypri; hujus jurisdictionis complectitur universa
 Insulæ illius Castella, ac præterea in Chesroena
 Regione habet Bacafajam, Bet-scebabam, ea-
 rumque Villas, necnon Villas Chesroenicæ us-
 que ad Pontem Beryti. VII. Beryti; hujus ju-
 risdictionis extenditur a Beryto usque ad Mathanam,
 et Giordam, et Algarbam, et Sciacharam Ma-
 thanæ, et usque ad Pontem Fluvii Cadi, seu
 Tamyris. VIII. Tyri, et Sidonis; hujus jurisdi-
 ctionis complectitur Sidonem, Tyrum, earumque
 Villas, necnon Suph-Bacaam, Vallem Taincæ,
 et adjacentes Terras a Fluvio Tamyri, usque ad
 Sanctam Civitatem Hierusalem. Nos subscripti
 hanc Diœcesum distributionem approbamus. Da-
 tum in Sancta nostra Synodo in Monasterio Dei-
 paræ de Loaisa die xxx. Septemb. MDCCXXXVI.
 Joseph Petrus Patriarcha Antiochiæ. Gabriel
 Sareptæ. Simeon Damasci. Abdalla Beryti. Elias
 Arcæ. Basilius Tripolis, Philippus Lystræ. Ste-
 phanus Botri. Gabriel Aco. Johannes Laodiceæ.

Ignatius Tyri, Gabriel Alepi, Michael Paneadis, Tbbias Cypri. ANNO 1742.

§. 4. Ad primum autem responsum fuit. *Ap- Congregationis
probandum, et ad Sanctissimum, qui dignetur Judicium
alio modo providere Domino Patriarchæ. Ad se-
cundum etiam responsum fuit. Pro approbatione
Canonis demandantis Residentiam Episcoporum,
et ad Sanctissimum quoad contenta in Appendice
Cap. XLI. in quo proponuntur Metropolitanorum,
et Episcoporum Maronitarum Sedes, et Limites.*

§. 5. Nos igitur, qui nihil optamus impen- Pontifex,
sius, quam ut Ecclesiastica disciplina per uni- expensis
versum Catholicum Orbem, ubi quidem integra iterum ca
viget, magis magisque confirmetur, ubi vero pitibus in
collapsa est, opportune instauretur; ut in rebus suspenso
tanti momenti ea, qua opus est, consilii, ma- relictis.
turitatis, et examinis ratione procederemus,
Venerabili Fratri Nostro Vincentio S. R. E.
præfatæ Cardinali Petra nuncupato ejusdem Con-
gregationis Propagandæ Fidei Præfecto commi-
simus, ut postquam cum dictæ Synodi Reviso-
ribus, aliisque rerum Maronitarum peritis super
præmissis accuratissime egisset, ad Nos referret.
Quoniam autem ipse Venerabilis Frater Noster
Vincentius Cardinalis, auditis Revisoribus aliis-
que, ut præmittitur, rerum Maronitarum peri-
tia instructis, erutisque ex Archivo dictæ Con-
gregationis Propagandæ Fidei documentis, iisque
invicem expensis, ad Nos retulit, oblationes pe-
cuniarias, vel alterius rei præstationes, fieri
quidem tempore, et occasione distributionis
Sacrorum Oleorum, revera esse, ut ab initio
cceptum fuit, pecuniarias oblationes, vel alterius
rei præstationes Patriarchis pro tempore existen-
tibus, alimentorum, et dignitatis tuendæ, mu-
nerisque Patriarchalis commodum obeundi causa,
debitas atque præscriptas; necnon residentiam
Episcoporum Maronitarum in propriis titulis
Ecclesiarum, et divisionem Sedium Episcopa-
lium, cum limitibus Diœcesum, earumque re-
ductionem, prout in Appendice præinserta con-
tinentur, omnino necessariam, utilem, ac sa-

PONT. lutarem esse : Hinc est, quod Nos, qui in clytam
 A. II. Nationem Maronitarum quamvis Hæreticis, Schis-
 maticis, Maumethanis, et Idololatriis, undique
 Canones, maticis, Maumethanis, et Idololatriis, undique
 et Appen- circumseptam, tamen veluti rosam inter spinas,
 dicem con- et scopulum inter undas, semper in Catholica
 firmat. Romana Fide constantem, ac propterea a Ro-
 manis Pontificibus Prædecessoribus nostris tanto-
 pere existimatam, ad eorumdem Prædecessorum
 nostrorum exempla plurimi facimus, et Aposto-
 lica caritate complectimur; motu proprio, et ex
 certa scientia, ac matura deliberatione nostris,
 deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore
 præsentium, primum utrumque Canonem, et
 in eis contenta quæcumque, ac præinsertam Ap-
 pendicem approbamus, et confirmamus, illisque
 Apostolicæ firmitatis robur perpetuo adjicimus,
 atque in perpetuum deinceps observari præci-
 pimus, et mandamus.

Patriar- §. 6. Deinde modernum Patriarcham, ejusque
 cham, e- Prædecessores, necnon tam eos, qui dedissent,
 jusque De Prædecessores, necnon tam eos, qui dedissent,
 cessores, quam qui accepissent dictas oblationes pecunia-
 ab avari- rias, vel alterius rei præstationes, easque sive
 tiæ, aut datas, vel dandas, sive acceptas, vel accipiendas
 Simoniæ pro Sacrorum Oleorum distributione esse exi-
 nota pur- stimassent, ab omni Simoniacæ labis pravitate,
 gatos, de- et turpi avaritiæ quæstu immunes fuisse, et esse,
 clarat. neque imposterum a quoquam ausu temerario,
 veluti Simonicos, et avaros, insimulari posse,
 et debere declaramus.

Eidem, §. 7. Præterea, ne moderno, et pro tempore
 ejusque existenti Patriarchæ, ut præmittitur, desint ali-
 Successo- menta, et subsidia, statuimus, et quatenus opus
 ribus, au- sit, præcipimus, et mandamus omnibus, et sin-
 nuum gulis Ecclesiarum, Monasteriorumque Parochis,
 Caritati- et Superioribus Nationis Maronitarum, ut sin-
 vum Sub- guli Parochi, et Superiores hujusmodi, juxta
 sidium, designationem instructionemque ab ipsa Con-
 pro ali- gregatione Propagandæ Fidei confectam, atque
 mentis at una iisdem nostris Literis adjungendam, et in
 tribuit. virtute Sanctæ Obedientiæ, et sub pœnis ad Apo-
 stolicæ Sedis, et pro tempore existentis Patriar-
 chæ arbitrium imponendis omnino servandam,
 singulis

ANNO
1742.

singulis annis die Dominica infra Octavam solemnitatis Beatæ Virginis Mariæ Immaculatæ in Cælum Assumptæ, a currenti anno MDCCXLII. incipientes, in perpetuum Patriarchæ pro tempore existenti antedictas pecuniarias oblationes sub nomine Caritativi Subsidiï contribuant, et solvant; necnon statum Animarum, quarum curam gerunt, ad sæpedictæ Synodi præscriptum, et normam, eidem Patriarchæ deferant, a quo et literas instructivas, sive pastorales, de more, sicut antea in Sacrorum Oleorum distributione fiebat, accipiant, ipse vero pro tempore existens Patriarcha alio opportuno tempore Sacra Olea gratis omnino transmittat, sive distribuat, et nihil penitus, vel pecuniæ, vel alterius cujuscumque rei, etiam a sponte dantibus recipiat, aut exigat.

Sacravero Olea absque ullius oblationis exactione distribui jubet.

§. 8. Insuper motu, scientia, potestate, ac tenore paribus statuimus, et declaramus numerum Sedium, ac Diœcesum Episcopaliū, et Episcoporum Maronitarum, ad septem dumtaxat, excepta Patriarchali Sede et Archidiœcesi, quacum octo existunt, redigendum reducendumque esse, prout in præinserta Appendice cum suis respective distinctis Diœcesibus, Oppidis, Terris, Ecclesiis, ac Monasteriis, juxta præscriptos fines, ac terminos, redactus reductusque est, et Nos, quatenus opus sit, de novo redigimus, et reducimus, et redactum reductumque esse et haberi, decernimus, et definimus.

Diœcesum numerum septenarium, præter Patriarchalem præfinit.

§. 9. Item volumus, et mandamus ut, postquam reductio hujusmodi, ut infra, locum habuerit, in hisce octo Diœcesibus distinctis, et ab invicem divisis, ac separatis, tam Patriarcha in sua, (quam ad sui arbitrium semel eligendam, seu semel electam, et Archidiœcesim, nuncupatam, Patriarcham eligentem ejusque Successores nunquam permutare posse decernimus, et definimus,) quam singuli septem Episcopi in suis respective Diœcesibus constituti, et incardinati perpetuo sint, et habeantur; ita, ut

In quibus Episcopos perpetuo incardinari decernit.

PONT. nunquam ad Patriarchæ pro tempore existentis
 A. II. nutum amoveri possint , nisi vel per canonicam , ob gravissima crimina , juris ordine servato , privationem , vel per legitimam de una ad aliam Diœcesim juxta Sacrorum Canonum regulas , et Juris communis dispositiones , translationem.

Patriarchæ jura , existens Patriarcha jus habeat Antistites juxta et facultates enunciat. §. 10. Præter hæc modernus , et pro tempore existens Patriarcha jus habeat Antistites juxta morem , et non aliàs , in qualibet Sede , et Diœcesi pastoris solatio destituta constituendi , et incardinandi ; singulis trienniis singulas Diœceses per se ipsum visitandi ; Decimas consuetas (Decima tamen Decimarum singulis Antistitibus in suis respective Diœcesibus relicta) in iisdem Diœcesibus colligendi ; et Emolumenta Dispensationum , quæ ad Patriarcham spectant , exigendi ; nec non Legata , vel dictæ Diœcesi , quæ Sedi Patriarchali unita fuerit , vel ipsi pro tempore Patriarchæ relicta acquirendi ; et pro hujusmodi effectu unum aut plures Collectores , et Ministros in Dictis Diœcesibus deputandi ; Sacra Olea consecrandi , et in singulas septem Diœceses privative distribuendi , et , ut ante statutum est , et non aliter , mittendi ; Cæterum aliis , si quæ sunt Patriarchæ pro tempore existenti reservata , et debita tam præscripto jure , quam invecta consuetudine , juribus , de quibus nulla in hisce præsentibus fit mentio , nullum ideo præjudicium per ipsas præsentibus inferri , et illatum esse volumus , et intendimus.

Sine præjudicio aliorum hic non expressorum.

Executio reductionis Diœcesum pro vide differtur.

§. 11. Denique ut reductio Sedium Episcopali-um e tredecim ad septem , præter Patriarchalem , dumtaxat , prout in præinserta Appendice contenta atque præscripta , debitæ executioni juxta commendatissimum caritatis , et providentiæ Ordinem demandetur ; volumus atque præcipimus , ut moderni Antistites Maronitæ , qui veluti Patriarchæ Vicarii missi , dum reductio hujusmodi statuta fuit , tredecim in Chesroano in humanis agebant , etsi , interea temporis duobus eorundem viam universæ carnis ingressis ,

ANNO
1742.

undecim in præsentia numerentur, eodem pacto, quemadmodum antea servabatur, veluti ipsius Patriarchæ Vicarii ad nutum amovibiles eousque sint, et habeantur, donec septenarius eorundem superstitem numerus remanserit: Quo facto, reductio septem Sedium hujusmodi tunc, et non antea, locum habeat, et constituta intelligatur; atque idem pro tempore existens Patriarcha, electa prius Patriarchali Sede, singulos singulis Sedibus Antistites ad sui libitum, sed secundum prudentiæ, et caritatis leges præficiat, et assignet, ita tamen, ut assignatio hujusmodi perpetuo facta, et unusquisque Antistes perpetuo constitutus, et incardinatus sit, et intelligatur, Sedi, et Diœcesi, quæ semel unicuique assignata fuerit.

§. 12. Decernentes easdem præsentibus literas, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu aliàs specifica, et individua mentione, et expressione digni existant, iisdem præsentibus non consenserint, nec vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indulgentiarum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, et audiri semel, vel pluries quomodolibet debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et formali, ac substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sor-

Præsentium
Literarum
perpetuo
vigori
consulitur.

PONT.
A. II.

Sublata
secus ju-
dicandi fa-
cultate.

tiri, et obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque, et quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, et functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et dictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria
non ob-
stare de-
cernitur.

§. 13. Non obstantibus præmissis omnibus, ac nostrâ, et Cancellariæ nostræ Apostolicæ, quatenus opus sit, regula de jure quæsito non tollendo, nec non Apostolicis, atque in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, præsertim pro universa Natione Maronitarum Constitutionibus, et Ordinationibus, aliisque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, sive universæ Nationi, sive Patriarchæ, Antistitibus, et populis Maronitis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere, vel in specie, aut aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Earum-
dem Lite-

§. 14. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, tam

latine, quam Syriace, aut Arabice, tum manuscriptis, tum typis impressis, et manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xiv. Februarii MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno II.

ANNO
1742.
rarum exemplis, et
versionibus auctoritas tribuitur.
Dat. die
14 Febr.
1742.

D. Card. Passioneus.

~~~~~

## ABOLITIO TRIBUNALIUM,

XLIV.

Et Judicium particularium ab Innocentio XII. facta confirmatur, et innovatur quoad Judicaturas deinceps erectas; Nonnullarum Congregationum, et Tribunalium facultates, et jurisdictiones præfiniuntur.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**Q**UANTUM ad procurandam Reipublicæ temporalem felicitatem conducat, si cuique petenti jus suum prompte, et expedite reddatur, initio Pontificatus nostri animo revolventes, sollicito mentis oculo circumspeximus, si qui abusus, aut pravæ consuetudines paulatim, ut contingere solet, irrepsissent, quæ judiciorum ordinem bene, ac sapienter a Prædecessoribus Nostri in hac alma Urbe constitutum perturbarent, justitiæque cursum impedirent, ut opportuna Paternæ Nostræ Providentiæ remedia afferremus.

Pontificis  
studium  
pro expeditioni  
justitiæ  
administratione.

§. I. Cum itaque Congregatio nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Ro-

Congregationis



PONT. manæ Ecclesiæ Cardinalium , ac nonnullorum  
 A. II. dilectorum Filiorum Romanæ Curix Prælato-  
 particu- rum , et Juris Peritorum , ad submovendos hu-  
 laris de- jusmodi abusus , qui in Romana Curia propter  
 putatio , nimium frequentes Judicum particularium , alio-  
 ejusque rumque privativam ex privilegio jurisdictionem  
 consilium in certis causis exercentium deputationes exorti  
 fuerant , a Nobis Apostolica auctoritate specia-  
 liter deputata , censuerit ad huic malo , et in-  
 commodo occurrendum , ut novæ nostræ per-  
 petuo valituræ literæ per Nos , ut infra , pro-  
 mulgentur , per quas nedum specificè confir-  
 metur auctoritate Nostra , cum insertione totius  
 tenoris , provida Constitutio fel. record. Inno-  
 centii Papæ XII. Prædecessoris Nostri , quæ in-  
 cipit : *Romanus Pontifex* ; sed ulterius omnes  
 judicaturæ particulares quæcumque , et cujus-  
 libet generis , post præfatam Constitutionem re-  
 stitutæ , vel denuo hactenus erectæ , et consti-  
 tutæ , vigore literarum Nostrarum , et aliorum  
 Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostro-  
 rum , tam sub Plumbo , quam sub Annulo Pesca-  
 toris , aut Motus Proprii , seu Chirographi desu-  
 per expeditarum , de medio tollantur , explici-  
 teque abrogentur : Nos , qui ex Pastoralis Officii  
 Nostri munere , Tribunalia quæcumque Judicum  
 Ordinariorum , veluti justitiæ fontes in agro  
 Dominico Nobis ex Alto commisso constitutos ,  
 ab omni impedimento , et perturbatione eximere  
 cupimus , providum Congregationis prædictæ  
 consilium , nostrisque consonum desideriis , li-  
 benter amplectens , Motu proprio , ex certa scien-  
 tia , ac de Apostolicæ potestatis plenitudine No-  
 stra , prædicti Innocentii Prædecessoris Consti-  
 tutionem præfatam , cujus tenor talis est , vide-  
 Innoc. licet :

XII. Con-  
 stitutio  
 pro sup-  
 pressionem  
 Tribuna-  
 lium par-  
 ticulari-  
 um.

§. 2. INNOCENTIUS *Episcopus Servus Servo-  
 rum Dei ad perpetuam rei memoriam. Romanus  
 Pontifex curæ agri Dominici more diligentis Pa-  
 trisfamilias indesinenter invigilans , ut , juxta  
 verbum Propheticum , noxia evellat , et destruat ,  
 utilia vero , plantet , et ædificet , ea etiam , quæ*

*aliàs rationabilibus tunc suadentibus causis a Sede Apostolica concessa fuerunt, ex aliis validioribus, seu supervenientibus rationibus, quibus præsertim faciliori, ordinario, et juridico justitiæ cursui in Romana Curia cæterarum Magistræ, uberius consulitur, ad viam juris reducere, moderari, immutare, et revocare non desinit, et in his sollicitudinis suce studium interponit, quando, et prout in Domino conspicit salubriter expedire.*

§. 3. *Hinc est, quod Nos sedula meditatione pensantes, privilegia privatarum, seu cumulariarum jurisdictionum, etiam cum facultate proprios, seu benevisos Notarios habendi, seu deputandi, quampluribus præfatæ Curie particulariter institutis Judicibus, seu Tribunalibus a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris aliquorum sæculorum spatio concessa, ita paulatim quidem, sed in immensum excrevisse, ut Judicium, et Tribunalium Ordinariorum jurisdictionum conflictu, et Judicium competentia, frequentes contentiones, expeditam Causarum terminationem cum Litigantium damno, et Causidicorum incommodo differentes, irrepserint, ac propterea inter alia, quæ circa eandem Curiam emendanda, reformanda, et rectius ordinanda suscepimus, quantum Nobis ex alto conceditur, hujusmodi absurdis occurrere, ac præfatæ Curie, ejusque Judicium, et Tribunalium majori decori, et ordini, sicut justitiæ ratio, et publica utilitas postulant, hac nostra speciali constitutione prospicere volentes: Motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, necnon de nonnullorum dilectorum filiorum ejusdem Curie Prælatorum, et Virorum pietate, et doctrina, prudentia, et rerum usu præstantium, ad hunc effectum de mandato Nostro pluries congregatorum, consilio, omnia, et singula hujusmodi particularia Tribunalia, et speciæles Judices vigore præfatorum privilegiorum in eadem Curia hactenus constituta, seu constitutos, tenore præ-*

ANNO  
1742.  
Procemi-  
um.

Numerus  
et facultates  
Tribunalium  
particularium  
ordinem justitiæ  
retardant.

PONT. *sentium penitus, et omnino supprimimus, abole*  
 A. II. *mus, et abrogamus. Ac propterea ad viam juris*  
 Ideo re- *reducimus omnia, et singula indulta, facul-*  
 vocantur *tates, et privilegia habendi, seu deputandi tam*  
 Indulta *in prima, quam in ulterioribus instantiis, omnes*  
 habendi, *prædictos particulares Judices quocumque nomine*  
 aut depu- *nuncupatos, ac etiam Assessores, Congregationi-*  
 tandi Ju- *bus, etiam S. R. E. Cardinalium, Ecclesiis, et*  
 dices par- *Basilicis, etiam Patriarchalibus, Monasteriis,*  
 ticulares. *Abbatiis, Collegiis, etiam Nationalibus, etiam*  
*sub cura, et administratione Presbyterorum, seu*  
*Clericorum Regularium Societatis Jesu existi-*  
*tibus, Archihospitalibus, et Hospitalibus, etiam*  
*Sancti Spiritus in Saxia, et Neophitorum, Ar-*  
*chiconfraternitatibus, Confraternitatibus, etiam*  
*Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis, Monti-*  
*bus etiam Pietatis, Monasteriis, etiam Mulierum*  
*Pænitentium, Ordinibus, Congregationibus, et*  
*Institutis, etiam Societatis Jesu, Curiis, et Ju-*  
*dicibus, etiam Burgi, et Arcis S. Angeli, Mi-*  
*litiis, etiam S. Joannis Hierosolymitani, quibus-*  
*cumque Universitatibus, et Consulatibus, etiam*  
*Artium, Conservatoriis, Domibus Piis, etiam*  
*Almæ Domui Lauretanæ, Capellis, etiam ad*  
*Præsepe Jesu Christi, et Imaginis Beatæ Mariæ*  
*Virginis in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris,*  
*Altaribus, cæterisque, aliis Locis Piis quocun-*  
*que pariter nomine nuncupatis, seu Cardinalibus*  
*eorum Protectoribus, Archipresbyteris, Abbati-*  
*bus, Vicariis, aliisque administratoribus quibus-*  
*cumque, ac Præfectis, etiam Palatii nostri Apo-*  
*stolici, in quibusvis Causis Civilibus, Criminali-*  
*bus, aut mixtis, activis, et passivis dictarum*  
*Ecclesiarum, Locorum Piorum, aliorumque ut*  
 Cum fa- *supra, necnon eorum Officialium, Dignitatum,*  
 cultati- *Canonicorum, Beneficiatorum, Affictuariorum,*  
 bus eligen- *Emphyteutarum, Colonorum, aliorumque quo-*  
 di Nota- *modolibet inservientium iisdem Locis Piis, illo-*  
 rios, aliis- *rumque bonis, et Tenutis, etiam cum quibusvis*  
 que etiam *facultatibus, et auctoritatibus eligendi Notarios*  
 quomodo- *sibi benevisos, ac procedendi summarie de plano,*  
 cumque *concessis. sola facti veritate inspecta, sine strepitu, et*



*figura Judicii, manu Regia, ac quacumque appellatione, reclamatione, recursu, revisione, supplicatione, seu restitutione in integrum remotis, seu cum aliis similibus, aut majoribus facultatibus, etiam per Nos, et quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, et cum quibuscumque etiam derogatarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, et Principum quorumlibet preces, et instantiam, seu eorum contemplatione, et intuitu, ac etiam in limine foundationis, seu ex quacumque causa, non tamen vere onerosæ, videlicet congruæ, et effectivæ solutionis Camere nostræ legitime factæ, et non aliàs, vel pro bono publico Spirituali, aut temporali, etiam ex causa studii, et Catholicæ fidei, ac aliàs quomodolibet in contrarium præsentium concessa, confirmata, et approbata, ac pluries, et quantiscumquè vicibus innovata, quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita, et certa forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, causas, et occasiones, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, servatis, et specificatis respective habentes, perinde ac si præfata indulta, facultates, et privilegia concessa, confirmata, et innovata non fuissent, ad effectum præsentium specialiter, expresse, plenissime, et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, et mandamus.*

Non tamen concessis ex causa vere onerosa.

§. 4. *Iisdem pariter modo, et forma, omnia et quæcumque indulta, facultates, et privilegia dilecto Filio nostro, ac pro tempore existenti in*

Jurisdictione Card. Vicarii

PONT. *Urbe, ejusque districtu Vicario in Spiritualibus*  
 A. II. *Generali, sub quibusvis formis, decretis, clausulis,*  
 Urbis re- *aliisque supradictis, per quoscumque Romanos*  
 ducitur *Pontifices Prædecessores nostros, et præsertim*  
 ad pristi- *per fel. rec. Clementem Papam X. etiam Præde-*  
 num sta- *cessorem Nostrum quibusdam suis pridie Idus Au-*  
 tum. *gusti anno Incarnationis Dominicæ millesimo*  
*sexcentesimo septuagesimo primo expeditis lite-*  
*ris concessa, ad statum, in quo erant ante lite-*  
*ras piæ mem. Pauli Papæ V. pariter Præde-*  
*cessoris Nostri Kalendis Martii anno ejusdem*  
*Incarnationis millesimo sexcentesimo undecimo*  
*super reformatione Tribunalium Urbis editas, et*  
*respective juxta easdem literas, in judicialibus,*  
*reducimus.*

Causæ §. 5. *Liceat tamen Judicibus, ut supra, sup-*  
 jam con- *pressis, et abrogatis, qui vigore privilegiorum,*  
 testatæ ex *ut præfertur, processerunt, causas coram iisdem*  
 pediri per *hactenus jam instructas, seu aliàs legitime con-*  
 mittun- *testatas, prædictis non obstantibus, per totum*  
 tur intra *mensem Decembris proxime venturi, prout juris*  
 certum *fuert, expedire, ita ut eo tempore elapso, hu-*  
 tempus. *jusmodi causæ ad Judices Ordinarios, et com-*  
*petentes Romanæ Curix, in statu, et terminis,*  
*ipso facto devolvantur.*

Recursus §. 6. *Quod si hujusmodi causis interim expe-*  
 tamen, et *ditis, appellari, reclamari, supplicari, recurri,*  
 appella- *aut restitutionem in integrum peti contigerit, ap-*  
 tiones ad *pellationes hujusmodi, reclamationes, supplica-*  
 Judices *tiones, recursus, et restitutionis in integrum pe-*  
 Ordina- *tiones, non amplius ad Tribunalia antiquorum*  
 rios sive *privilegiatorum, sive ad Protectores, Archipres-*  
 ad Signa- *byteros, aliosque, ut supra, sed ad Signaturam*  
 turam Pa- *Justitiæ, et respective ad suos Superiores, et Or-*  
 pæ fieri *dinarios, prout in cæteris causis per Judices Or-*  
 jubentur. *dinarios expeditis servatur, devolvantur, et de-*  
 Idemquo- *volutæ sint, et esse censeantur.*  
 ad recur- *§. 7. Similiter etiam in casu appellationum,*  
 sus et ap- *reclamationum, supplicationum, recursuum, ac*  
 pellatio- *restitutionis in integrum petitionum a sententiis,*  
 nes extra *et decretis Judicum per eosdem privilegiatos ex-*  
 Curiam *tra Curiam præfatam deputatorum, seu deputan-*  
 interpo- *das.*

ANNO  
1742.

dorum in posterum interponendarum, eadem appellationes, reclamaciones, supplicationes, recursus, ac restitutionis in integrum petitiones non amplius ad supranominatos cujuscumque dignitatis, etiam Cardinalitice sint, qui etiam ratione Episcopatum, Guberniorum, Abbatiarum, Commendarum, aut ex alio quovis titulo, vel privilegio, hujusmodi jurisdictionem tum in committingendo, tum in decernendo, vel in judicando, usque ad præsens in Urbe per se, vel per alios exercuerunt, sed ad Judices Ordinarios, et competentes ejusdem Romanæ Curie devolvantur indifferenter, et pari modo, sicuti in ceteris causis per alios Judices de Partibus expeditis servatur, nulla habita ratione privilegiorum, et antiquarum facultatum.

§. 8. Habentes autem facultatem eligendi in partibus Judicem secundarium instantiarum, teneantur illum ibidem per unicam, et universalem deputationem ad omnes hujusmodi causas constituere, et si vel super recusatione, vel super modo procedendi coram dicto Judice deputato, emerget controversia, ad Signaturam Justitiæ, prout in ceteris causis, et negotiis fieri solet, recurratur. In tertiis vero, seu ulterioribus instantiis, eo modo, quo in causis appellationum a Judicibus de Partibus ad Romanam Curiam legitime devolutarum procedi solet, observetur.

§. 9. Quoad Consulatus artium, et Universitates, etiam Medicorum, et Mercatorum sublatis omnibus Assessoribus, et Abrogata in Judicialibus quacumque Consulibus, et Universitatum jurisdictione, ita ut eorundem, et earundem jurisdictionis ex nunc, etiam quoad causas instructas et legitime contestatas, penitus, et omnino cessare debeat, et cessasse intelligatur, succedant, et procedant competentes Judices Ordinarii, juxta eorum ordinarias facultates; nulla, ut supra, habita ratione privilegiorum, et antiquarum facultatum; inter quos sit locus præventioni; ad-

Quomodo procedendum in secunda, tertia, et ulterioribus instantiis

Jurisdictiones Consulatuum, et Universitatum extinguuntur, et transferuntur ad Judices Ordinarios.



PONT. *hibitis, quatenus iudicibus ipsis opus videatur,*  
 A. II. *iisdem Consulibus solummodo tanquam peritis in rebus, et negotiis eorum artem concernentibus.*

Excepto *Excipimus tamen, et sub præsentis nostræ Consti-*  
 Consula- *tutione comprehensos esse nolumus tum Consules*  
 tu Agri- *Agriculturæ, illorumque Assessorem, tum No-*  
 culturae, *tarios Curicæ Burgi, Mercatorum, et Aromata-*  
 et Nota- *riorum pro eorum officiis titulo oneroso acquisi-*  
 riis Curia- *tis, seu administratis, donec aliter provideatur.*  
 Burgii,  
 Mercato-  
 rum et  
 Aromata-  
 riorum.

De Nota- *§. 10. Ad hæc Basilicæ, Collegia, Hospitalia,*  
 riis res- *cæteraque memorata Loca Pia, quæ ex conces-*  
 pectu Lo- *sione Apostolica, vel inveterata consuetudine,*  
 corum *electionem, et usum proprii Notarii in primis, et*  
 Piorum. *ulterioribus instantiis habebant, in posterum in*  
*causis, in quibus agatur de vero, ac proprio in-*  
*teresse dictarum Ecclesiarum, et Locorum Pio-*  
*rum, non teneantur ad aliquam solutionem ex-*  
*tractus, seu registri; sed Notarii quorumvis Tri-*  
*bunalium debeant in dictis Causis, et in qualibet*  
*instantia, conficere instrumentum Actorum, prout*  
*jacent, nihilque ab eis ultra quartam partem ejus*  
*mercedis, quæ solvenda esset pro extractu, seu*  
*registro, pro dicto Instrumento actorum, sub quo-*  
*vis prætextu, etiam excessivitatis scripturæ, pe-*  
*tere vel exigere valeant.*

Præser- *vis prætextu, etiam excessivitatis scripturæ, pe-*  
 vatur ju- *tere vel exigere valeant.*  
 risdictio  
 Cardd.  
 Archi- *§. 11. Postremo declaramus, per præsentis*  
 presbyt. *nostras literas nullatenus ademptam esse Cardi-*  
 Titulari- *nalibus, Archipresbyteris, Titularibus, seu Pro-*  
 um etc. *tectoribus, eorumque Vicariis, aliisque Deputatis,*  
 quoad ser *facultatem, seu jurisdictionem in iis, quæ ser-*  
 vitium *vitium Ecclesiæ, seu Loci Pii, circa tamen dis-*  
 Ecclesia- *ciplinam Ecclesiasticam, et morum correctionem*  
 rum. *dumtaxat, concernunt; minusque sub iisdem*

Item fa- *præsentibus Tribunalia Cameræ Apostolicæ, Le-*  
 cultates *gatum Avenionensem, Judicem Fabricæ S. Petri,*  
 Judicum, *neque ipsas Congregationes in solito liberculo,*  
 et Tri- *seu Elencho Congregationum, ac Tribunalium*  
 bunalium *Urbis descriptas, comprehendendi.*  
 intus e-  
 nunciato-  
 rum.

§. 12. *Decernentes easdem præsentés literas, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod omnes, vel singuli supradicti, ac alii quicumque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præminentie, vel dignitatis, seu aliàs specifica, et individua mentione, et expressione digni existant, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore, consentire, seu vocari semel, vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperi- tionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium inten- tari, vel impetrari nullatenus posse; sed semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios; et integros effectus sortiri, et oblinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari. Sic, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et De- legatos quavis auctoritate, præminentia, aut po- testate fungentes, et functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Car- dinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et in- terpretandi facultate, judicari, et desiniri debere, irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno- ranter contigerit attentari.*

ANNO  
1742.

Clausulæ  
pro omni-  
moda Li-  
terarum  
executio-  
ne.

Adempta  
secus ju-  
dicandi  
facultate.

§. 13. *Non obstantibus omnibus, et singulis præ- missis, et quatenus opus sit nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, et*

Deroga-  
tiones.

PONT. *pariter, quatenus opus sit, rec. mem. Pii Papæ*  
 A. II. *IV. similiter Prædecessoris nostri de gratiis qua-*  
*tecumque interesse Cameræ Apostolicæ concer-*  
*nentibus in dicta Camera intra certum inibi præ-*  
*scriptum tempus præsentandis, et registrandis;*  
*ita ut præsentés in ea præsentari, et registrari*  
*nullo unquam tempore, vel modo necesse sit;*  
*necnon aliis Constitutionibus, et ordinationibus*  
*Apostolicis, ac Urbis nostræ, dictarumque Ec-*  
*clesiarum, omniumque, et singulorum supradic-*  
*torum, quibusvis, etiam juramento, vel alia qua-*  
*vis firmitate sub quibuscumque verborum tenori-*  
*bis, et formis, clausulis, decretis, aliisque su-*  
*pradictis in contrarium præmissorum roboratis,*  
*seu confirmatis, et innovatis Statutis, ac usibus,*  
*stylis, et consuetudinibus, etiam immemorabili-*  
*bis, quibus pariter modo, forma, et tenore præ-*  
*missis, ad effectum præsentium, illis aliàs in*  
*suo robore permansuris, amplissime, ut præfer-*  
*tur, derogamus, cæterisque contrariis quibus-*  
*cumque.*

Sanctio. §. 14. *Nulli ergo omnino hominum liceat pa-*  
*ginam hanc nostrarum suppressionis, abolitionis,*  
*abrogationis, reductionum, derogationum, volun-*  
*tatis, mandati, declarationis, et decreti infringere,*  
*vel ei ausu temerario contraire; si quis*  
*autem hoc attentare præsumpserit, indignationem*  
*Omnipotentis Dei, et B.B. Petri, et Pauli*

Dat. die *Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum*  
 17. Sept. *Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incar-*  
 1692. *nationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nona-*

Pontifex *gesimo secundo, xv. Kalendas Octobris, Ponti-*  
 insertam *ficatus Nostri Anno Secundo: Apostolica Au-*  
 Constitu- *toritate prædicta confirmamus, et approbamus,*  
 tionem *illamque, perinde, ac si a Nobis sub præsen-*  
 confirmat *tium data emanasset, in omnibus, et per om-*  
 et reno- *nia innovamus, exceptis tamen, quæ præsen-*  
 vat. *tibus hisce nostris in aliquo adversari compe-*  
*riuntur.*

Præterea §. 15. *Insuper omnes, et singulas Judicaturas*  
 abolet Ju- *particulares quascumque; et cujuslibet generis*  
 dicaturas *post præinsertam Constitutionem restitutas, vel*



de integro hactenus erectas, et constitutas vi-  
 gore literarum Nostrarum, et aliorum Roma-  
 norum Pontificum Prædecessorum Nostrorum,  
 tam sub plumbo, quam sub Annulo Piscatoris,  
 aut Motus proprii, seu Chirographi desuper  
 expeditarum, etiam ex causa privata, seu pu-  
 blicæ utilitatis, et ex quacumque etiam one-  
 rosa causa, aut pro bono Religionis, etiam  
 eum quibusvis derogatoriis derogatoriis,  
 aliisque efficacioribus, et efficacissimis clausulis,  
 irritantibusque decretis, quibuscumque Uni-  
 versitatibus, Locis Piis quocumque nomine nun-  
 cupatis, seu Cardinalibus eorum Protectoribus  
 aliisque tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus  
 Personis, quantumvis speciali, et specialissima  
 mentione dignis, eorumque domibus, ac fami-  
 liis quomodolibet concessas, comprehensis etiam  
 Archihospitali Sancti Spiritus in Saxia, et Hos-  
 pitio Apostolico S. Michaelis ad Ripam nuncu-  
 pato, eisdem præsentibus eas pro expresse ha-  
 bentes, in totum, ac si nunquam concessæ  
 fuissent, abolemus, penitusque abrogamus.

ANNO

1742.

particula-  
 res quavis  
 auctori-  
 te dein-  
 ceptas ere-  
 ctas.

§. 16. Ne autem pro infrascriptarum Con-  
 gregationum respective parte occasio aliqua con-  
 troversiarum quomodolibet in posterum oriatur,  
 præfatæ Congregationis Particularis a Nobis, ut  
 præfertur, deputatæ consilio inhærentes, quoad  
 Congregationem Boni Regiminis a rec. mem.  
 Clemente Papa VIII. jamdiu institutam, deinde  
 a fel. rec. Paulo V. et Innocentio XI. Romanis  
 Pontificibus similiter Prædecessoribus Nostris,  
 facultatibus auctam, servandum esse volumus,  
 et mandamus decretum prædicti Innocentii XII.  
 Prædecessoris Nostri sub die 9. Augusti 1693.  
 promulgatum, abrogatis, quatenus opus sit, in  
 iis, quæ concernunt Causas mere judiciales, et  
 contentiosas, amplioribus facultatibus, si quæ  
 eidem Congregationi Boni Regiminis contra for-  
 mam prædicti Decreti Innocentii XII. Præde-  
 cessoris præfati per Constitutionem piæ mem.  
 Clementis Papæ XII. similiter Prædecessoris

Faculta-  
 tes Con-  
 gregat.  
 Boni Re-  
 gim. ad  
 primæ-  
 vum sta-  
 tum redu-  
 cit.

PONT. Nostri, quæ incipit : *Divina Providentia* ; sub  
 A. II. datum apud Sanctam Mariam Majorem pridie  
 Salva elec Idus Februarii Anno Incarnationis Dominicæ  
 tione Mi MDCCXXXIII. concessæ videri possint, firmis  
 nistro- de cæteris remanentibus aliis in eadem Con-  
 rum œco- stitutione , signanter in §. *Insuper* , circa Mi-  
 nomico- nistrorum œconomix Communitatum Præposi-  
 rum. torum electionem , et deputationem.

Causæ §. 17. Et quoad Lauretanam , nullam ei com-  
 Laureta- petere jurisdictionem in causis Lauretanis qui-  
 næ per ap buscumque , per appellationem , seu recursum  
 pellatio- a Judicatis de Partibus ; appellationesque , et  
 nem ad recursus hujusmodi a prædictis Judicatis , per-  
 Judices tinere dumtaxat ad Judices Ordinarios Romanæ  
 Ordina- Curix Nostræ , prout præinserta Innocentii XII.  
 rios devol vantur. Constitutio disponit.

Item Fir- §. 18. Ac quoad Firmanam , nullam ei com-  
 manæ in petere judicialem cognitionem in causis civili-  
 civilibus. bus in gradu appellationis , seu recursus a Ju-  
 dicatis Judicum Civitatis , et Status Firmani.

Congre- §. 19. Quo vero ad alias Congregationes ge-  
 gationum nerales in liberculo , aut Elencho descriptas ,  
 generali- seu quoad causas in illis cognoscendas , om-  
 um facul- nino servanda esse disposita per rec. mem.  
 tates ad Sixti V. similiter Prædecessoris Nostri Consti-  
 veterum tutionem , quæ incipit : *Immensa* ; cum decla-  
 Decreto- rationibus contentis in decreto a Congregatione  
 rum nor- Particulari jussu prædicti Innocentii XII. Præ-  
 mam. decessoris Nostri sub die ix. mensis Augusti anno  
 Domini MDCXCIII. promulgato , prout aliàs  
 similiter demandatum extitit a Congregatione  
 reformationis Tribunalium Urbis Nostræ , ap-  
 probante prædicto Clemente XII. Prædes-  
 sore præfato sub die iv. mensis Aprilis anni  
 MDCCXXXI. et non aliam eis respective jurisdi-  
 ctionem competere , motu , auctoritateque præ-  
 dictis Nostris , declaramus , decernimus , statui-  
 mus , ac sancimus.

Visitato- §. 20. Ac insuper sub præsentium dispositione  
 rum au- Visitatores Apostolicos , quantumvis Sanctæ Ro-  
 tem , ad manæ Ecclesiæ Cardinales , deputatos cum certis  
 viam Ju- facultatibus pro Sacra Visitatione Ecclesiarum ,  
 ris , et Li-

Locorumque Piorum, eorum facultates prædictas ad tramites juris, et literarum Apostolicarum ab Innocentio Prædecessore prædicto in forma Brevis sub annulo Piscatoris sub die xvi. Januarii anni Domini MDCXCIII. desuper expeditarum reducendo, comprehensos esse.

ANNO  
1742.  
terarum  
Innoc.  
XII. redi-  
guntur.

§. 21. Præfecti vero, seu Castellani Arcis Nostræ S. Angeli jurisdictionem, quam dumtaxat quoad Balistarios, et ejusdem Arcis auxiliares, in eorum ministeria concernentibus, præservatam esse volumus, in cæteris omnibus causis, et negotiis indifferentibus, seu prædicta officia militaria neququam concernentibus, et ad tramites decretorum aliàs ab eodem Innocentio Prædecessore xxviii. Septembris MDCXCII. ac tertia Maji MDCXCIII. editorum, comprehendi pariformiter earundem tenore præsentium declaramus.

De juris-  
dictione  
Præfecti  
Arcis S.  
Angeli.

§. 22. Ac demum indulta, et facultates, necnon privilegia quæcumque, et præsertim super cumulativa in causis laicalibus, Tribunali Venerabilis Fratris Nostri prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Nostri, et Romani Pontificis pro tempore existentis in Urbe Nostra, ejusque districtu Cardinalis Vicarii competentia, et præsertim per literas fel. rec. Clementis X. quæ, *Supremæ Majestatis*, sub pridie Idus Augusti MDCLXXI. ac per alias Benedicti XIII. quæ, *In Supremo*, sub xvi. Kal. Septembris MDCCXXIV. necnon per alias literas Clementis XII. Prædecessorum Nostrorum, quæ, *Romanus Pontifex*, respective incipiunt, novissime de anno MDCCXXXV. promulgatas, ad statum, in quo erant ante reformationem rec. mem. Pauli Papæ V. similiter Prædecessoris Nostri, et ad eisdem reformationis tramites Apostolica auctoritate redigimus, necnon utriusque Clementis, et Benedicti Prædecessorum prædictorum literas, tenore præsentium abrogamus, et de medio in hac parte tollimus, et abolemus.

Privilegia Card.  
Vicarii  
Urbis re-  
ducuntur  
ad trami-  
tes Refor-  
mationis  
Pauli V.

§. 23. Volumus autem, quod propter præmissa, hujusmodi Judicibus suppressis, et ab-

Permit-  
titur Ju-



PONT. rogatis jurisdictione quoad causas actu coram eis  
 A. II. pendentes, seu hactenus jam instructas, dum-  
 dicibus ab modo ipsi per totum mensem Augusti præsen-  
 rogatis ex tis anni MDCCXLII. ad earum expeditionem  
 pedire omnino deveniant, non censeatur eo ipso adem-  
 Causas pta, sed præfato tempore elapso, causæ præ-  
 pendentes dictæ ad suos competentes Judices in statu, et  
 intra se- terminis devolvantur, et eo ipso devolutæ cen-  
 mestre. seantur, et quoad jura coram suppressis Judi-  
 cibus producta, eorum stetur indicationi.

Clausulæ §. 24. Ac omnia, et singula præmissa, nec-  
 et Decreta non præsentibus nullo unquam tempore, pro eo,  
 pro Con- quod quicumque in præmissis jus, seu interesse  
 stitutio- habentes, seu habere prætendentes, ad id vo-  
 nis obser- cati, et auditi non fuerint, seu ex quavis alia  
 vantia. causa, vel quocumque prætextu, quæsito co-  
 lore, vel ingenio, notari, impugnari, invali-  
 dari, retractari, et ad terminos juris reduci,  
 seu in jus, vel controversiam revocari, nec  
 sub quibusvis similium, vel dissimilium revo-  
 cationibus, limitationibus, et aliis contrariis  
 dispositionibus comprehendendi, sed semper ab illis  
 excepta, validaque, et efficacia fore, et esse,  
 suosque plenarios, et integros effectus sortiri,  
 et obtinere; sicque et non aliàs per quoscum-  
 que Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici  
 Nostri Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ  
 Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos,  
 Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata  
 eis aliter judicandi, et definiendi forma, et  
 facultate, judicari, et definiendi debere; et quid-  
 quid secus super præmissis contra earundem  
 præsentium tenore quomodolibet attentari con-  
 tingerit, irritum ex nunc decernimus, et decla-  
 ramus.

Deroga- §. 25. Non obstantibus nostra, et Cancel-  
 tiones am lariæ Apostolicæ regula, de jure quæsito non  
 plissimæ. tollendo, necnon Nostris, et prædictorum Præ-  
 decessorum Nostrorum, et eorum cujuslibet  
 Constitutionibus, Ordinationibus, et Decretis  
 prædictis, atque omnium, et singularum Con-  
 gregationum prædictarum, et earum cujuslibet

A N N O  
1742.

respective erectionibus, necnon et cujuslibet illarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus, nec non privilegiis, indultis, et literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, etiam motu pari, et consistorialiter, etiam in earum, et earum cujuslibet respective erectione prædicta, seu aliàs quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: Quibus omnibus, quæ præsentibus quomodolibet obesse possent, etiamsi de illis specialis, specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi etiam veriores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præsentium, et validitatis, omnium, et singulorum præmissorum, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, omnibusque contrariis quibuscumque.

§. 26. Per præsentibus autem non intendimus, facultatibus Venerabilis Fratris Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegii Decani nunc et pro tempore existentis, ratione Ostien. et Veliternæ. Ecclesiarum, quibus nunc et pro tempore præesse dignoscitur, tum etiam facultatibus dilecti filii nunc et pro tempore etiam existentis Palatii Nostri Præfecti, ratione Præfecturæ Palatii prædicti, ad formam litterarum Benedicti XIII. Prædecessoris Nostri sub Anulo Piscatoris in forma Brevis sub datum diei xxiv. mensis Septemb. anni Dom. MDCCXXVIII. desuper expeditarum, eis, et eorum cuilibet competentibus, in aliquo præjudicare.

§. 27. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, constitutionis, declarationis, revocationis, annullationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si

Faculta-  
tes Cardi-  
nalis De-  
canei, nec-  
non Præ-  
fecti Pa-  
latii Apo-  
stolici  
præser-  
vantur.

Sanctio  
Constitu-  
tionis.

PONT. quis autem hoc attentare præsumperit, indi-  
 A. II. gnationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Pe-  
 tri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incur-  
 surum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam  
 Dat. die Majorem quintodecimo Kalendas Martii anno  
 15. Febr. Incarnationis Dominicæ millesimo septingente-  
 1742. simo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri  
 Anno II.

*P. Card. Pro-Datarius*

*D. Cardinalis Passioneus.*

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Public. die 27. octobris ejusdem Anni.*

XLV.

## DISPENSATIONUM

Matrimonialium causas veraciter exponendas,  
 et ab Executoribus omnino verificandas esse  
 statuitur.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Dispen-  
 sationes  
 nonnisi  
 justis ex  
 causis  
 concedi  
 debent.

**A**D Apostolicæ servitutis Nostræ ministerium  
 pertinet sedula invigilare cura, ut dispensatio-  
 nes super gradibus affinitatis, seu consanguini-  
 tatis, intra quos Matrimonia contrahi prohiben-  
 tur, vel super aliis a Sacris Canonibus statutis



impedimentis, nisi ex debitis causis non concedantur, et omnia inde amoveantur, unde nota aliqua ab improbis aspergi possit nomini, ac decori Romanæ Ecclesiæ, cui, licet immerito, Divina benignitate præsidemus.

A N N O  
1742.

§. 1. Sane quidem ad Dispensationes obtinendas, ab iis, qui eas postulant, in supplici libello causæ pro illis consequendis exprimi solent; quæ si ejusmodi fuerint, ut juxta canonicas Sanctiones, et prudens Ecclesiasticæ Provisionis arbitrium, locus ad dispensandum esse videatur, dispensatio concedi solet, ejusque executio Ordinario, ut plurimum committi, cui onus incumbit diligenter inquirere, an causæ expositæ veritate nitantur, ut, veris illis existentibus, gratia executioni demandetur, secus vero, si causæ nullatenus veritati consentaneæ sint. Si autem contingat, ob causas minime veras existentes, ut dispensatio executioni non tradatur; qui eam impetrarunt, apud negotiorum Gestores, seu Literarum Apostolicarum Expeditores conqueruntur; a quibus nonnunquam responderi solet, executionem perperam, et injuria denegatam fuisse, quia expressio causarum, earumque verificatio, in dispensationibus non est aliquid substantiale, sed formalitas quædam, et Forensis styli consuetudo: quod non minus veritati adversatur, quam executionis ordinem, ac modum bene, ac prudenter constitutum subvertit; cum expressio causarum, earumque verificatio, ad substantiam, et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gratia nulla, ac irrita sit, nullamque executionem mereatur.

Earum  
expediendarum  
ratio.

Opinio quorundam circa causarum exprimentarum veritatem, reprobat.

Ubi preces obrepitiæ, gratia nulla est.

§. 2. Id autem, ut plurimum evenit in dispensationibus, in quibus apponi solet clausula: *et Oratoribus vitæ periculum immineret*: quæ cum sæpe in dispensationibus in primo et secundo, vel in secundo gradu, et in nonnullis aliis canonicis impedimentis, sine ulla ratione, causa, et veritate, expressa reperitur; Ordinarii Locorum, qui cautius, et accuratius se gerunt, nisi vitæ

Periculum vitæ specialiter verificandum.

PONT. periculum immineat, dispensationem exequi re-  
 A. II. cusant; alii vero, fortasse falso rumore inducti,  
 quod hujusmodi clausula sit mera formalitas,  
 indulgentius quam necesse est procedentes, pe-  
 riculo vitæ neque argumentis probabilibus veri-  
 ficato, eoque Oratoribus saltem verisimiliter im-  
 minere comperto, gratiam Dispensationis exe-  
 quuntur.

Decretum §. 3. S. M. Prædecessor noster Pius PP. V. in  
 Sancti pii sua Constitutione per viam Motus proprii ex-  
 V. contra pedita, et publicata sub die v. Decembris anno  
 Officiales MDLXVI., cujus initium est: *Sicut accepimus*;  
 falsa ex- decrevit, omnes, et singulos Procuratores, tam  
 primentes Officii Sacræ Pœnitentiariæ, seu Contradicta-  
 rum, quam alios quoscumque Solicitatores, et  
 Scriptores, qui veritatem facti, a narratione,  
 quam ab ipsis Partibus habuerunt, quoad sub-  
 stantialia, et qualitates necessario exprimendas,  
 diversam faciunt, seu quoquomodo intervertunt,  
 aut immutant, aut depravant, et per subre-  
 ptionem, et obreptionem gratias a Romanis  
 Pontificibus extorquent, pœnam falsi incurrere,  
 et ea puniri omnino debere.

Admoni- §. 4. Hujusmodi autem constitutio quamquam  
 tio adom- videatur pertinere dumtaxat ad Procuratores,  
 nes nego- Solicitatores, et Scriptores Officii Sacræ Pœni-  
 tiorum tentiariæ, ubi per id temporis Matrimoniales  
 gestores Dispensationes etiam in foro externo concedi  
 etc. solebant, nihilominus pro Pastoralis Nostræ, et  
 Paternæ cura ex Alto Nobis commissa, hortamur,  
 monemus, ac præcipimus omnibus, et  
 singulis negotiorum Gestoribus, Procuratoribus,  
 et Expeditoribus Literarum Apostolicarum, etiam  
 Datarie Nostræ, ut cum supplices preces pro  
 aliqua Matrimoniali Dispensatione porrecturi  
 sunt, id primum ante omnia agant, ut plenam  
 atque exactam facti notitiam assequantur,  
 sciscitantes ab ipsis Oratoribus, an hæc,  
 et illæ causæ adsint, ex quibus sciunt dispensationem  
 concedi solere in hoc, vel illo gradu; deinde in  
 supplici libello facti speciẽm nitidẽ, ac sincere  
 exponant; caveantque diligenter, ne

ANNO  
1742.

illam aliquatenus in rebus substantialibus alterent, immutent, invertant, corrumpant, sed stricte adhæreant iis, quæ ab Oratoribus sibi exposita fuerunt; et multo magis abstineant, ne quid falsi, aut ficti proprio ingenio inventum, vel excogitatum, ad gratiam dispensationis facilius obtinendam, in precibus obtrudant; demum, præ oculis habentes, se operam suam in Ecclesiasticis negotiis in hac Alma Urbe exhibere, ubi Cathedra veritatis est, ipsam solam ament, et sectentur veritatem, non lucrum, aut gratiam, et favorem supplicantium; diligenterque videant, ne mendacii, aut erroris merito argui; cum animæ suæ detrimento possint, falso, et perperam asserentes, causas, earumque verificationes, ex provida Nostrorum Prædecessorum dispositione, in hujusmodi gratiis, ad Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem, et Canonicarum legum, et Apostolicarum Constitutionum voluntatem servandam, apponi, et respective demandari solitas, vanas, et superfluas esse, et tanquam inanes Curiaë formalitates, parvi aut nihili esse faciendas.

§. 5. Præterea hujusmodi graves abusus, quibus honor et decus hujus Almæ Urbis dehonestatur, et Sedis Apostolicæ splendori ac dignitati officitur, penitus abolere cupientes, motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine præfatam Constitutionem s. m. Pii V. Prædecessoris Nostri extendimus, dilatamus, ac producimus ad omnes prædictos negotiorum Gestores, Procuratores, et Expeditores literarum Apostolicarum, cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis, et quocumque indulto, privilegio, et dignitate munitos; et quatenus opus sit, eam de novo ferimus, statuimus, et innovamus; volentes, ac decernentes, ut in omnibus superius expressis casibus, pœna falsi contra Delinquentes locum habeat; sine tamen præjudicio obligationis refundendi expensas Oratoribus, qui, ob illorum

Ad quos extenditur pœna falsi, si in exponendis dispensationum Causis deliquerint.



PONT. culpam, ejusmodi dispensationes, quæ execu-  
A. II. tioni demandari nequeunt, obtinuerunt.

Executo- §. 6. Denique omnes, et singulos Venerabiles  
ribus in- Fratres, Archiepiscopos, Episcopos, et Locorum  
jungitur Ordinarios, cæterosque Executores Literarum  
verifica- Apostolicarum, quibus hujusmodi Dispensatio-  
tio cau- num exequutio committi solet, enixe rogamus,  
sarum in et obsecramus, ut seculo, ac diligenter attendant,  
Litt. ex- priusquam Dispensationis gratiam exequantur,  
press. an causæ in Apostolicis literis expressæ, et quarum  
verificatio eorum curæ, et vigilantia a Sede Apo-  
stolica commissa est, veræ ne, an secus exi-  
stant, an potius Sedi Apostolicæ falsum exposi-  
tum, et veritas reticita fuerit; qua super re eo-  
rum conscientiam oneramus.

Litteræ §. 7. Et quoniam in iisdem Apostolicis literis  
Dispensa- super Dispensationibus in gradibus prohibitis,  
tionum in aliisque præfatis impedimentis, nonnulla obser-  
quibus- vata sunt, quæ negotium Executoribus quan-  
dam di- doque exhibere, et scrupulos eorum animis in-  
stinctus gerere solent, Apostolicæ Nostræ solitudinis  
concupi ju- erit, ea dilucidius, et apertius in iisdem dispen-  
bentur, sationum literis Apostolicis exponere, ac decla-  
rare, ut omni dubitatione sublata, et causis  
coram Executore hujusmodi probationum genere  
probatis, quo de illarum veritate moraliter cer-  
tus reddatur, Apostolicæ literæ Matrimonialium  
Dispensationum sine ulla hæsitatione ad debitam  
executionem deduci possint.

Delin- §. 8. Mandamus quoque, et injungimus di-  
quentium lecto Filio Nostro Pompejo Tituli S. Eusebii  
punitio S. R. E. Presbytero Cardinali Aldrovando nun-  
Datariis cupato Prodatario Nostro, ejusque Successoribus  
demandat- Dataria Apostolicæ Prodatariis, seu Dataris pro  
tur. tempore existentibus, ut in præmissis reos, et  
culpabiles repertos, pœna falsi, ut præfertur,  
puniant, cum potestate citandi, etiam per edi-  
ctum, constituto summarie de non tuto accessu,  
aliaque dicendi, et faciendi in præmissis neces-  
saria, seu quomodolibet opportuna. Non obstan-  
Non ob- tibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apo-  
stantibus stolicis,  
quibus- cumque.

stolicis; statutis, et consuetudinibus, et quibusvis indultis, et privilegiis, quibuscumque personis etiam speciali mentione dignis, datis, et concessis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostri Decreti, constitutionis, monitionis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, quinto Kal. Martias, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno II.

ANNO  
1742.

Sanctio.

Dat. die  
25. Febr.  
1742.

*P. Card. Pro-Datarius.*

*D. Card. Passionæus.*

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die 10. Martii 1742.*



PONT.  
A. II.



XLVI.

PRO ELEVATIONE

Corporis Ven. Servi Dei Camilli de Lellis.

*Dilecto Filio, Magistro Ludovico Valenti in  
utraque Signatura nostra Referendario, ac  
Fidei Promotori.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecte Fili, salutem, et Apostolicam  
Benedictionem.*

Beatifi-  
catio Ser-  
vi Dei jam  
decreta.

**D**E Congregationis Venerabilium Fratrum No-  
strorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præ-  
positæ consilio, et assensu, ut Servus Dei Ca-  
millus de Lellis Fundator Clericorum Regula-  
rium Congregationis Ministrantium Infirmis im-  
posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Cor-  
pus, et Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen  
in Processionibus circumferendæ) exponantur,  
et aliàs, prout in aliis nostris in simili forma  
Brevis Literis desuper expediendis uberius con-  
tinebitur, quamprimum Auctoritate Apostolica  
indulgere intendentes; ac cupientes, ut ejusdem  
Servi Dei Corpus ex tumulo in Ecclesia sub in-  
vocatione Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Urbe ejus-  
dem Congregationis Ministrantium Infirmis sito,  
in quo conditum reperitur, elevatum, in de-  
centiorem nobilioremque locum transferatur, et  
collocetur, ad quem accedentes Christifideles  
venerentur; necnon ut ea omnia, quæ in hu-  
jusmodi elevationibus servari solent, exacte ser-  
ventur: Tibi, qui Promotoris Fidei munus,  
quod Nos, dum in minoribus essemus, præsti-  
timus, tanta cum sapientia, integritate, pietate,  
zelo, ac sedulitate obire pergis, per præsentem  
committimus, et mandamus, ut Te ipsum ad

Ideo ip-  
sius Cor-  
pus in no-  
biliorem  
locum ele-  
vari jube-  
tur.



locum, in quo positum est ejusdem Dei Servi ANNO  
 Corpus, conferas, et clausis Januis, et quibus- 1742.  
 cumque aliis (præter publicum Notarium acta Præscri-  
 omnia per Te conficienda rogaturum; nec non bitur re-  
 Dilectos Filios modernos Præpositum Generalem, cognitio-  
 ac Assistentes, et Postulatorem Causæ dicti Servi nis forma.  
 Dei in eadem Congregatione Sacrorum Rituum,  
 atque eos Ministros, seu Fossores, quos ad hu-  
 jusmodi Ministerium et opus necessarios esse  
 duxeris tantum, nec omnino alios) sub excom-  
 municationis latæ sententiæ pœna ipso facto  
 absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo  
 nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tem-  
 pore existente absolutionis beneficium, præter-  
 quam in mortis articulo constitutus, obtinere  
 queat, et ipso facto ab omnibus cujuscumque  
 status, dignitatis, conditionis, auctoritatis, et  
 præminentiae, etiam S. R. E. prædictæ Cardi-  
 nalibus statim incurrenda, aliisque ad nostrum  
 arbitrium imponendis pœnis, et censuris, pe-  
 nitus exclusis, tumulum, in quo Corpus dicti  
 Servi Dei jacet, per antedictos Ministros effodi,  
 arcamque, seu loculum, in quo conditur, re-  
 serari facias; necnon omnia, et singula accura-  
 tissime inspicias, quæ ad authenticitatem ejus-  
 dem Corporis firmandam apposita fuisse me-  
 moriæ traditum est, ac præsertim signa, aliaque  
 hujusmodi recognoscas, cæteraque scruteris,  
 quæ, pro tua hac in re singulari peritia, duxe-  
 ris notanda. Præterea Tibi committimus, et Reliquia-  
 mandamus, ut singulis antedictis, quos solos rum de-  
 tecum dumtaxat, ut præmittitur, interesse sta- tractio  
 tuimus, sub suspensionis, interdicti, et excom- prohibe-  
 municationis latæ sententiæ, aliisque pœnis, et tur.  
 censuris Nobis, ut præfertur, reservatis, de-  
 nunties, et inhibeas, ne quilibet eorum, Nobis  
 insciis, et inconsultis, quidpiam, vel minimam  
 Corporis partem dicti Servi Dei auferre, detra-  
 here, ac secum asportare audeant. Postquam Loculi  
 vero hæc omnia præstiteris, idem Corpus in obsigua-  
 aliqua area, seu loculo recondas, tuo in cera tio.  
 hispanica signo munias, et in aliquo decentiori



§. I. Aliàs siquidem a Congregatione Particulari super reformatione Tribunalium Urbis a pice memorie Innocentio XI. Prædecessore Nostro deputata, per ejusdem Prædecessoris Litteras, quæ incipiunt : *Decet romanum* ; datas iv. Kalen. Julii Anno Domini MDCLXXXIX : in forma specifica deinde confirmatum emanavit Decretum tenoris sequentis, videlicet : *Quoniam vero fertur, quod Ministri, et Officiales Civitatum, et Oppidorum, et Locorum, in quibus DD. Clerici, et Commissarius Cameræ aliique Prælati, ratione Episcopatum, vel Abbatiarum, et Commendarum, et Præfectus Sac. Palatii Apostolici, exercent Jurisdictionem temporalem, ac etiam Ministri, et Officiales Baronum, et Domicellorum, et aliorum quorumcumque de facto, quamvis indebite, quandoque præstare audent impedimentum, ne in dictis locis, eorumque Territoriis exequantur per Cursores, et Mandatarios, aliosque Ministros, et Executores Tribunalium Urbis, et alios, quibus demandatum fuerit, Citationes, et mandata, aliæque provisiones Judicum, et Tribunalium Rom. Curie, et præsertim Auditoris Cameræ, absque eorum licentia, et beneplacito inscriptis ut vulgo dicitur, exequatur ; Idcirco declaratum, et decretum fuit, quod tam Citationes verbales, et personales, vel domi, sive in manibus Domesticorum, aut per edicta, quam etiam mandata quæcumque, pariter tam in Personis, quam in bonis, in quibuscumque Causis civilibus, et criminalibus, libere possint fieri, et exequi absque alia licentia, beneplacito, vel exequatur, aut requisitione Officialium, et Ministrorum loci : neque dictos Officiales, et Ministros, etiam ipsosmet Cardinales, et Prælatos, et clericos, et Commissarium Cameræ, et Barones, et Domicellos, et alios quoscumque, posse in hoc aliquod directum, vel indirectum impedimentum præstare, sub pœnis contentis in Constitutionibus Apostolicis contra usurpantes jurisdictionem Sedis Apostolicæ, vel illam, ejusque liberum exercitium*

ANNO  
1742.

Decretum sub Innoc. XI. editum, pro omnimoda executione Citationum, Mandatorum etc. a Tribunalibus Romanæ Curie expeditarum etc.



PONT. *impedientes, aut Curiae resistentiam facientes;*  
 A. II. *et inadvertenter, ac indebite requisiti de aliqua  
 licentia, vel beneplacito, nullatenus possint,  
 nec debeant, sub eisdem pœnis, apponere Exe-  
 quatur, vel aliàs in scriptis apponere manus in  
 ipsis expeditionibus Tribunalium Romanæ Curiae.*

Quod a pluribus observatum non fuit. §. 2. Hujusmodi autem tam providum, ac salubre Decretum non modo in nonnullis Ecclesiasticæ nostræ Ditionis Locis nunquam observatum fuisse, neque in præsentì observari comperimus: Sed insuper, præter eos, qui in eodem Decreto nominati sunt, alios quoque ex multorum fide dignorum relatione, et experientia ipsa, dum in minoribus essemus, Nosmetipsi, non sine animi nostri dolore et indignatione, cognovimus reperiri, qui debitam citationum, mandatorum, aliarumque provisionum Judicum, et Tribunalium Romanæ Curiae executionem minime permittere, sibi laudi, atque honori ducunt, nisi prius ipsis exhibita fuerint, et eorum licentia, seu beneplacitum ortenus, vel in scriptis, quod vulgo dicitur, *Exequatur*, fuerit impetratum, quinimmo nonnunquam eo audaciæ, ac temeritatis processerunt, ut etiam impedimentum præstare ausi sint, interdicens suis Officialibus, ac Ministris, ne iisdem obsequerentur, negantesque eam exhibere commoditatem, opem, atque auxilium, quod pro illis exequendis præbere tenebantur.

Prætextus obtendi soliti. §. 3. Et quoniam tanti ausus deformitatem, quo Apostolicæ Sedis dignitas contemnitur, et auctoritas conculcatur, per se ipsi agnoscunt; modo obtegere curant eo prætextu, quod locus eorum regimini, et potestati subjectus ejusmodi potiatur privilegio, ut ex eo Causæ extrahi nequeant, sed in eodem debeant debito fine determinari; modo autem quod ipsi volunt Partes inter se litigantes ad concordiam adducere, ne substantias suas in rerum minimarum litibus sustinendis insumant.

§. 4. Ut autem hujusmodi malo, quod pessimi ANNO  
 exempli, et pravi effectus esse dignoscitur, 1742.  
 priusquam magis invalescat, opportuno Pasto- Pontifex  
 ralis Providentiæ nostræ remedio occurramus, præinser-  
 motu proprio, ex certa scientia, ac de Apo- tum De-  
 stolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium, cretum  
 præfatum Innocentii XI. Prædecessoris nostri innovat.  
 Decretum approbamus, confirmamus, et de  
 novo, quatenus opus sit, ferimus, statuimus,  
 ac innovamus, atque illud ab omnibus cujus-  
 cumque ordinis, gradus, status, ac dignitatis in  
 perpetuum servari, et custodiri volumus, et  
 mandamus.

§. 5. Præterea decernimus, ac definimus, Et ab  
 eodem Decreto omnes, et quoscumque Guber- omnibus,  
 natores, Rectores, Præsides quorumvis Loco- et quibus-  
 rum, Terrarum, ac Civitatum Status, nedum cumque  
 immediate, sed etiam mediate in temporalibus servari  
 Sedi Apostolicæ subjectos, atque insuper omnes jubet.  
 Præfectos, seu Præsides Provinciarum ejusdem  
 Status, quibuslibet suffultos privilegiis, seu fa-  
 cultatibus, etiam Legatorum a Latere; atque  
 insuper Pro-Legatum Avenionensem, atque  
 etiam S. R. E. Cardinales, etiam a Latere nostro  
 Legatos, eorumque Ministros, atque Officia-  
 les comprehendi, et comprehensos censeri de-  
 bere.

§. 6. Et quoniam in impedienda executione Pœnæ in  
 hujusmodi citationum, mandatorum, aliarum- contrave-  
 que provisionum Romanæ Curiae, vel Sedis nientes.  
 Apostolicæ, ut plurimum primas partes tenent,  
 aut certe in causa et culpa sunt, vel litigantes,  
 vel ii, quorum interest, executiones prædictas  
 impediri; vel alii in causis, vel rebus, de qui-  
 bus agitur, nullum interesse habentes; vel  
 Notarii, sive Tabelliones publici, qui acta ad  
 executiones hujusmodi explendas necessaria con-  
 ficere, et muneris sui partes obire recusant:  
 Nos ad intolerabilem hanc pravitatem prorsus  
 abolendam ex omni parte opportune providere  
 volentes, cupientesque, ut qui Apostolici cul-  
 minis reverentia, ut par est, non commoven-

PONT. tur, pœnarum metu in officio contineantur ;  
 A. II. motu, et auctoritate simili, hac nostra perpetua Constitutione statuimus, ac definimus, ut

In ipsos omnes et singulæ Personæ tam Sæculares, quam litigantes, Ecclesiasticæ, et Regulares cujuscumque dignitatis, status, et præminentia, seu ordinis, aut interesse quodcumque in Causis, vel rebus, de quibus agitur, habentes, quæ Citationes, et Causarum Commissiones, decretas, vel decernendas, aut quævis alia mandata Romanæ Curia, seu rescripta Apostolica justitiam, vel gratiam continentia, quo minus juxta illorum tenorem executioni demandentur, per se, vel per alium quovis quæsito colore impedire, aut impediri facere præsumperint, aut pro illis impediendis ad Sæculares, vel Ecclesiasticos, seu Regulares in quavis dignitate, vel ordine constitutos, seu eorum Officiales publice, vel occulte, per se, vel per alium, quovis quæsito colore recursum habuerint, causam perdant, et omne jus tam in petitorio, quam possessorio, in re, vel ad rem, de qua agitur, eis competens eo ipso amittant.

In Judi- §. 7. Aliæ vero Personæ sive Sæculares, sive ces, Ma- Ecclesiasticæ, aut Regulares, quæ in Causis, gistratus, vel rebus hujusmodi nullum interesse habent, aliosque executionem Citationum hujusmodi, Causarum, impedi- Commissionum, et aliorum quorumcumque tes. mandatorum, seu rescriptorum, et provisionum Apostolicarum, ut præmittitur, impediens, aut impediens hujusmodi auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte, directe, vel indirecte præstantes, cujuscumque ordinis, gradus, conditionis, vel præminentia existant, si Sæculares fuerint, sententiam excommunicationis, si vero Ecclesiasticæ, aut Regulares, pœnam suspensionis, tam ab exercitio Ordinum, quam cujuscumque Officii, aut dignitatis ipso facto incurrant, a quibus (excepto quoad excommunicationem mortis articulo) non ab alio, quam a Romano Pontifice pro tempore exi-



stente, absolutionis beneficium possint obtinere.

ANNO  
1742.

§. 8. Notarii autem, sive Tabelliones publici, qui de executionibus citationum, causarumque commissionum, et mandatorum, ac provisionum hujusmodi faciendis, aut quo minus fiant, de inhibitionibus requisiti fuerint, et instrumenta publica desuper ad instantiam interesse habentium, seu interesse prætendentium, soluto tamen congruo salario, conficere recusaverint, exercitium Officii Tabellionatus amittant, fiantque perpetuo infames, et ad Instrumenta, sive Scripturas publicas in posterum conficiendas inhabiles reddantur, donec ab hujusmodi reatu absolutionem, et infamiæ abstersionem obtinuerint.

In Nota-  
rios.

§. 9. Non obstantibus ordinationibus, et Constitutionibus Apostolicis, Decretis, et Statutis, etiam Apostolica auctoritate confirmatis, quibusvis privilegiis, indultis, et concessionibus, quacumque possessione, et consuetudine etiam immemorabili, et titulo colorato ex ea resultante, scientia, et patientia, et tolerantia quorumcumque Superiorum, etiam Sedis Apostolicæ, roborato, cæterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, et excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem: quod quidem indultum decernimus eis, quacumque auctoritate muniti sint, in hoc aliququaliter suffragari non posse, quo minus hujusmodi sententiis, et pœnis subjaceant.

Deroga-  
tur Legi-  
bus, Con-  
suetudi-  
nibus et  
Indultis  
in contra-  
rium fa-  
cientibus.

§. 10. Per præsentem autem non intendimus in aliquo derogare privilegiis, gratiis, indultis, a Nobis, aut a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessis nonnullis locis, Civitatibus, Provinciis, aut Regnis, ut causæ eorum territoria extrahi nequeant, dummodo citationes, causarumque commissiones, et alia

Salvis  
Privile-  
giis, de  
non avo-  
cando.

PONT. quæcumque mandata, et provisiones Apostolicæ,  
A. II. debitam in iisdem obtineant executionem.

Publica- §. 11. Volumus autem Constitutionem, et  
tionis vi- Decretum hujusmodi, postquam Valvis Eccle-  
gor, et sia Lateranensis, et Basilicæ Principis Aposto-  
exemplo- lorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curia-  
rum au- que Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie  
ctoritas. Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affixa,  
et publicata fuerint, omnes et singulos tam in  
Romana Curia, quam extra eam existentes per-  
inde afficere, et arctare, ac si unicuique eo-  
rum personaliter, et nominatim intimata fuis-  
sent; quodque illorum exemplis etiam impres-  
sis, manu tamen Notarii publici subscriptis, et  
sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica con-  
stitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in  
judicio, quam extra ubique locorum adhibea-  
tur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent  
exhibita, vel ostensa.

Sanctio. §. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc  
paginam nostræ confirmationis, statuti, decreti,  
mandati, voluntatis, ac derogationis infringere,  
vel ei ausu temerario contraire; si quis autem  
hoc attentare præsumperit, indignationem  
Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli  
Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum  
Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno  
Incarnationis Dominicæ millesimo septingente-  
simo quadagesimo secundo, tertio Kal. Apri-  
lis, Pontificatus Nostri Anno secundo.

Dat die  
30. Martii  
1742.

*P. Pro-Datarius.*

*D. Cardinalis Passioneus.*

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat, die 3. Aprilis ejusdem Anni.*

ANNO  
1742.

## DE APPELLATIONIBUS ,

XLVIII.

Et Inhibitionibus concedendis, vel denegandis.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**A**D militantis Ecclesiæ regimen nullo meritorum Nostrorum suffragio, sed imperscrutabilis consilii altitudine evocati, inter graves curas, quas assiduo pro Nostro munere sustinemus, postrema illa non est, in quam totis viribus Nobis incumbendum esse ducimus, ut graves nimium, diuturnæ, nulloque unquam tempore intermissæ Episcoporum, aliorumque ordinariam Jurisdictionem habentium querelæ adversus Majora Tribunalia, atque illa etiam Nostræ Romanæ Curix, propositæ, tandem compescantur.

§. 1. Intimo siquidem animi Nostri mœrore, cum in minoribus adhuc essemus, jamdiu intelleximus, plerosque Locorum Ordinarios con-  
Pontificis studium pro recto Judicio- rum Ec- clesiasti- corum Or- dine.  
Ordina- riorum querelæ adversus Judices Superic- res.  
 queri, sensim abusum irrepsisse, quod ad malitiosam petentium suggestionem, a Patriar- chis, Metropolitanis, Sanctæ Sedis a latere Le- gatis, et diversis dictæ Romanæ Curix Judici- bus, *Inhibitionis* sine delectu Causæ, et rei, de qua agitur, examine, passim concedantur; Et quamvis in more positum sit, dictas Inhibitio- nes indebite expeditas pro causæ meritis revo- cari, et aboleri; remedium tamen inflicto vul- neri non satis esse dicunt, cum interea oporteat Episcopos, aliosque inferiores Judices, in ipso causarum, et Judiciorum cursu, otiosos immo- rari, jus suum judicialiter asserere, et vindicare,



PONT. et ad continendos in officio Populos gravia sæpe  
A. II. incommoda, et dispendia subire.

Superio- §. 2. E contrario Nobis quoque, dum etiam  
rum excu- in minoribus essemus, Superiorum Judicium res-  
sationes. ponsiones audire contigit, asserentium, memo-  
ratas querelas inanes esse, nec ulli innixas fun-  
damento, utpote ex hac unica re causam, et  
originem habentes, quod inferioribus grave est  
obedientiæ, ac subjectionis jugum erga majora  
Tribunalia, ipsisque nimis displicet, sibi sub-  
ditis appellationis beneficio succurri.

Pontifex §. 3. Porro cum facile hæc dissidia componi,  
dissidia et succrescentia litium semina avelli possint;  
componere intendit, ad si, quæ a Sacra Tridentina Synodò, ab Aposto-  
licis Constitutionibus, et Congregationum De-  
normam cretis provide sancita sunt, debitæ executioni  
Canonum mandentur: Nos idcirco ad conservandam Ec-  
et Con- clesiæ disciplinam, restituendamque Tribunali-  
stitit. Apo- bus formam eisdem canonicis legibus consen-  
stolica- taneam, pro credito Nobis Apostolicæ servitutis  
rum. Officio, opportune duximus consulendum.

Enume- §. 4. Inhærentes itaque Decretis ejusdem Sacri  
rat Præ- Concilii, necnon Congregationis Episcoporum,  
decesso- et Regularium, jussu, et approbatione rec.  
rum San- mem. Clementis PP. VIII. Prædecessoris Nostri  
ctiones aliàs editis die xvi. Octobris MDC. Itemque  
hac de re aliis Congregationis particularis, jussu pariter,  
editas. et approbatione fel. rec. Urbani PP. VIII. si-  
militer Prædecessoris Nostri, promulgatis die  
V. Septembris MDCXXVI. eorumque declara-  
tionibus nuper superadditis a piæ mem. Be-  
nedito XIII. etiam Prædecessore Nostro in  
Appendice Concilii Romani; aliisque Aposto-  
licis Constitutionibus, hac de re aliàs editis,  
et innovatis, et præsertim Constitutioni piæ  
mem. Gregorii XV. quæ incipit: *Inscrutabili*,  
sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno  
Incarnationis, Dominicæ MDCXXII. nonis Fe-  
bruarii.

Appella-  
tiones,  
cum In-  
hibitione  
concedi  
prohibet.

§. 5. Districte præcipimus, et mandamus, ne  
deinceps ab executione Decretorum dicti Sac.  
Concilii Tridentini, in omnibus illis causis, et

negotiis, in quibus exequutio hujusmodi Episcopis, et Locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicæ Delegatis, ab eodem Sacro Concilio, vel dictis Apostolicis Constitutionibus, *appellatione, vel inhibitione quacumque postposita*, commissæ est, appellatio aliqua in Tribunalibus prædictis recipiatur, vel Inhibitiones, Citationes generales, vel speciales, cum Commissionem inserta, Monitoria, et alia hujusmodi, per quæ dictorum Decretorum exequutio retardetur, aut Processus ad ulteriora in eadem executione suspendatur aut impediatur, quoquomodo concedantur.

§. 6. Itaque a quibuscumque Mandatis, prohibitionibus, provisionibus, et statutis tam in Visitatione, quam extra, pro Divino cultu conservando, et augendo, et præsertim circa ea, quæ observanda, et evitanda sunt in celebratione Missæ, aut alio quovis modo respiciunt executionem Decreti Sac. Concilii *Sess. 21. de Refor. cap. 8. et sess. 22. in Decret. de observ. et evit. in celebrat. Missæ.*

§. 7. Item a Decretis cogentibus Clericos tam Sæculares, quam Regulares, etiam Monachos, et exemptos, ad publicas Processiones, servata tamen forma Constitutionis san. mem. Pii V. quæ incipit: *Et si Mendicantium*: Prout etiam a Decretis, et provisionibus super præcedentia inter Personas Ecclesiasticas, tam Sæculares, quam Regulares in eisdem Processionibus, vel associatione Defunctorum, delatione Umbellæ, et hujusmodi: Necnon super observatione Censurarum, etiam Episcopalium, et Festorum Diœcesis, juxta dispositionem ejusdem Sacri Concilii *sess. 25. de Regular. cap. 12. et c. 13.*

§. 8. Item in omnibus iis, quæ ad curam Animarum, et Sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent, et præsertim adversus Monitiones, Censuras, aut alias provisiones, per quas Parochi, aut alii Curam Animarum exercentes, diebus saltem Dominicis, et Festis solemnibus Plebes sibi commissas sa-

ANNO  
1742.In causis,  
quarum  
executio  
a Conc.  
Trident.  
demanda-  
ta est Or-  
dinariis,  
appellatio-  
ne remo-  
ta.A Decretis circa  
Cultum  
Divinum,  
et celebra-  
tionem  
Missæ.A Decretis circa  
Ritus Ec-  
clesiasti-  
cos.A Decretis circa  
curam  
Animarum,  
et Sacramen-  
torum ad-  
ministra-  
tionem.

P O N T.  
A. II.

A deputa-  
tione  
Vicario-  
rum, cum  
assigna-  
tione  
Congruæ,  
in Paro-  
chialibus  
unitis etc.

lutaribus verbis pascere compellantur, docendo ea quæ ad salutem necessaria sunt, juxta Decretum Sacri Concilii *sess. 5. de Reform. c. 2.*

§. 9. Item adversus deputationem Vicariorum etiam perpetuorum, cum assignatione Congruæ, per quos Cura Animarum exerceatur, quoties plura Beneficia curata ex Dispensatione Apostolica ab aliquo obtineantur; vel quoties eadem Beneficia Curata Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, aut piis Locis quibuscumque perpetuo unita, et annexa reperiuntur; juxta præscriptum dicti Sacri Concilii *sess. 7. de Reform. cap. 5. et cap. 7.* et juxta Constitutionem san. mem. Pii V. quæ incipit: *Ad exequendum.*

A Visita-  
tione Pa-  
rochiali-  
um sic uni-  
tarum, et  
tiam ex-  
empta-  
rum et a  
decretis  
quoad  
Cultum  
Divinum,  
et Curam  
Anima-  
rum.

§. 10. Item adversus Visitationem Beneficiorum Curatorum, ut supra, perpetuo unitorum, necnon quarumcumque Ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus Decreta, et provisiones ab Ordinario capiendas, ut quæ in eis reparatione indigent, reparentur, et Cura Animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur, juxta dispositionem Sacri Concilii eadem *sess. 7. de Reform. cap. 8. et sess. 21. cap. 7.*

A provi-  
sionibus  
capienpro  
meliori  
Eccles.  
Paroch.  
servitio,  
et regimi-  
ne.

§. 11. Item a Decretis, seu Mandatis, per quæ Episcopi, etiam uti Apostolicæ Sedis Delegati, in Ecclesiis Parochialibus, aut Baptismalibus, in quibus Populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et Cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinent, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et Cultum Divinum celebrandum: Aut etiam invitis Rectoribus, procedant ad constitutionem novarum Parochiarum, cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam, sive difficultatem, Parochiani, sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta, et Divina Officia audienda accedere non possunt, vel denique propter paupertatem, et in cæteris ca-



sibus a jure permissis, deveniant ad uniones perpetuas aliorum Beneficiorum simplicium, non tamen Regularium, juxta dispositionem Sacri Concilii *sess. 21. de Reform. cap. 4., et cap. 5. et sess. 24. similiter de Reform. cap. 13.*

ANNO  
1742.

§. 12. Item a deputatione Coadjutorum, aut Vicariorum pro tempore, vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegato, quando illiterati, et imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis; cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu: Necnon a suspensione, atque etiam a privatione illorum, qui turpiter, et scandalose vivunt, et postquam præmoniti sunt, in sua nequitia incorrigibiles perseverant, juxta præscriptum ejusdem Concilii *d. sess. 21. de Reform. cap. 6.*

A correctione Parochorum et a Coadjutorum aut Vicariorum deputatione.

§. 13. Item a translatione Beneficiorum simplicium, etiam Jurispatronatus, ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel aliàs collapsæ sint, et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in Matrices, aut alias Ecclesias, cum omnibus emolumentis, et oneribus: prout etiam a Decretis cogentibus Patronos, Rectores, Beneficiatos, aut Parochianos, sive Populum, ad refectionem, et instaurationem Ecclesiarum Parochialium, servata forma Sacri Concilii *sess. 21. cap. 7.*

A translationibus Beneficiorum, et decretis pro Ecclesiarum instauratione.

§. 14. Item a censuris, sequestratione, et subtractione fructuum, aut aliis quibuscumque provisionibus, pro cogendis ad residentiam Parochis, cæterisque omnibus, quibus Cura Animarum incumbit, juxta Decretum ejusdem Sacri Concilii *sess. 23. de Reform. cap. 1.*

A provisionibus adversus Curatos non residentes.

§. 15. Item a denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione, et limitatione facultatis audiendi Confessiones, respectu eorum, qui Parochiale Beneficium non obtinent, etiam si fuerint Regulares, pro excipiendis Confessionibus Sæcularium, juxta ordinationem Sacri Concilii *sess. 23. cap. 15. et Prædecessorum Nostrorum*

A denegatione, suspensione, aut limitatione facultatis audiendi Confessiones.

PONT. Constitutiones, ac præcipue illam fel. rec. Clementis X. quæ incipit : *Superna*.

A distinctionibus, et institutionibus Parochiarum. §. 16. Item in illis Civitatibus, aut Locis, ubi vel Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium Populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramentâ administrant, vel etiam nullæ sunt Parochiales, a divisione, seu distinctione Parochiarum, earumque ordinatione, sive institutione in titulum perpetuum, juxta Decretum Sacri Concilii *sess. 24. de Reform. cap. 13.*

A deputatione OEconomî, indictione Concursus; et provisione Parochiarum. §. 17. Item a deputatione Vicarii, vel OEconomî, cum assignatione Congruæ, pro tempore, quo vacat Ecclesia Parochialis: Prout etiam ab indictione Concursus, relatione examinerum, necnon præelectione, et provisione Episcopi in eodem Concursu, juxta definitionem Sacri Concilii eadem *sess. 24. de Reform. cap. 18.*

A Decretis circa prædicationem Verbi Dei, vel publicas lectiones. §. 18. Item a Mandatis, seu Decretis inhibentibus prædicationem, vel publicas lectiones, aut coercentibus, vel punientibus quoscumque, etiam exemptos, tam Sæculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumperint; juxta Decretum Sacri Concilii *sess. 5. de Reform. cap. 2. et sess. 24. similiter de Reform. cap. 4. et Constitutionem piæ mem.*

A Visitatione, et correctione omnium pertinentium ad curam Animarum, et Sacramentorum administrationem. Gregorii XV. quæ incipit : *Inscrutabili* §. *fin.* Una cum declarationibus contentis in Constit. Clementis PP. X. quæ incipit : *Superna*.

§. 19. Et generaliter in omnibus iis, quæ pertinent ad Curam Animarum, et rectam Sacramentorum administrationem, adversus visitationem, correctionem, coërcitionem, et quascumque alias provisiones Episcopi Diocesani, etiam quoad exemptos, sive Sæculares, sive Regulares, juxta laudatam Constitutionem Gregorii XV. quæ incipit : *Inscrutabili*.

§. 20. Item adversus quascumque Provisiones, et Decreta pro conservanda, aut restituenda

clausura Sancti-Monialium, aut pro correctione, seu punitione eorum, qui circa Personas intra Monasteria degentes, aut circa Clausuram, vel circa Bonorum administrationem, deliquerint. Prout etiam ab examine pro approbatione, vel reprobatione Confessariorum sive Regularium, sive Sæcularium, quomodocumque exemptorum, et tam ordinariorum, quam extraordinariorum, pro excipiendis Confessionibus Monialium, etiam Regularibus subjectarum. Itidemque a Decretis, vel aliis quibuscumque provisionibus cogentibus Administratores, sive Sæculares, sive Regulares quomodolibet exemptos, ad reddendam singulis annis rationem Bonorum ad Monasteria Sancti-Monialium hujusmodi pertinentium: Ac demum a quibuscumque Decretis super amotione Capellanorum, Sacristarum, et aliorum quorumcumque Officialium, et Ministrorum, tam Sæcularium, quam Regularium, ipsis Monialibus, vel eorum Ecclesiis inservientium, juxta dispositionem Sacri Concilii *sess. 25. de Regular. et Monial. c. 5., c. 9. et cap. 10.* servata tamen, quoad Regulares, et exemptos forma prædictæ Constitutionis fel. Mem. Gregorii XV. quæ incipit: *Inscrutabili.*

§. 21. Item adversus pastoralementem Visitationem Diocesis, et præsertim Monasteriorum Commendatarum, Abbatiarum, Prioratum, et Præpositurarum, in quibus non viget Regularis Observantia, necnon Beneficiorum, tam Curatorum, quam non Curatorum Sæcularium, et Regularium qualitercumque commendatarum, etiam exemptorum: Prout etiam ab executione eorum, quæ in ipsa Visitatione mandata, decreta, aut judicata fuerint. Necnon similiter a quibuscumque Decretis, et Provisionibus, etiam extra Visitationem, pro conservatione, et reparatione Ecclesiasticæ Disciplinæ, quoad vitam, mores, et honestatem quorumcumque Clericorum, luxum, comessationes, choreas, lusus, crimina, et sæcularia negotia fugienda, atque evitanda; juxta plura Decreta dicti Sacri Con-

ANNO  
1742.  
tis, et provisionibus ad Monialium Clausuram, earumque Regimen spirituale, et temporale.

A Visitatione Diocesis; etiam quoad Monasteria, in quibus Regularis observantia non viget, et decretorum executione.

A Decretis, circa vitam et honesta Clericorum etc.



PONT. cillii, et præsertim *sess. 6. de Reform. cap. 4.*  
 A. II. *sess. 13. cap. 1. sess. 14. cap. 4. sess. 21. cap. 8.*  
*sess. 22. cap. 1. et cap. 8. et sess. 24. cap. 10.* ad  
 formam tamen Decretorum Sac. Congr. Episco-  
 porum de mandato san. mem. Clementis VII.  
 editorum Ann. MDC.

Ab Exa- §. 22. Item a Decretis cogentibus Præsentatos,  
 mine in- electos, vel nominatos a quibusvis Ecclesiasticis  
 stituen- Personis, etiam Nostris et Sedis Apostolicæ Nun-  
 dorum, tiis, ad quævis Ecclesiastica Beneficia, ad se  
 et confir- mandum, et confirmandum, vel admittantur,  
 mandor- quemadmodum cavetur *sess. 7. de Reform. c. 13.*  
 rum in Be- nef. Eccl.

A dene- §. 23. Item a denegatione Sacrorum Ordinum,  
 gatione vel adscensus ad alios Majores; prout etiam ad-  
 promotio- versus suspensionem ab Ordinibus jam susceptis,  
 nis ad Or- ob crimen occultum, sive ex informata conscien-  
 dines et a tia, juxta dispositionem Sacri Concilii *sess. 14.*  
 suspen- *de Reform. cap. 1. et cap. 3. et sess. 21. cap. 1.*  
 sione ob *et sess. 23. cap. 16.*  
 occultum  
 crimen.

A præfi- §. 24. Item a præfixione termini, intra quem  
 xione ter- Regularis Episcopo non subditus, qui intra Clau-  
 mini pro- stra Monasterii degat, et extra ea ita notorie  
 punitione deliquerit, ut Populo scandalo sit, a suo Supe-  
 in casibus riore puniri debeat, ac de punitione ipse Epi-  
 etc. scopus certior fieri, juxta Decretum Sacri Con-  
 cilii *sess. 25. de Regul. cap. 14. et Constit. fel.*  
*rec. Clementis PP. VIII. quæ incipit: Suscepti*  
*muneris: Necnon adversus punitionem, et cor-*  
*rectionem eorumdem Regularium, qui circa Per-*  
*sonas intra septa degentes, aut circa Clausuram*  
*ipsam deliquerint; juxta prædictam Constitu-*  
*tionem Gregorii XV. quæ incipit: Inscrutabili.*

A provi- §. 25. Item a Censuris, aut aliis provisioni-  
 sionibus, bus contra Concubinarios, et præsertim Cleri-  
 et pœnis cos etiam retinentes domi, aut extra, Mulieres  
 contra suspectas, juxta præscriptum Sacri Concilii *sess.*  
 Concubi- *24. de Refor. Matrim. cap. 8. et sess. 25. de Re-*  
 narios. *form. cap. 14.*

A priva- §. 26. Item adversus privationem Privilegii  
 tionem Pri- Fori, et alias provisiones contra Clericos non  
 vilegiiFo- incedentes in habitu, et tonsura, et in aliis ca-  
 ri etc.

sibus a Sacro Concilio præscriptis *sess. 14. de Reform. cap. 6. et sess. 23. similiter cap. 6.* ANNO 1742.

§. 27. Prout etiam ab examine, approbatione, Ab ap-  
vel reprobatione Patrimonii Sacri, Pensionis Ec- probatio-  
clesiasticæ, aut beneficii, quoad Clericos pro- ne, vel  
movendos ad Sacros Ordines; juxta dispositionem rejectione  
ejusdem Concilii *sess. 21. de Reform. cap. 2.* Tituli,  
quoad pro  
movendos  
ad Ordi-  
nes.

§. 28. Item adversus convocationem Capituli, A con-  
quam faciat Episcopus ad aliquid deliberandum, vocazione  
et juxta vota ipsorum Capitularium concluden- Capituli.  
dum, quoties de re ad suum, vel suorum com-  
modum spectante non agatur, juxta Decretum  
Sacri Concilii *sess. 25. de Reform. c. 6.*

§. 29. Item a Mandatis, seu Decretis super Ab insti-  
conversione tertiæ partis fructuum, et quorum- tutione,  
cumque proventuum, et obventionum, tam et divisio-  
Dignitatum, quam Canonicatum, Personatum, ne Distri-  
portionum, et officiorum, in distributiones quo- butionum  
tidianas, earumque divisione inter Dignitates quotidiana-  
obtinentes, et cæteros Divinis interessentes, in narum.  
Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis,  
in quibus nullæ sunt distributiones hujusmodi  
quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter ne-  
gligantur; juxta Constitutionem ejusdem Con-  
cilii *sess. 21. de Reform. cap. 3. et sess. 22. si-  
militer de Reform. cap. 3.*

§. 30. Item adversus exercitium facultatum Ab exe-  
Episcopis competentium super executione omnium cutione  
piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, piarum  
quam inter vivos, in casibus a Jure concessis, disposi-  
juxta dispositionem Sacri Concilii *sess. 22. de tionum.*  
*Reform. cap. 8.*

§. 31. Item a Visitatione Hospitalium, Colle- A visi-  
giorum quorumcumque, et Confraternitatum tatione  
Laicorum, Eleemosynarum, Montium Pietatis, Locorum  
sive Charitatis, et omnium Piorum Locorum Piorum,  
quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum Collegio-  
Cura ad Laicos pertineat, aut exemptionis Pri- rum, Con-  
vilegio sint munita: Ac denique a cognitione, fraternita-  
et executione eorum omnium, quæ ad Dei tum etc.

PONT. Cultum, aut animarum salutem, seu Pauperes  
 A. II. sustentandos instituta sunt juxta dictum Decretum Sacri Concilii *sess. 22. de Reform. c. 8.*

A Decretis super §. 32. Item a Decretis, seu Mandatis cogentibus Administratores tam Ecclesiasticos, quam reddenda Laicos, etiam exemptos, Fabricæ cujusvis Ecclesie, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleëmodynæ, Montis pietatis, et quorumcumque Piorum Locorum, ad reddendam Fabricæ, singulis annis ipsi Ordinario rationem suæ administrationis, nisi aliud in institutione, et ordinatione talis Ecclesie, seu Fabricæ expresse cautum fuerit; juxta Decreta Sacri Concilii *sess. 7. de Reform. c. 15. sess. 22. cap. 9. et sess. 25. cap. 8.*

Ab examine, remotione, vel suspensione Notariorum scribentium in Caus. Eccles. §. 33. Item a Decretis compellentibus Notarios, etiam Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creatos, et scribentes in Causis Ecclesiasticis, vel Spiritualibus, ad se subjiciendum examini: Eorumque remotione, vel suspensione in casu delicti, vel imperitiæ; juxta præscriptum Sacri Concilii *dicta sess. 22. c. 10.*

Ab erectione Seminarii, præfixione Taxæ, unione Beneficiorum, aliisque ad Seminarii regimen pertinentibus. §. 34. Item ab erectione Seminarii, et taxatione quarumcumque Dignitatum, Personatum, Officiorum, Præbendarum, Portionum, Abbatiarum, et Prioratum cujuscumque Ordinis, etiam Regularis, Hospitalium, quæ dantur in titulum, vel administrationem, et Beneficiorum quorumcumque, etiam Regularium, etiam Jurispatronatus, etiam exemptorum, etiam nullius Diocesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, et aliis quibusvis Locis piis, etiam exemptis, annexorum, ac quorumcumque aliorum Ecclesiasticorum reddituum, seu proventuum ad Fabricas Ecclesiarum, Confraternitates, et Monasteria omnia, non tamen Mendicantium, pertinentium, necnon Decimarum quacumque ratione ad Laicos, atque etiam Milites cujuscumque Militiæ, aut Ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium, pro ejusdem Seminarii mantentione: Prout etiam ab unione, et applicatione aliquot Beneficiorum simplicium; necnon



ANNO  
1742.

a Decretis cogentibus eos, qui Scholasterias obtinent, vel quibus lectionis, vel Doctrinæ munus est annexum, ad docendum per se ipsos, vel idoneos Substitutos; et generaliter a Mandatis, et provisionibus, quæ quoquo modo respiciunt Curam, directionem, et administrationem Seminarii, plenamque executionem Decreti editi a Sacro Concilio super Collegio Puerorum in singulis Cathedralibus instituendo, *sess. 13. de Reform. cap. 18.*

§. 35. Item a Mandatis, seu Decretis cogentibus OEconomos, Vicarios Capitulares, ad reddendam rationem Administrationis per eos gestæ Sede Episcopali vacante, juxta præscriptum Sacri Concilii *sess. 24. de Reform. cap. 16.*

§. 36. Item a comminatione excommunicationis a Jure latæ, et a Sententia excommunicationis latæ ab homine, suspensionis, et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis: Et e converso a Sententia absolutio- nis ab eisdem Censuris Ecclesiasticis.

§. 37. Et generaliter ab executione aliorum quorumcumque Decretorum dicti Sacri Concilii Tridentini, Episcopis, atque Ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio, et in Constitutione fel. recor. Pii Papæ IV. quæ incipit: *Benedictus Deus.*

§. 38. Volumus, præcipimus, et mandamus, quod ab Archiepiscopis, Patriarchis, seu Primatibus, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, etiam Nostris et Sedis Apostolicæ Nunciis, vel de latere Legatis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, atque etiam Camera nostræ generali Auditore, Signaturæ Justitiæ Præfecto, cæterisque Judicibus Romanæ Curia, eorumque Vicariis, et Officialibus, Citationes generales, vel speciales cum Commissionem inserta, Monitoria, et alia hujusmodi cum Inhibitione, per quam executio Decretorum, Mandatorum, et Provisionum hujusmodi retardetur, suspendatur, aut impediatur, minime concedantur, et qua-  
tenus nunc, aut imposterum concessa fuerint,

A decre-  
tis super  
reddenda  
ratione ad  
ministra-  
tionis ge-  
stæ Sede  
vacante.

A Censu-  
ris earum  
que abso-  
lutioni-  
bus.

Ab execu-  
tione eo-  
rum om-  
nium,  
quorum  
executio  
Ordina-  
riis est de-  
mandata.

In omni-  
bus præ-  
missis ap-  
pellatio  
suspensi-  
va conce-  
di prohi-  
betur.

Conces-  
sam vero  
non inhi-  
bere sta-  
tuitur;

PONT. nullatenus inhi-beant, atque ab Episcopis, aliis-  
 A. II. que Locorum Ordinariis impune sperni possint;  
 cum De- quacumque Consuetudine etiam immemorabili,  
 creto irri- vel quovis Privilegio, aut stylo concedendi In-  
 tante. hibitiones in Causis prædictis, tametsi tempo-  
 rarias, penitus exclusis. Non enim Citationes,  
 et Monitoria, aliter quam ut præfertur, con-  
 cessa, vel imposterum concedenda, nulla, atque  
 irrita declaramus, et pro nullis, atque irritis

Permit- haberi volumus, et mandamus: Decernentes,  
 titur so- quod adversus Decreta, Mandata, et Provisiones  
 lum re- ejusmodi, quas vel quæ ab Episcopis, aliisque  
 cursus, et Locorum Ordinariis fieri, vel capi contigerit in  
 appellatio Causis, et negotiis prædictis, vel simplex dum-  
 in devo- taxat, et extrajudicialis Recursus per viam sup-  
 lativo. plicis libelli, ad Nos, et Successores nostros Ro-  
 manos Pontifices, vel respective, et juxta Cau-  
 sarum naturam, et qualitatem, Appellatio ad  
 quos de Jure, in solo devolutivo, et sine retar-  
 datione, vel præjudicio legitimæ exequutionis,  
 recipi, et admitti possit.

Excipiun- §. 39. Quoniam vero in hisce ipsis negotiis,  
 tur casus et Causis, in quibus Inhibitiones Canonicam  
 particula- exequutionem impedi-entes, aut suspendentes,  
 res a Ju- concedi non debent, dari possunt casus, qui per  
 dice supe- ipsum Sacrum Concilium Tridentinum, vel juxta  
 riore ex- ipsum Sacrum Concilium Tridentinum, vel juxta  
 pendendi. ejus Mentem, per Apostolicas Constitutiones,  
 et Sacrarum Congregationum declarationes, aut  
 communem Doctorum Sententiam, a præfata  
 generali regula de non concedendis Inhibitioni-  
 bus, eisque posthabendis, excipiuntur, quique  
 ut plurimum non aliter, quam prudentis Judicis

In quibus arbitrio secundum particulares Facti circumstan-  
 poterit ad tias æstimari possunt: Hinc Nos, ne sub ejus-  
 mittere modi prætextu, Inhibitiones, ut supra prohibita,  
 appellatio vulgo, et sine ullo delectu etiam in Casibus non  
 nem in exceptis concedantur: Statuimus, et mandamus,  
 suspensi- quod in dictis Causis, et negotiis superius ex-  
 vo, sub pressis, Metropolitanis, Patriarchæ, Primates,  
 certa for- aliisque Judices prædicti, et præsertim Cameræ  
 ma hic nostræ generalis Auditor, ejusque Locumtenen-  
 præscri- tes, et Signaturæ Justitiæ Præfectus, ejusque  
 pta.

Auditor, ad quos in contingenti casu pro obtinenda Inhibitione recursum haberi contigerit, etiamsi asseratur, casum illum a Sacro Concilio, vel Apostolicis Constitutionibus, quacumque de Causa exceptum esse: Nihilominus literas Citatorias, vel Monitorias cum Inhibitione hujusmodi non concedant, nisi prius ex facti circumstantiis, in supplici libello a Parte recurrente clare ac dilucide exponendis, et cum aliquo documento semiplene saltem verificandis, eisdem summarie apparuerit, casum illum esse de exceptis, et propterea Episcopo, vel Ordinario Loci inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat; Tunc enim, et non aliàs, et postquam ipsi Judices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicto supplici libello manu sua rescripserint, quod Inhibitio concedi potest, libellusque cum rescripto ejusmodi in Actis productus fuerit, diligenter ibidem custodiendus, et asservandus, liceat eorum Notariis, sive Actuariis literas Citatorias cum dicta Inhibitione expedire, et Parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adjiciatur sequens clausula: *Nos enim attentis Juribus, et supplici libello Nobis præsentatis, atque in Actis exhibitis, sic, ut præfertur, inhibendum esse, speciali Rescripto mandavimus.* Aliàs literæ ejusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus prædictis.

§. 40. Et nihilominus si Notarii, sine dicto speciali Rescripto super supplici libello, aut sine productione illius in Actis, aut sine prædicta clausula, Citationes ullas, aut Monitoria cum inhibitione, sub quocumque prætextu, seu colore, expedire, ac tradere præsumpserint, etiamsi illæ, aut illa a Judice subscripta fuerint, pœnam infamiæ, et perpetuæ inhabilitatis, ad Officium Notarii in Causis Ecclesiasticis exercendum, et quoad illos Cameræ Nostræ generalis Auditoris, aut aliorum Romanæ Curiae Judicum superius expressorum, etiam quinquaginta du-

ANNO  
1742.

Decernuntur  
pœnæ in  
Notarios  
aliter se  
gerentes.



PONT. catorum auri de Camera, pro una medietate  
 A. II. Camerae Nostrae Apostolicae, et pro alia ipsi  
 Parti recurrenti, et in causa interesse habenti,  
 sin minus alicui ex Locis Piis, arbitrio Nostro,  
 Nostrorumque Successorum destinando, appli-  
 candam, ipso facto incurrant.

Clerici §. 41. Ad hæc, similiter inhærentes disposi-  
 Sæcula- tioni ejusdem Sacri Concilii *sess. 7. de Reform.*  
 res, et Re *cap. 14. et sess. 14. cap. 5.* necnon etiam de-  
 gulares *creto Piæ mem. Benedicti XIII.* hac in re pro-  
 exempti, mulgato inter ejus additiones ad decreta Urbani  
 in causis Papæ VIII. in appendice ad Concilium Roma-  
 merce- num, volumus, et mandamus, quod Clerici  
 dum et Sæculares, aut Regulares extra Monasterium  
 miserabi- degentes, quomodolibet exempti, in Civilibus  
 lium per- Sæculares, aut Regulares extra Monasterium  
 sonarum, Causis Mercedum, et miserabilium Personarum,  
 Judicem etiamsi certum Judicem a Sede Apostolica de-  
 certum putatum in partibus habeant: In aliis vero,  
 non ha- si ipsum Judicem non habuerint, coram Lo-  
 bentes in corum Ordinariis, tanquam ab ipsa Sede de-  
 omnibus legatis, conveniri in prima instantia, et Jure  
 subjiciuntur medio ad solvendum debitum cogi possint.  
 tur Ordina-  
 nariis.

§. 42. Quo vero ad Personas non exemptas,  
 Causæ inhærendo similiter dispositioni ejusdem Sacri  
 omnes in Concilii *sess. 13. de Reform. cap. 1. et sess. 22.*  
 prima in- *cap. 7. et sess. 24. cap. 20.* necnon supradictis  
 stantia, Decretis generalibus Congregationis Episcoporum  
 exceptis editis anno MDC. cum novissimis additionibus  
 Privilegi- seu declarationibus Piæ mem. Benedicti XIII.  
 atis, ab in Appendice Concilii Romani; Volumus, sta-  
 Ordina- tuimus, et mandamus, quod Causæ omnes,  
 riis cogno- tum Civiles, quam Criminales, ad Forum Ec-  
 scantur, clesiasticum pertinentes, exceptis Privilegiatis,  
 nec avo- quæ ex eodem Concilio, vel aliàs juxta Cano-  
 cari pos- nicas Sanctiones apud Nos, et Sedem Aposto-  
 sint. licam tractari possunt, aut debent, coram Or-  
 dinariis Locorum dumtaxat in prima Instantia  
 cognoscantur, neque a Metropolitanis, Patriar-  
 chis, aut Primatibus, aliisque Judicibus Eccle-  
 siasticis, etiam Nostris et Sedis Apostolicæ Nun-  
 tiis, vel de latere Legatis, aut Camerae Nostræ  
 generali Auditore, et cæteris quibuslibet Cu-  
 riæ

riæ nostræ Judicibus ad se avocari, vel aliis committi possint; nisi per viam legitimæ appellacionis, et in casibus, ut supra non prohibitis, ad ipsorum Tribunalia deferantur.

ANNO  
1742.

§. 43. Appellationes autem non recipiantur, neque inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedum per legitimam Personam, et intra legitima tempora vere appellatum fuerit; Sed etiam, quod appellatum fuerit a Sententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut a gravamine, quod per definitivam Sententiam reparari non possit: Idque per publica Documenta, quæ realiter in Actis exhibeantur; Tunc enim, et non antea, Judici, ad quem appellatum fuerit, in Causa se intromittere, citationes, et inhibitiones concedere liceat; dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris Sententiæ, aut Decreti definitivi, seu vim definitivæ habentis, vel damnum per definitivam irreparabile inferentis; Alias citationes, inhibitiones, Processus, et inde sequuta quæcumque, sint ipso Jure nulla, atque impune sperni possint.

Judex AD  
QUEM  
non procedat, nisi  
constitudo  
de appellatione  
legitime interposita,  
et in casibus a jure  
permissis

§. 44. Quod si appellans asserat, Sententiæ, aut Decreti Exemplum authenticum, culpa Judicis a quo, vel Notarii, sive Actuarii, habere non posse, tunc saltem copiam simplicem Sententiæ, seu Decreti, in Actis producere teneatur, ejusque tenori, in literis Inhibitorialibus inserto adjicienda erit, prout adjici volumus, et mandamus, in earum corpore expressa conditio: *Quatenus tamen tenor insertus vere, et in substantialibus cum Originali concordet, eodemque Originali præsentis literæ sint in tempore posteriores, alioquin nullæ, et irritæ censeantur*: Et si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessæ nullatenus afficiant, et Notarii, sive Actuarii, qui illas expediverint, incidant in pœnas superius expressas.

Quid faciendum,  
denegato  
Instrumento  
Decreti, vel  
Sententiæ, a qua  
appellatum fuerit.

§. 45. Cum vero a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit, si quidem res sit de carceratione jam sequuta

Gravamen quoque legitime prosequendum.

PONT. cum Mandato verbali, non aliter expediri poterunt Inhibitiones vigore Appellationis, quam A. II. constituto prius de ipsa carceratione per depositionem saltem duorum Testium. Interim tamen Appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, donec aliter ser. ser. judicatum fuerit. Ubi vero agatur de censuris jam prolatiis, vel de comminatione Carcerationis, Torturæ, aut Censurarum, observetur omnino dispositio dictorum Decretorum Congregationis Episcoporum sub rec. mem. Clemente VIII. juxta additiones, et declarationes piæ mem. Benedicti XIII.

Citation. §. 46. Ulterius in prædictis Causis in prima ad com- Instantia pendentibus, vel aliis superius exprensissis, in quibus non admittitur appellatio in jaren- suspensivo, Citationes, quæ expediri solent dam vel pro adeun- coram Cardinali Signaturæ Justitiæ Præfecto, vel ad da Signa- effectum comparendi, vel pro adeundo eam- tura Justi- dem Signaturam, tametsi ab ejus Auditore sub- tiæ, non scriptas, vim inhibendi nullatenus sortiri posse suspen- volumus, easque ad prædictos alios dumtaxat dant pro- effectus, comparendi scilicet, vel adeundi Si- cessum ad gnaturam, expeditas censi, non autem ad ulteriora. retardandam executionem, vel suspendendum processum ad ulteriora.

In causis §. 47. Denique quoad Causas privilegiatas, privilegia quæ, ut præfertur, in prima etiam Instantia tis, Mo- apud Nos, et Sedem Apostolicam tractari pos- nitoria sunt, nihil ex antiquo mutandum esse volu- coram mus, sed Monitoria in illis coram Cameræ no- A. C. de stræ generali Auditore, vel ejus Locumtenen- more ex- tibus, prout hactenus laudabiliter observatum pediantur est, expedienda esse, juxta præscriptum Apo- stolicarum Constitutionum, et præsertim fel. record. Pauli V. Prædecessoris Nostri in Con- stitutione, quæ incipit: *Universi*; necnon præ- dictarum additionum, et declarationum Bene- dicti XIII. exceptis tamen Monitoriis intimandis ultra Montes, in quibus ad evitanda scandala, et litigantium incommoda, volumus omnino renovari, et observari stylum, qui olim in

Sed in causis ul- tra Mon- tes adsit speciale Judicis re- scriptum.



eo Tribunali vigeat, idest, quod ad ejusmodi Monitoriorum expeditionem non aliter procedatur, quam oblato prius ipsi Auditori, vel alteri ex ejus Locumtenentibus, coram quo Monitorium expediendum erit, supplici Libello universam Facti speciem clare et dilucide continente, et prævio etiam ejusdem Judicis rescripto, quod Monitorium expediri possit, penes Causæ Notarium, vel Actuarium, diligenter custodiendo. Et si aliter, quam præfertur, et absque dicto supplici libello, ac speciali Judicis rescripto, dicta Monitoria ultra Montes intimanda expedita fuerint, Notarius, sive Actuarius, et Substitutus, qui illa expediverit, ipso facto incidat in pœnas superius expressas.

§. 48. Omnia, et singula hactenus a Nobis disposita ad rectam Judiciorum methodum restituendam, eo impensius ab omnibus exacte custodiri, et observari mandamus, quo clarius constat, hac nostra Constitutione non novas fieri, sed antiquas instaurari leges, provide; sapienterque institutas, et temporum injuria, ac hominum fraude obsoletas, et novo Pontificiæ auctoritatis præsidio communiri ordinem procedendi in Causis, jamdiu præscriptum Superioribus, et Inferioribus Tribunalibus a Sacra Tridentina Synodo, Congregationum Decretis, et Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, aliisque Ordinationibus Apostolicis. Ideoque si ipsi Judices omni semoto, ut par est, humanæ cupiditatis affectu, præ oculis solum habuerint, quæ tam maturo, tamque saluberrimo sunt constituta et ordinata consilio, facile eorum quilibet agnoscet, quæ sui, et quæ alieni Ministerii partes esse debeant in admittendis, ac respective rejiciendis Causarum Appellationibus, et Inhibitionibus: Atque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita Jurisdictionis, et auctoritatis prærogativa servetur; Sed etiam ut, extinctis prorsus, ac radicitus avulsis omnium conten-

ANNO  
1742.

Admonitio ad Judices pro præmissorum executione.

PONT. tionum, et discordiarum seminibus, mutuo  
A. II. charitatis vinculo Tribunalia socientur, et inter  
illa recte agendi disciplina Christiano Populo  
utilis, et necessaria restituatur.

Actorum § 49. Demum, ut, exemplo Nostro, omnes  
visitatio, præmissorum executioni caute, et pro viribus  
et examen incumbant, et ut præsertim Notariis, Tabel-  
indicitur. lionibus, et eorum Actuariis, et Substitutis  
omnis contraveniendi ansa præcidatur, volu-  
mus, et expresse mandamus, Processus, et  
Acta Causarum in Nostra Romana Curia co-  
ram quovis Judice pendentium, ac Inhibitiones,  
Appellationes, Monitoria, aliasque Cita-  
toriales, et Inhibitoriales literas, quas ab iisdem  
Notariis, eorumque Substitutis, scientibus, vel  
insciis Judicibus, vel aliàs quomodolibet in po-  
sterum expediri contigerit, sedulo cognosci, et  
examinari per fide dignas Personas a Nobis op-  
portune deputandas, quæ si deprehenderit,  
easdem Inhibitiones contra hujus Constitutionis  
formam, et ad subterfugienda Ordinariorum,  
et Episcoporum judicia, quæsito gravaminis co-  
lore, fuisse perperam concessas, et expeditas,  
in eosdem Notarios, et Substitutos Canonicis  
pœnis, aliisque a Nobis supra expressis, severe  
pro modo culpæ animadvertant.

Clausu- § 50. Decernentes has præsentis literas sem-  
læ, et De per firmas, validas, et efficaces existere, et  
creta om- fore, suosque plenarios, et integros effectus  
nes arc- sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spe-  
tantia. ctat, et pro tempore quodcumque spectabit,  
inviolabiliter, et inconcusse observari; Sicque,  
et non aliter in præmissis per quoscumque Ju-  
dices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causa-  
rum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ  
Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinales, etiam de  
latere Legatos, et ejusdem Sedis Nuncios, aliosve  
quoslibet quacumque præeminentia, et pote-  
state fungentes, et functuros, sublata eis, et  
eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et in-  
terpretandi facultate, et auctoritate, judicari,  
et definiri debere, ac irritum, et inane, si se-

cus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

ANNO  
1742.

Deroga-  
tiones op-  
portunæ.

§. 51. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ac usibus, et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis præfatis, aliisque quibuslibet Judicibus, Curis, Tribunalibus, et Personis, etiam quantumvis sublimibus, et specialissima mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis: Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 52. Ut autem eadem præsentis literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ

Publica-  
tionis præ-  
ceptum,  
ejusque  
effectus.



PONT. Lateranensis, et Basilicæ Principis Apostolorum,  
 A. II. necnon Cancellariæ Apotolicæ, Curiaque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est affigi, et publicari, sicque publicatas, et affixas omnes, et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, ac afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatæ fuissent: ipsarum autem literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Exemplis  
 auctoritas  
 tribuitur.

Sanctio §. 53. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc  
 Constitutio- paginam Nostri decreti, constitutionis, declara-  
 tionis, annulationis, admonitionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam  
 Dat. die 30. Martii Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragésimo secundo, tertio Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno II.

*P. Card. Pro-Datarius.*

*D. Cardinalis Passioneus.*

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die 18. Aprilis ejusdem anni.*

## REVOCATIO

XLIX.

Peculiaris Statuti Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quo ipsis vetitum erat, ne Confessariis extra proprium Ordinem unquam confiteri possent.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**Q**UOD communi auctoritatis juri innixum in Religiosis Familiis, etiam per peculiare Generalium Comitiorum sanctiones in aliquibus Ordinibus præceptum statutumque est, ut nimirum Alumni cujuslibet Instituti peccata sua non nisi ejusdem dumtaxat Religionis Confessariis, quibus, utpote omnium rerum in ipsa Religione servandarum cavendarumque notitia instructis, facilius est pro culpis salutare adhibere remedium, confiteri teneantur: illud, etsi aliquo pacto tamquam necessarium, et laudabile, ac propterea ab Apostolica hac Sancta Sede fortasse aliàs confirmatum etiamnum servatur, ea tamen secum afferre incommoda, propter quæ non sine aut conscientiæ angore, aut populorum offensione, adimpleri posse, aliàs nonnulli Fratrum præsertim Ordinum Prædicatorum, Minorum Sancti Francisci, aliorumque Superiores serio cogitantes, super hujusmodi Statutis Ordinum suorum dispensationem ab eadem Apostolica Sede, sibi impertiendam curarunt.

Dispensationes ab hujusmodi statutis aliàs petitiæ et concessæ, fuerunt.

§. 1. Quoniam autem, sicut accepimus, in Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, idem quoque Statutum a Diffinitorio generali jamdudum editum, Tenor  
statuti.

PONT. et in pluribus Capitulis generalibus dicti Ordinis comprobatum ea, qua decet, observantia viget, atque exigitur; ut nemo Frater expresse professus ordinis præfati, sive Presbyter, sive Laicus fuerit, sive iter agens, sive alicubi quocumque pacto de suorum Superiorum tamen licentia commorans, etiamsi ad prædicandum Verbum Dei, tam Adventus, quam Quadragesimæ temporibus, et ad Sacras Missiones quoque perrexerint, nemini, nisi sui Ordinis Fratris Confessario, per suum Superiorem ad Confessiones audiendas approbato, peccata sua confiteri, ab eoque Sacramentalem Absolutionem obtinere licite, et valide possit.

Rationes  
dispensandi.

§. 2. Hinc est, quod Nos, qui licet ejusdem Ordinis Alumnos, propter severioris disciplinæ cultum, summam animi demissionem, arctissimam paupertatem, et insignem in pietate, doctrinis, disciplinisque laudem, plurimi facere pergimus, et paternæ benignitatis testimoniis complectimur; tamen scientes, de mundano pulvere religiosa etiam corda sordescere, nec ad susceptum religiosæ vitæ institutum proficere, quin imo plurimum obesse, ut iidem Alumni, ac præcipue prædicationi Verbi Dei sacrisque Missionibus addicti, a suis Conventibus, quacumque de legitima causa, et longe, et diu absentes, ob Confessarii defectum, vel a faciendo Sacro, aut Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento percipiendo, non sine populorum, quibuscum interea temporis conversantur scandalo abstineant, vel ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandum, aut Angelorum panem sumendum, ne scandalum oboriatur, cum conscientiae angore accedant; hisce malis opportunum Apostolicæ providentiæ nostræ remedium afferre cupientes; motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac prævia cujuscumque Statuti, seu Decreti, ut præmittitur, a generali Diffinitorio editi, et per generalia dicti Ordinis Capitula approbati, etiam



ab Apostolica Sede præfata confirmati, revocatione; tenore præsentium statuimus, decernimus, et mandamus, ut quilibet ex Fratribus dicti Ordinis, sive in Sacro Presbyteratus Ordine constitutus, cujuscumque status, gradus, dignitatis, et conditionis, sive Laicus, seu Conversus fuerit, qui de Superiorum suorum licentia, quacumque de legitima causa, titulo, et occasione, sive prædicandi Verbum Dei quocumque tempore, sive sacras Missiones peragendi, sive iteragendi, et alicubi commorandi, ubi nullus Conventus, seu Hospitium, nullusque Frater dicti Ordinis Confessarius reperitur, libere, et licite possit, ac valeat quemlibet Presbyterum Secularem ab Ordinario Loci, vel Regularem a suo Superiore Regulari ad Sacramentales Confessiones excipiendas approbatum adire, eique peccata sua confiteri, atque ab ipso obtinere sacramentalem absolutionem, etiam quoad casus, per Constitutiones, et Statuta Regularia dicti Ordinis reservatos, incurasque proinde censuras, recepta salutari poenitentia, præstitaque obligatione se statim, quoad ipsi permissum fuerit, coram suo Regulari Superiore præsentandi, ac de novo super casibus, et censuris hujusmodi absolutionem impetrandi.

ANNO  
1742.

Conceditur Indultum confitend extraneis Confessariis deficiente Confessario approbato sui Ordinis.

Etiam quoad absolutionem a casibus reservatis, sub conditione etc.

§. 3. Decernentes easdem præsentem Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Apostolicæ Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judi-

PONT.  
A. II.

cari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si sc̄cus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplo-  
rum fides.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si fo-

Dat. die  
30. Martii  
1742.

rent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die xxx. mensis Martii MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

*D. Card. Passioneus.*

mmmm

ANNO  
1742.

## BEATIFICATIO

L.

Beati Camilli de Lellis Fundatoris Clericorum  
Regularium Ministrantium Infirmis.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**I**N virtutibus, rebusque a Servo Dei Camillo de Lellis Congregat. Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatore ad Divini honoris Cultum promovendum, augendumque, et ad opportuna procurandæ animarum Christianifidelium saluti commoda, ac remedia comparanda præclare gestis, in quibus magnificata est dextera Excelsi et amplissime triumphavit virtus Spiritus Sancti, divina ipsius misericordiarum Patris, qui mirabilis est in Servis suis, opera revelare, et confiteri, non solum honorificum, sed in hac potissimum aspera temporum conditione salutare etiam, ac necessarium esse ducimus, ut et universi Christifideles benignitatem Dei nostri, et divitias bonitatis ejus prædicantes, nova, atque uberrima habeant ad imitationem exempla, et ipse Servus Dei meritis honoribus mactatus in terris, certa e Cœlis patrocínio suo in diebus nostris impetret perpetuæ inter Christianos Principes pacis, communis Populorum tranquillitatis, et æternæ salutis auspicia, atque præsidia.

§. 1. Erraverat ille quidem a semita, quam tenuerant Servi Dei, qua iter ad Cœlestem Patriam intenditur, et ipsum fore perfecturum; sed peculiari miserentis Dei providentia in viam rectam, in solemní die Purificationi Beatæ Virginis Mariæ Immaculatæ sacrâ, revocatum, adeo

Proœmi-  
um.Summa-  
rium vir-  
tutum, et  
merito-  
rum Beati  
viri.



PONT.  
A. II.

replevit spiritus timoris Domini, spiritus consilii, et fortitudinis, ut ejusdem amoris igne accensus, amare flevit, atque arduum Christianæ poenitentiae, et perfectionis stadium ingressus, curriculum omnium virtutum, relicto aliis, atque sui praesertim Instituti Alumnis ad praeeuntem impigre sectandum incitamento, confecerit; Unde a bonorum omnium largitore, Deo immortalis beatitudinis bravium accepisse, nullus ambigendi sit locus. Quamobrem nihil ad supremum, gravissimumque Apostolicæ servitutis, in Catholicæ Ecclesiae procuratione, imbecillitati nostræ per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam demandatum ministerium rite sancteque obeundum intelligimus esse aptius, aut magis idoneum, quam ut, quantum Nobis ex Alto conceditur, ejusdem Servi Dei Camilli de Republica Christiana, atque hac Alma Urbe nostra, in qua maxime luculentissima suarum virtutum praesetulit specimina, et mortali vitæ finem imposuit, benemerentissimi, cultum, et venerationem, ad Omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiae decus, et Christiani populi utilitatem, promoveamus.

Ordo in  
ejus causa  
servatus.

§. 2. Cum itaque maturè, diligenterque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum, Processibus de Apostolicæ Sedis licentia confectis, super vitæ sanctitate, et virtutibus, tam Theologicis, quam Moralibus in gradu heroico, quibus eundem Servum Dei Camillum de Lellis multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem, a Deo patrata fuisse assereretur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, praedictum Servum Dei Beatum declarari, cum consuetis indulgentiis: Hinc est, quod Nos piis, atque enixis antedictæ Congregationis Clericorum Regula-

Preces  
Sanctæ

rium Ministrantium Infirmis, jamdudum sæpius porrectis supplicationibus, quibus olim suas, et cl. mem. Hispaniarum Reges Catholici, tum Philippus III. tum Philippus IV. ad fel. rec. Paulum Papani V. Gregorium PP. XV. et Alexandrum PP. VII. Prædecessores nostros, et utriusque sexus Principes, ac Duces, necnon Nobiles Viri Electi Civitatis Neapolitanæ, alii- que ex Ordine Ecclesiastico preces, et vota conjunxerant, Nobis nuper iterum porrectis, benigne inclinati, de supradictæ Congregatio- nis consilio, et assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut idem Servus Dei Camillus de Lellis, in posterum Beati no- mine nuncupetur, ejusque Corpus, et Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processio- nibus circumferendæ) exponantur; Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur; ac de eo quotannis die xv. mensis Julii recite- tur Officium, et Missa de Communi Confessoris non Pontificis, cum Oratione a Nobis approbata juxta Rubricas Breviarii, et Missalis Romani. Porro recitationem Officii, et Missæ celebratio- nem hujusmodi, fieri concedimus dumtaxat in universa Congregatione eorundem Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, et in civi- tate, ac Diœcesi Theatina, ubi natus, ab om- nibus utriusque sexus Christifidelibus, tam Sæ- cularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, et quantum ad Missas at- tinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ec- clesias, in quibus Festum peragetur, confluen- tibus. Præterea primo dumtaxat anno, a datis hisce literis, et quoad Indias, a die, quo eadem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Eccle- siis Congregationis, Civitatis, et Diœcesis an- tediectæ, solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei, cum Officio, et Missa, sub ritu duplici majori die ab Ordinariis respective constituta, postquam in Basilica nostra Sancti Petri in Va- ticano celebrata fuerint eadem solemnia Domi- nica Secunda post Pascha Resurrectionis Domini

A N N O

1742.

Sedi por-  
rectæ pro  
ipsius Be-  
atifica-  
tione.Eidem  
Beati no-  
men, et  
honores  
decernun-  
tur.

PONT. Nostri Jesu Christi currentis anni MDCCXLII.  
A. II. pariter celebrandi facimus potestatem.

Clausulæ. §. 3. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, et sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die Datum Romæ apud S. M. Majorem sub Anulo  
7. Aprilis Piscatoris die VII. Aprilis MDCCXLII. Pontifica-  
1742. tus Nostri Anno secundo.

*D. Card. Passioneus.*

## LITTERÆ

Ll.

Canonizationis Beatæ Elisabethæ Lusitanorum  
Reginæ.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**R**ATIONI congruit, et convenit æquitati, ut ea, quæ Romani Pontificis provida deliberatione, ac Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum tunc in Romana Curia commorantium unanimi consilio, decreta, definita, et statuta fuerunt, licet, ipsius superveniente obitu, Literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum.



§. 1. Gaudeat in Domino, et in donis gratiæ suæ gloriatur felix Lusitaniæ Regnum; sed laudent alii Cœli illius temperiem, amœnas Tagi ripas, divitias ex toto Orbe navibus eo illatas, et congestas, nobilitatem Urbium, hominum ingenium, et solertiam, et in remotissimis Terrarum Orbis regionibus detegendis, subjiciendisque felicitatem. Una est, quæ præcipuam ex Sacerdotali ore laudem meretur, et quæ in Sancta Dei Ecclesia merito extolli, et prædicari debet, suorum scilicet Regum pietas, et religio. Hæc enim Lusitanum Regnum fundavit, hæc ampliavit, hæc ad summam gloriæ, et laudis magnitudinem evexit, hæc in ea amplitudine, qua nunc floret, servat, et custodit. Nam Princeps ille, et genere, et virtute clarus Henricus, qui Lusitaniæ Regni decus, ac gloriam, barbararum gentium incursu, ac veluti inundatione afflictam erexit, atque instauravit, cum in Hispania adversus Mauros Alphonso Sexto strenuam navasset operam; et Theresiam ejus filiam in Uxorem, et Lusitaniæ partem in dotem, et præmium virtutis accepisset, eam statim, creptis e Maurorum potestate aliis oppidis, plurimum auxit. Posteaquam vero e Hierosolymitana expeditione, quam pietatis, et Religionis studio susceperat, reversus est, nunquam bello contra Mauros abstinuit. Nam quinque supra viginti de Mauris reportatis victoriis, multisque de manubiis, ac spoliis hostium, Templis, ac Cænobiis erectis, ad Asturicam, quam obsidebat, in armis, prout Fidei propugnatorem decebat, ultimum diem obiit. Nec ejus filius Alphonso tanto Patre inferior fuit: Testes sunt Leiria Urbs munitissima Mauris erepta, Scalabis inexpugnabile Oppidum in potestatem reductum, Olyssippo expugnata, innumerabiles Maurorum, et Barbarorum copiæ paucis militum numero pluries disjectæ, unus, et triginta Barbarorum Reges armis devicti. Siquidem nunquam a persequendis bello Crucis hostibus terra marique cessavit, donec eliminata e Lusitaniæ

ANNO  
1742.  
EXORDI  
UM.

PONT  
A. II.

finibus Mahumethana superstitione, Catholica Religio a pluribus annis exul, veluti triumphans in propriam sedem reduceretur: Cujus non minus virtus in bello, quam pietas in pace resplenduit. Nam egregio pietatis documento, cum ex acie domum redibat, in Monasterium Sanctæ Crucis se recipere, ibique cum Religiosis Viris Chorum adire, orare, psallere, sacrisque mysteriis adesse solitum fuisse traditur. Difficilis quidem res esset, si quis Lusitanorum Principum, qui Henrico, et Alphonso successerunt, fortiter, ac pie gesta persequi, et præstita ab eis in Catholicam Religionem officia recensere vellet. Innumera enim non solum in vicinis, sed in remotissimis partibus, adversus Mauros, Turcas, Saracenos, Idololatrias, bella pro Religione suscepta, relatæ victoriæ, parta pietatis trophæa. Ingentes classes adversus Christianorum hostes maximo sumptu paratas, et omni re instructas in ultimas, et prorsus ignotas Orbis regiones missas, quis ignorat? Et antiqua Lusitanorum Regum virtutis exempla adversus Christiani nominis inimicos renovata nostra memoria vidimus, et contra ferales Turcarum debacchantium impetus, præsens in Lusitanorum Regum pietate Roma, et Italia sensit auxilium. Sed Christianum nomen non solum armis, opibus, et sanguine suo Lusitani Reges tutati sunt; verum etiam longe lateque studio, cura, ac sollicitudine propagarunt, ut hanc unam egregiam laudem propriam sibi facere velle visisint, Evangelium Christi Domini disseminare, Catholicæ Fidei lucem diffundere, superstitiosos cultus abolere, Cracis vexillum in longe dissitas, et nunquam ab aliis aditas regiones inferre. Nam eorum operâ ora Punica arcibus occupata, Mari Atlantico emenso, Insulisque per illud sparsis, totaque ulteriore Lybia qua mari lustrata, qua terra penetrata, Arsinario Promontorio, Guinea, Zanguebaria, et Promontoriis intra, et sub Æquatore constitutis, et ultra ad Cancris tropicum utrâque Æthiopia, Insulisque

ANNO  
1742.

vastis, Persici, et Arabici freti sinibus pervasis, qua Asia ab Africa disjungitur, barbaris atque effervis Nationibus venerandum Christi nomen, ac salutaris Evangelii doctrina annunciata est. Insuper Indiâ, quam late intra Indum, et Gangem protenditur, transmissa, in Auream Chersonesum, et Sumatram, plurimasque immensi illius Archipelagi insulas, ad Molucas usque, ultimamque Janopiam, et in Sinicum Imperium, et Tartarico Regno proximas regiones; insuper ad Occidentales Indos cursu deducto, in Pher-nambucum, Maraniam, cæterasque vastissimæ Brasilæ Terras, sacris Ministris, et Verbi Dei Concionatoribus Regio sumptu, et Apostolicæ Sedis auctoritate missis, populis habitantibus in Regione umbræ mortis Lusitanorum Regum, aliorumque Catholicorum Principum pietate Lux Evangelicæ Fidei affulsit. Profecto admiratione suscipi potius, quam pro meritis laudari in Domino potest munificentia, et Religio Lusitanorum Regum, in large ac splendide protegendis, sublevandisque populis ad Catholicam Veritatem recens adductis, in alendis, ac sustentandis Sacrarum Missionum Ministris, in ædificandis inter barbaras gentes immortalis Deo Templis, in extruendis Religiosorum Virorum Cænobiis, in erigendis, pro erudienda in Catholica Religione, et Ecclesiastica Disciplina juventute, Sacris Ædibus, et Seminariis, aliisque peragendis, quæ ad expellendas Mahumethanæ impietatis, vel Idololatriæ errorum tenebras, et ad diffundendum Christianæ veritatis lumen conducebant. Itaque tantis pietatis operibus, et tam præclare a Lusitanis Regibus in bello, et pace pro Religione gestis, hanc inter cætera amplam mercedem retulit benignissimus Deus, ut in Regia Domo, ac Familia existerent fœminæ morum integritate, et vitæ sanctitate illustres, quæ Deo dilectæ, et mundo mirabiles, in Servorum Dei numerum a Catholica Ecclesia adscribi mererentur; ut si Lusitaniæ Regnum in terris suorum Regum virtute, et pietate maxime



PONT. consideret, majus in Cœlis in suorum Principum sanctitate, et meritis incolunitatis suæ præsidium haberet. Ex hoc numero fuerunt Therasia, Sancia, Masalda, Johanna: Sed præ omnibus, et Sanctarum operationum laude, et cælestium miraculorum magnitudine emicat Beata Elisabeth Regina, quam fel. rec. Urbanus Papa Octavus Prædecessor Noster pro sua pastoralis sollicitudine tanquam sanctam, et electam Dei in universali Ecclesia colendam, et venerandam Apostolica auctoritate decrevit. Et Nos, quos in Apostolatus ministerio, licet immerentes, Divini consilii altitudo succedere voluit, ejus vitam, et res mirabiliter sancteque gestas Christiano Populo considerandas proponimus; ut Principes Fœminæ, inter Regales delicias, et mundanos aulæ fastus, præ oculis habeant, quam imitentur; omnes vero, ad quem calamitosis hisce temporibus, et in tanta rerum omnium perturbatione, supplices confugiant: ut quæ in terris contrarias dissidentium Principum voluntates miro gratiæ Dei dono in concordiam reducebat, modo in Cœlis Beata, precibus apud Deum pro Nobis intercedere velit, quo tanti gravissimorum bellorum motus, armorumque turbines, potentissimæ Divinæ voluntatis jussu compescantur et diremptis dissidiis, reconciliatisque inter se discordantium Principum animis, Sancta Dei Ecclesia Regi pacifico, et omnium bonorum Datori gratiarum hymnos, et debitas laudes persolvens in tranquillitate quiescat, ac pace et concordia filiorum suorum lætetur.

In lucem edita Elisabeth Avo ejus Jacobo Regi educanda traditur, et futuræ Sanctitatis indicia præfert.

§. 2. Nata est Elisabeth anno a Virginis partu millesimo ducentesimo septuagesimo primo: Pater ei fuit Rex Aragoniæ Petrus, Jacobo Rege natus, et Violantia Regis Hungariæ filia: Mater Constantia, filia Manfredi Siciliæ Regis, et Frederici Secundi Imperatoris neptis. Præluxit in ea fax illa virtutum, quæ cum ætate ipsa adolescens, et in diem magis magisque relucens in hoc sæculo, tanquam in tenebricoso loco,

ANNO  
1742.

lumine ac splendore suo viam salutis aliis præmonstraret. Recens enim a partu ad Regem Jacobum Avum allatâ, atque ab eodem ad sextum ætatis annum Christianis moribus imbutâ, de ipsa prædicare, ac penè prædicere ille solebat, neptem illam atque alumnam suam, seminarum omnium optimam, clarissimamque futuram, quæ ex Aragoniorum Regum stirpe natâ unquam fuissent. Ex humanis crepto Jacobo, sexennis puella reducta in Patris domum, ibi, quam ab Avo didicerat, prosecuta est integerrimæ vitæ rationem. Pueriles ludos, ornatum corporis, voluptatum delicias, tenera adhuc, et infantili ætate, sed cælo matura, fugiebat: Divinis precibus, ciborum abstinentiæ, Caritatis operibus impense vacabat; ut Pater ipse fuerit solitus affirmare, suarum rerum, ac Regni felicitatem Elisabethæ virtutibus, ac meritis apud Deum acceptam esse referendam.

§. 3. Educata pudice, ac sobrie, ubi plenis Lusitaniæ annis nubilis facta est, longe clarescens hone- Regi Dio- stis moribus suis, quibus eam Deus etiam mor- nysio nu- talibus oculis pulchram faciebat, et reverenter bit. ac amabilem, atque mirabilem, a pluribus Chri- suscep- stianorum Principum Filiis, per crebras lega- tam Pro- tiones, et literas in matrimonium expetitur. lem opti- Sors obtigit Lusitaniæ Regi Dionysio, Alphonsi mis mori- III. filio; cui Regiis, et Christianis ritibus nu- bus, ac ptui tradita, non tanquam viro, sed tanquam documen- domino subdita fuit, studens cum demereri con- tis imbuo jugalibus obsequiis, et Deo lucrifacere. Et quoniam bonum conjugii est, et Dei donum, proles ex legitimis nuptiis suscepta; hanc quoque Deus largitus est famulæ suæ, ut pudicitia, sanctisque moribus, et sæcunditate etiam Viro suo probaretur. Nam ætatis anno decimo septimo Constantiam filiam peperit, vicesimo vero Regni hæredem Alphonsum. Sed quos in hanc mortalem lucem ediderat, iterum parturiens Deo, bonis erudiebat monitis, sanctisque moribus informabat, et exemplo suo, quod longe effica-

PONT. eius verbis est, ad pietatem, omnemque virtutem instituebat.

A. II. Sanctis §. 4. Etenim illa non minorem excolendis in operibus, se virtutibus, quam in liberis educandis, aliisque ac cœlestium rerum contemplationi vacat. que necessariis rebus procurandis, dabat operam: In sacris precibus assidua, frequens ad rem Divinam erat; ubicunque versaretur, Sacellum habebat religiose constructum, ac magnifice ornatum, Sacerdotibus, aliisque Sacris Ministris instructum, quo a tumultuantibus sæculi curis secedens, in Sancta Dei contemplatione quiesceret; ibi enim ejus erat requies, ibi fere semper habitabat, soli Deo intentæ, et cœlestibus inhians divitiis, terrenas opes, et vana corporis ornamenta, quibus animæ pulchritudo non augetur, sed corrumpitur, contemnebat: decenti, et modesto induta cultu, composito vultu, et demissis oculis incedens, externo præferbat in habitu virtutem, quæ intus latebat in corde. Ubique enim Deum sibi præsentem habebat. et quo magis in eum amore ferebatur, eo vehementius vitia, et peccata odio prosequeretur, ut si quando Divinam lædi Majestatem animadverteret, injuriam sibi fieri, et se ipsam læsam existimaret.

Jejuniis, §. 5. Hujus etiam vis Sancti amoris dulces ei aliisque reddebat acerbissimas pœnas, quibus subdicere pœnis corpus, et in servitutem redigere curabat, ne pus macerat. ad Creatorem suum tendentem animum cœnosis terrenarum cogitationum motibus impediret, et rebellantium passionum turbis ad terrena a Cœlestibus avocaret. Quadruplex illa jejunium ab adolescentia solemne habuit: quadragenarium, et commune Christianorum omnium; alterum, quo præparari solent homines Religiosi ad Christi adventum; tertium, quod Angelorum appellant, a die festo Beatæ Virginis Assumptæ, ad Archangeli Michaelis diem; ac postremum a feriis S. Joannis Baptistæ ad diem Assumptæ Virgini Sacrum. His igitur jejuniis, et insuper nocturnis vigiliis, diurnisque laboribus, aliisque pœnis, in Regum deliciis enutri-



tum corpus macerabat ; a vino , in quo est luxuria , adeo assueverat abstinere , ut mediam fere anni partem solo pane transigeret , et aqua.

§. 6. Cum aliquando jaceret gravi stomachi morbo laborans in Oppido Alenquerio , præscripserunt ei Medici , ut vino uteretur ; illa vero , cum id curationi valetudinis necessarium esse minime duceret , et sanctum suum propositum in abstinendo a vino levi ex causa mutare timeret , renuit id facere , jussitque aquam sibi afferri. Sed æterni Dei benignitas , qui voluntatem timentium se facit , dignata est voluntati famulæ suæ obsequi , ne hominum consilio , indictam sibi abstinentiæ legem transgredi cogeretur , voluitque simul , eam uti remedio , quod per os Apostoli sui discipulo ejus Timotheo ægrotanti suggesserat , scribente ad eum Paulo : *utere modico vino propter stomachum* : Itaque renovato mirabili illo prodigio , quod primum , cum inter homines Christus Dominus versaretur , in nuptiis Canæ factum est , aqua bis ad eam allata , bis Omnipotentis voluntatis suæ nutu , quo res omnes e nihilo eduxit , in vinum commutata est.

§. 7. Ex amore Dei summa illa Caritas erga proximum oriebatur , qua consolabatur afflictos , succurrebat egenis , pauperibus inserviebat , curabat ægrotos , omnes in Christo complectebatur , sublevabat pecunia , reficiebat alloquio. Nullus inopum occurrebat , in quem illa stipem benignissime non conferret , atque ex infinita multitudine debilium , languentium , pauperum , infirmorum , qua se videbat assidue circumfusam , vacuum abire , aut solatio destitutum neminem patiebatur : Quos intelligebat præ pudore stipem cogere non audere , quamvis id suaderet necessitas , non solum prompta eis subveniebat pecunia , sed etiam quotidianis sumptibus sustentabat : Non exiguum frumenti numerum dabat Religiosis familiis , quæ in quibuslibet Lusitanix partibus versabantur : Cænobiis Monachorum , quacumque iter faceret , certam pe-

ANNO  
1742.

Gravi morbo correpta aquam potui sibi dari imperat, que Dei omnipotentia bis in vinum convertitur.

Pauperum, et Miserrum necessitatibus subvenit: Monasteria edificat, eaque redditibus donat, atque alia pietatis officia præstat.

PONT. cuniæ summam quotannis assignabat in vestem.  
 A. II. Almoſtəriense Monasterium prope Scalabim a Berengaria nobili fœmina inchoatum ipsa perfecit: Aliam domum, ubi partus a Parentibus expositi educarentur, quam Martinus Episcopus Guardiensiſ morte occupatus absolvere non potuit, non modo absolvit, sed redditibus etiam, et excipiendorum numero puerorum amplificavit: Xenodochium e regione suæ domus prope Conimbricam erexit, ubi triginta pauperes certis attributis sumptibus alebat, ac vestiebat, atque identidem præsentia, allocutione, ministrandi quoque officio solabatur; denique communis omnium Parens, et Patrona censebatur, et temporalibus necessitatibus miserorum subveniens, animas, quorum corporibus succurrebat, humanitate, ac benignitate sua ad Deum trahere satagebat.

Quotannis feria sexta majoris hebdomadæ leprosis abluit pedes, quorum unum ab Atriensi servo graviter percussum reddit incolumem.

§. 8. Consueverat Beata Elisabeth feria sexta majoris hebdomadæ elephantiacis aliquot, seu leprosis, pedes abluere, et stipem elargiri. Id aliquando cum perfecisset in oppido quodam Scalabi appellato, ex iis unus, quibus id præstiterat officium, reliquis tardior, ob morbi vim vehementiorem, substitit parumper in Regia; quod ubi Atriensis quidam Servus animadvertit, ferox, et asper, ac rei gestæ ignarus, acerrimis eum conviciis est insectatus: cumque ille reclamaret, fustem arripiens, hominis, qui se præ morbo commovere vix poterat, caput summa vi percussit, et graviter vulneravit. Concidit infelix in terram ea plaga accepta, et calamitatem suam cœpit ejulans lamentari. Accurrit, et vocibus, et miserabili spectaculo Urraca Vaschia, renunciatque Reginæ, cui ob studium pietatis erat familiarissima, quid factum fuerit; illa hominis miseri atque innocentis calamitate commota, in suum cubiculum eum imperat deportari, deinde album ovi exceptum stupa vulneri suis ipsa manibus imponit, additaque pecunia in reliquos sumptus, eum dimittit. Postridie quam hæc gesta fuerant, sciscitatum mittit,

quomodo se æger habeat : optime responsum ANNO  
fuit ; et cicatricem , post factam a Regina me- 1742.  
dicinam , statim fuisse obductam. Ita Regii sa-  
mulum injuriam Beatæ Reginæ Sanctitas , et cle-  
mentia compensavit.

§. 9. Ejusdem majoris hebdomadæ feria quinta , Feria  
lavare duodecim mulierum elephantiasi , seu quinta  
lepra laborantium pedes , iisque etiam pecu- hebdoma-  
niam , et vestes donare , et ad mensam splendide dæ præfa-  
acceptis ministrare consueverat. Earum una pe- te , duo-  
dem alterum cancro affectum tam male habe- decim mu-  
bat , ut parum abesset , quin duo digiti deci- literum  
derent ; altero igitur abluto pede , alterum in elephan-  
pelvim immittere , Regina postulante , renuebat. tiasi labo-  
Conscia enim latentis mali , et turpis defor- rantium  
mitatis , pedem illum aut Reginæ manibus at- pedes la-  
tingi , aut oculis videri indignissimum judica- vat ex  
bat. Sed Urraca Vaschia , quæ Elisabethæ aderat , quibus u-  
ejus jussu recusantis pedem in aquam mittit. nam can-  
Id ubi factum est , odor illico asslatus est tam cro infir-  
gravis , ac pestilens , ut omnes Reginæ Mini- mam os-  
stræ , cum eum præ fastidio ferre non possent , culo si-  
se proripuerint foras : sola imperterrita mansit mul ac  
Regina , quæ Christiana magnanimitate , et Ca- Crucis si-  
ritate memorabili , ulcus non modo non horruit , gno mira-  
sed suis manibus tractare , ac medicinam ali- biliter sa-  
quam adhibere aggressa est. Accedit ergo plena nat.  
misericordiæ , plena humanitatis , procumbit ante  
miseram fœminam , foveat aqua calida pedem ,  
et ulcus leniter , ac molliter expurgat ; postremo  
ejus , *qui vulneratus est propter iniquitates nos-*  
*tras , et reputatus est quasi leprosus , et per-*  
*cussus a Deo* , amoris impetu acta , ipsum can-  
cerum , cujus vel odor erat intollerabilis , oscu-  
latur , et salutare Signum Crucis imponit. Mirum  
dictu , sed tanta virtute dignissimum ! nulla in-  
terposita mora , et Signo Crucis , et osculo , et  
simul Beatæ Reginæ merito , insanabile ulcus  
Dei omnipotentia factum est sanum.

§. 10. Cum aliquando proficisceretur Conim- Humilita-  
bricâ in Urbem Portum , per vicum quemdam tis amans  
iter habuit , nomine Arifanam ; hic illi obviam oculorum



PONT. processit rusticana quædam fœmina, filiolarum  
 A. II. secum ducens ab ortu cœcam; oravit Reginam  
 usu puel- supplex, ut oculos puellæ manibus tantum at-  
 læ restituo, vetat tingeret; illa obsecratione simul, ac misera-  
 miracu- tione permota, morem gessit matris voluntati;  
 lum divul post paucos dies exultans, et gestiens venit ad  
 gari. Elisabetham cum filiola quæ statim atque tacta  
 fuerat, usum oculorum acceperat, agunt im-  
 mortales Reginæ gratias, ipsa vero a Magistro  
 humilitatis edocta, qui pertransiens benefa-  
 ciendo, et sanando omnes, se tamen benefi-  
 ciorum auctorem prodi nolebat, vetuit illis  
 rem palam facere, utque facilius impetraret,  
 veste utramque donavit.

Margari- Nobilis quædam et religiosa mulier, Margarita  
 tam Frei- Freila, quæ in Æde Sacrarum Virginum, cui  
 lam ab in nomen est Chelis, prope Ulyssipponem mora-  
 sanabili batur, Reginam in Urbe commorantem adivit,  
 tubere in a qua statim ac pallido vultu, et macie con-  
 Stomacho fecta visa est, causam rogatur; tuberculum,  
 liberat. respondit, super stomachum natum; signum  
 illa Crucis agræ parti imponit, quo facto, re-  
 sedit omnis tumor, dolorque decessit. Margarita  
 tam gravi morbo liberata præ gaudio continere  
 se nequivit, quin illico omnibus manifestaret  
 Elisabetham tam insperatæ curationis auctricem.  
 Quod cum ad aures ejus pervenisset, non pa-  
 rum inde molestiæ accepit, dolens laudem sibi,  
 aut gloriam ullam tribui, quam soli Deo de-  
 bitam intelligebat. Itaque accersita ad se mu-  
 liere, graviter cum ea conquesta est, silen-  
 tiumque in posterum imperavit. Et quoniam  
 profusa in egenos Caritate maxime erat libe-  
 ralis, in sinu sæpe ferebat, quæ iis benignissime  
 dispensaret. Accidit, ut eam hæc in sinu clam-  
 gerentem Vir ipsius Rex Dionysius obser-  
 varet, qui forte ei factus obviam, interroga-  
 vit, quid in sinu portaret; rosas, inquit; ac  
 Dionysii jussu explicato sinu, opes illæ distri-  
 buendæ pauperibus in recentes rosas versæ con-  
 spiciuntur. Ita omnipotens Deus, qui aridam  
 Aaron virgam germinare fecit, et turgentibus  
 gemmis

Opes pau-  
 peribus  
 dispensan-  
 das in re-  
 centes ro-  
 sas com-  
 mutat.

gemma erumpere flores, ad dictum Beatæ Elisabethæ, opes pauperibus destinatas in fragran-tes rosas, media hyeme commutavit, ut quantum sibi gratum, ac suave esset Famulæ suæ misericordiæ in pauperes sacrificium, tam mirabili prodigio ostenderet.

ANNO  
1742.

§. 11. Necessitatem tribulationum non uno in loco nos monet Spiritus Sanctus in Sacris Scripturis, dicens: *Sicut Socii passionum estis, sic eritis et consolationis*; et rursus: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur*. Itaque benignissimus Deus, qui per ineffabiles providentiæ suæ vias, amarissimis offensionibus etiam illa adspersens, quæ licito quidem, sed fortasse nimio amore a Servis suis tenentur, totis cordis affectibus, et intimis animi conatibus, ad se, misericorditer sæviens, eos ire compellit, E. Elisabetham maximis perturbationum fluctibus, et adversitatum tempestatibus jactari sinit. Et quidem Constantiam Filiam præreptam sibi inverso quodammodo naturæ ordine, graviter doluit, tum etiam aliorum Carissimorum jacturam non mediocri animi sui dolore fortiter sustinuit. At Constantia Filia, permittente Deo, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, exacto unius anni spatio, quo pro ipsius anima Sacrum quotidie fieri per integrum castumque Sacerdotem curaverat, Matrem consolata est, cum per quietem e purgantis ignis pœnis in æternam felicitatem transeuntem se illi præsentem exhibuit.

Variis exercetur tribulationibus; Parentum, et Constantiæ Filiae jacturam æquo animo sustinet, quam in Cœlum proficiscentem videt.

§. 12. Sed inter alia multa adversa, et aspera, quæ ipsi acciderunt, maximo quidem mœrore afflixit Regis mariti abalienatus animus, et ad illicitos amores abreptus. Nam Dionysius, qui aliquot annos cum illa conjuncte, integreque vixerat, quibusdam quasi voluptatis injustæ præstigiis fascinatus, voluntatem ab ea cœpit avertere, omnemque amorem ad quasdam transtulit mulieres, ex quibus liberos etiam suscepit. Toleravit illa patienter spreti cubilis inju-

Aversum a se Dionysii Regis animum, æspreti conjugalis thalami injuriam humiliter tolerat.

PONT.  
A. II.

rias, et fracti maritalis fœderis crimen; atque humili cordis oculo indignas mulieres sibi prælatas respexit; neque cum aliquo de Mariti infidelitate conquesta est, neque ullam hac de re cum eo habuit simultatem; sed expectans in silentio misericordias Domini, qui solus facere potest mundum de immundo conceptum semine, loquebatur ei sanctis operibus suis, pietate sua, mansuetudine sua, tolerantia sua, humilitate sua. Tantæ igitur virtutis luce e lethali peccati somno excitus Dionysius aperuit mentis oculos, agnovitque turpitudinem suam, eamque detestatus, reliquum vitæ tempus caste, sancteque traxit.

Exortas inter Dionysium Regem, et Alphonsum Fratrem, ac inter eundem Dionysium, et Ferdinandum Castellæ Regem discordias dirimit.

§. 13. At vero piissimæ Reginæ animum non minori mœrore, ac tristitia perculerunt exorta inter summa, et carissima sibi capita dissidia. Sed hoc quoque Servæ suæ grande donum concesserat ille, cui juxta Prophetam nomen est, *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri Sæculi, Princeps Pacis*, ut inter discordes animas tam se fortem gereret, ut labores, ærumnas, et extrema vitæ pericula pro earum salute contemneret; tam mitem, ut irarum morsibus exasperata pectora alloquio suo leniret; tam prudentem et pacificam, ut irreconciliabili odio dissidentes, ad pacem et concordiam reduceret. Ac primo quidem gravem inter Dionysium Regem, et ejus Fratrem Alphonsum ortam discordiam, vel potius apertum bellum, copiis utrinque coactis, scissaque universa Lusitania in contrarias partes, compressit, ac diremit amantissima pacis Regina, fuis ad Deum precibus, Sacrorum Antistitum et Principum Virorum opera adhibita, suis postremo ad utrumque adhortationibus, atque obsecrationibus sæpius interpositis. Deinde vero non inferiori laboravit cura, atque industria, ut revocarentur mota jam arma a Rege Dionysio in Ferdinandum Puerum Castellæ Regem, ejusque tutores: Tum gravissimæ aliorum Principum affinium dissensiones per eam pacatæ sunt, quæ



perniciosa mala universæ Hispaniæ allaturæ videbantur.

§. 14. Sed nulla illustrior, ac magis necessaria conciliata pax ab Elisabetha, quam cum Dionysius Parens, et Filius Alphonsus plusquam civilia inter se bella suscepissent. Indignatus enim Dionysius ob Filii contumaciam, qui facinorosorum turmis stipatus, Patris auctoritatem, et imperium contemnebat, Regnoque de-jicere minabatur, statuerat ex improviseo cum opprimere. Appositis igitur ad omnes vias Custodibus, ne quis periculi nuncius ad Alphonsum iret, armatos raptim milites, et expeditos, secum proficisci jussit, ut acerbas de filio pœnas sumeret. At Elisabetha rei certior facta, per Nuncios diversis itineribus emissos, quanto in discrimine versetur, Filio significat, monetque, ut iram Patris declinet. Ipsa interim precibus, et lacrymis apud Deum exposecebat, ut tantum a Viro, a Filio, et a regno malum averteret. Ejus itaque diligentia, atque pietate factum est, ut Filius digressus e loco ubi opprimendus erat, salutem suam provideret, cujus contumacem in Patrem animum pia Mater, ad quam de tanto beneficio gratias acturus se contulerat, monitis, ac precibus infringere aggressa est. Verum in nihilo melior factus, sceleratum parare cœpit in Patrem bellum, qui facinoris indignitate commotus, aliorumque consiliis stimulatus, omnem viam ad vindicandam impietatem Filii quærebat. Exulcerabant hæc animum Elisabethæ, quæ demisse, atque assidue a Deo precabatur mitiorem Viro mentem, Filio saniore. Accusata vero apud Dionysium nimie caritatis in Filium, et muliebris indulgentiæ, ademptis Castellis, bonisque fere omnibus ereptis, ne qua Filium ope juvaret, in liberam custodiam tradita est, jussaque ne statuto loco egrederetur. Æquo animo indignam passa est calumniam piissima Regina, neque conquesta est de acerbo Viri imperio; sed statim paruit, et aliorum reclamantium querelas compescuit.

ANNO

1742.

Alphonsus ejus Filium qui defecerat a Patre, ex imminente vitæ discrimine vindicat.

Jussu Regis in libera custodia, ne quam illi opem ferat, detinetur

PONT.  
A. II.

Interea Alphonsus expugnandis atque in suam potestatem redigendis Urbibus; Dionysius iis, quæ a sua potestate defecissent, diruendis, atque evertendis; uterque in Lusitania misere devastanda, opes omnes, operamque ponebant. Quo tempore Beata Regina, religiosissimis quibusque fœminis undique ad se convocatis, cum iis tota erat in jejuniis, precibus, lacrymis, aliisque piis operibus ad exorandum Deum, *qui ventis, et mari imperat, et obediunt ei*, ut hor-

Sed, u-  
inque  
ompara-  
to exerci-  
tu, con-  
volat ad  
castra, ac  
ad primas  
acies pro-  
gressa vo-  
tis, et la-  
crymis  
mutuam  
Pacem ob-  
tinet.

ridam tempestatem, quæ ingentem ruinam secum ferebat, superna ope sedaret. Ubi vero accepit, bellum vehementius in diem inflammari, neque extingui posse nisi vel Viri, vel Filii sanguine, Civium strage, Civitatum excidio; continere se nequivit, quin Caritatis peninis e custodia convolaret ad Castram, Virum obsecraret, Filium obtestaretur, cum utroque per se, et per Principes Viros ageret, ut Patris in gratiam Filius restitueretur. Concessum est Dei munere, quod Elisabethæ pietas mercebatur; Sed non diuturna fuit illa concordia. Etenim cum Alphonsus, contra voluntatem Patris, ad Oppidum Scalabin accedere instructo agmine conaretur, obviam illi cum exercitu processit Dionysius. Itaque armatas acies contra Filium jam Pater direxerat, datum utrinque fuerat belli signum, concurrebant ex utraque parte cognatis armis milites, ventum erat ad manus; cum Elisabeth sui oblita, de animarum salute tantummodo sollicita, sine famularum comitatu, sine cultu, raptim accurrit, interponit se inter Virum, et Filium, non a telis ultro citroque jactis deterrita, non a suæ vitæ periculo retardata, Filium adhortationibus morigerum Patri, Virum obsecrationibus placatum Filio reddit, utrique vitam, utrique salutem, operante Domino, et loquente ad eorum corda, dum Famulæ suæ ad aures verba insonabant, restituit.

Dionysio  
morti pro-  
ximo as-

§. 15. Jam vero Dionysius ætate gravis, et imbecilla valetudine affectus, in lethalem morbum incidit: tum vero vel maxime enituit con-

jugalis Elisabethæ assiduitas, diligentia. Præstitit enim se non uxorem, sed ancillam, adeo in rebus omnibus demisse diligenterque ministrabat, non minus operi intenta, quam orationi, cui quod ab infirmi Mariti cura supererat temporis, die ac nocte vacabat, magis de illius animæ, quam de corporis salute sollicita. Dionysius autem annum agens sexagesimum quartum, omnibus rite peractis, quæ vel Christianum hominem, vel prudentem Regem decebant, ex hac mortali vita excessit, cum annos sex, et quadraginta regnasset.

§. 16. Mariti morte sui juris facta Elisabeth totam se Deo tradidit, et secuta est exemplum fortissimæ mulieris Judith, quæ post obitum Viri, in superioribus Domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ: Ita Beata Elisabeth statim ac Vir decessit, in cubiculum se recipit, cum una e carioribus ancillis, ibique ab eâ suscepit eximio animi sensu pauperem vestem Religiosarum Virginum propriam, tum rudi funiculo præcineta, candido linteo caput velavit; domesticas autem opes, vel in sacros usus convertit, vel egentibus dispensavit: Ædes insuper aliquas, secus Sacrarum Virginum domum, quam prope Conimbricam Beatæ Claræ nomine ædificandam summo studio curaverat, sibi poni voluit, ubi ex illarum Virginum cœtu quinque apud se integritate conspicuas habebat assidue, cum quibus Religiosam extra Claustra degebat vitam. Siquidem de multa nocte vigilans, cum Virginibus piorum studiorum sociis, matutinis precibus recitandis vacabat; diluculo Sacrum fieri jubebat in suo cubiculo; inde in publico Sacello cum omni familia intereat alteri Sacrificio, quod cum lugubri cantu fiebat pro demortuo Rege, ac Marito; tertium denique Sacrum ejus dici proprium coram se supplice volebat celebrari. Divini officii reliquas horas postea peragebat, tum ad juvandos alios, vel

ANNO  
1742.

sidue ad  
extremum us-  
que Spiritum inser-  
vit, ac ultima Cari-  
tatis et obsequii munia persolvit.

Post Viri obitum, pauperem vestem induit, ac totam se Deo tradit



PONT. re, vel verbis incumbibat, inde ad sese colligendam, vel contemplationi, vel sacri cujuspiam libri lectioni se dabat; ad seram postremo noctem Divinas res mente pertractabat, cum incredibili sensu voluptatis, et dulcium copia lacrymarum, ut integros dies non terræ, sed Cœlo vivere videretur.

Misericordiam, liberalitatem cæterasque virtutes mirifice excolit.

§. 17. Præterea cæteras omnes virtutes, quas in Viduis exigit Beatus Apostolus Paulus scribens ad Timotheum in se diligenter, atque eximie expressit, pietatis scilicet officium, hospitalitatis studium, humilitatis obsequium, misericordiæ ministerium, liberalitatis subsidium, omnisque boni operis executionem. Nam in ædiculis prope memoratam Virginum domum extractis, quindecim egentes viros, ac totidem fœminas ali perpetuo certis sumptibus jussit, Sacerdotemque proximum cum Sacello, et Cœmeterio constituit, qui Sacrum iis præsentibus quotidie faceret, et solemnibus statutarum horarum precationibus præset. Misericordia autem, et liberalitas maxime in Beata Vidua excelluit, cum ingens annonæ caritas, ac fames Conimbricam Urbem vexaret; tanta enim fuit largitate in omne hominum genus sublevando, adeoque liberalem se cunctis præbuit, ut ab opum administratoribus admonita fuerit, ne ob alienorum opitulationem, ac sustentationem nimis assiduam, sibi postmodum, suisque desse cogeretur; Sed illa Deo freta, non minus ac Sareptana Vidua, quæ, ut Prophetæ Domini subveniret, omne vitæ suæ subsidium ultro ei deferens, nihil sibi reliquit, angustos aliorum animos reprehendit.

Sexagesimo quarto ætatis anno ad B. Jacobi Apostoli Templum invisendum, pe-

§. 18. Quæ vero ad pietatem erga Deum, curam erga suos, humilitatem, mansuetudinem, abstinentiam pertinent, longum, ac difficile esset omnia referre. Absoluto Beatæ Claræ Cœnobio, in quo perficiendo plurimum pecuniæ, atque operæ impenderat, quo die primum in nova cœnatione Moniales discubuerunt, ministravit eis cum sua Nuru, raro Christianæ de-

missionis , et Caritatis exemplo. Quartum et sexagesimum ætatis annum ageus, Jacobi Apostoli Templum iterum adire decrevit; tantum suscepit itineris Fœmina id ætatis, et Regina, paucis comitata, mutato vestitu ignobilis, imo, quod prorsus mirabile est, sua sarcina gravis, per Vicos, et domos mendicans, pedibus ivit, et reversa est; intuens certe in præclarum illud impigræ devotionis exemplar, Beatam videlicet Mariam Virginem, quæ per omnes annos in die solemnæ Paschæ cum Joseph Hierusalem petebat. Pervenit ad illius aures, Alphonsum Nepotem suum Castellæ Regem alterius ab uxore fœminæ consuetudine teneri: ad eum nulla interposita mora proficiscitur, tantumque præsentia sua, ac verbis effecit, ut ab eo fidem acciperet, honestius in pœsterum vivendi. Inter ipsum Alphonsum Nepotem, et Alphonsum Filium gravi enato dissidio, ad sedandas exortas discordias, pacifici, et Cœlestis Regis disciplina, in Oppidum Eborense Stremotium appellatum, ubi tunc Filius versabatur cum Coniuge, se contulit; sed partim ætatis imbecillitate, partim itineris defatigatione in morbum incidit, qui supremus illi fuit. Cum autem jam se morti proximum intelligeret, Divinis mysteriis, ac supremis Ecclesiæ Sacramentis ad ultimum illud certamen sese sanctissime muniit; ut piæ vitæ religiosa mors optime responderet. Postquam autem cum Alphonso necessariis de rebus Regni colloquuta aliquantulum est, a Filio, quem relinquebat, ad Cœlestem conversa, Parentem, quam adibat, et quæ paulo ante se videndam ei præbuerat, sacris illis Ecclesiæ vocibus Beatam Virginem compellavit: *Maria Mater gratiæ, Mater Misericordiæ, Tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe*: deinde fidem ex Apostolorum symbelo professam, Dominicam orationem, aliasque recitavit voce paulatim, ac sensu deficiente, donec die quarta Julii anno a Christo nato millesimo trecentesimo tricesimo sexto, ab ipsius Beatæ

ANNO

1742.

dibus, et mendicatus pergit.

Alphonsum Castellæ Regem a prava fœminæ consuetudine revocat.

In suprema ægritudine, Ecclesiæ Sacramentis rite munita, ac Deiparæ Virginis præsentia recreata, sanctissime obiit.

PONT. Elisabethæ ortu sexagesimo quinto, sanctissimam animam Auctori suo reddidit.

Pluribus §. 19. Divulgato autem obitus nuncio, maximus cujusvis generis hominum concursus ad eam post mortem patris miraculis, fama ejus Sanctitatis percrescit.

Corpus corruptione expers servatur.

Itaque ejusdem Defunctæ patrocinium bono suo imploravere complures, singularibus a Deo beneficiis per ejus intercessionem obtentis. Nam Clementissimus Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, Beatam Elisabetham non solum in humanis agentem Divinis illustravit miraculis, sed etiam ad æternæ felicitatis Regna translata admirabilibus rerum eventibus nobilitavit in terris. Ex quibus nos ea solum, quæ in causæ Canonizationis examine rite discussa, et perpensa, tanquam ejus Sanctitatis cœlestia indicia, et argumenta, cunctorum suffragiis approbata fuerunt, hoc loco referemus. Ac primo quidem ejus corpus a corruptione liberum, integrumque a Deo servatum est. Quoniam delatum ex Oppido Stremotio, ubi ultimum diem obiverat, Conimbricam, per longissimum iter septem dierum æstivo tempore non modo fœtoris nihil afflavit, sed potius tam suaves circumfusæ multitudini inspiravit odores, ut in eo loculo, pro putrescente cadavere, omnia aromatum genera conclusa viderentur. Sed quod longe mirabilius est, cum anno Domini millesimo sexcentesimo duodecimo Beatæ Reginæ sepulcrum apertum, et sacrum ejusdem corpus recognitum fuit, inventum est integrum, atque incorruptum, cum carne, capillis, auribus, oculis minime tabefactis, et quæ tacta non frangebantur, aut liquescebant. Manabat autem ex toto corpore suavis admodum, ac jucundus odor, et Divinum incorruptibilitatis beneficium cum vestibus ipsis circumjectis, et pluribus linteis superimpositis quodammodo communicaverat,



quæ solida, et integra post adeo diuturnum tempus permanebant.

ANNO  
1742.

§. 20. Pars quædam ædium in Monasterio Sanctæ Claræ recens fabricata erat, eique imponerentur ligna tecti, dabatque operam in ligna clavis configenda Dominicus Machadus Faber lignarius, cum inopinato aliquot ex iis lignis refixa dilabuntur in terram, secumque Fabrum illum præcipitem trahunt. Tum illæ Beatæ Elisabethæ opem implorat. Extemplo ipse una cum lignis occulta quadam vi sursum relatus, et in eundem locum, e quo ceciderat, restitutus fuit, et ligna etiam suis reddita sedibus, et coaptata.

Dominicus Machadus Faber lignarius ex alto delapsus, ejus ope implorata, permanet illæsus.

§. 21. Anna Azpilcueta Virgo Sacra in Cœnobio Beatæ Mariæ prope Conimbricam, in Vico, cui nomen Cellis, diu capta cruribus, et resolutis nervis ita tenebatur, ut per se incedere nullo modo posset, nulloque a Medicis remedio sanari. Proximus erat solemnitas Beatæ Elisabethæ dies; nocte vero, quæ antecedebat, Annæ Magistra, expositis pluribus beneficiis illius imploratione susceptis, hortatur eam, ut ab ipsa præsens auxilium petat. Moram gessit illa diligenter, et in arctissimum somnum soluta est. Ecce autem per quietem audiri sibi videtur imperantem, ut surgat, valetudine jam Elisabethæ ope restituta. Excitata Virgo exilit e lecto, vestes induit, in odeum, vulgo chorum, venit, ubi cæteræ matutinas preces canebant. Mirantur omnes, et præ animi gaudio, et pietate lacrymantes, agunt gratias omnium bonorum Auctori, qui mirabilis est in Sanctis suis.

Annæ Azpilcuetae crurium usus, quem amiserat, restituitur.

§. 22. In Oppido Sarnacensi Maria Antonia Michaelis Aloysii uxor jam quinquagenaria, et quæ jam pridem ex quodam morbo in sinistro ubere lacte carebat, Nepotem ex paupere filia parvulum susceperat enutriendum, et cujusdam Equitis Filium lactabat. Nepotem cibis dulcibus, lacte sibi deficiente, enutrire tentavit, eos tamen ille respuit. Inops igitur consilii, venit una cum eo Conimbricam ad Beatæ Claræ Cœ-

Nutrici fœminæ, quæ siccis uberibus duos infantes enutrire nequibat, largiter lac reddi-

PONT. nobium, et Monialium hortatu sumit vinum cum  
 A. II. croco quod Beata Elisabeth ad hujusmodi mali  
 remedium præscripserat; supplex deinde ad ejus  
 sepulcrum accedit oratque summis precibus,  
 ut lac sibi a Deo impetret. Exaudita est pre-  
 catio, lac statim sensit uberius affusum, ut a-  
 bunde potuerit in posterum donatum Cœlitus  
 alimentum utrique infanti sufficere.

Agnes de  
 Almeida  
 anginæ  
 morbo  
 cruciata  
 liberatur,  
 restituto  
 etiam ejus  
 uberibus  
 lacte.

§. 23. Argens de Almeida Johannis de Guerres  
 Medici uxor, septima post filii partum hebdo-  
 mada in anginæ morbum incidit, quo vehe-  
 menter cruciata, et cibum sumere, et verba  
 proferre impediabatur. Lac etiam defecerat ad  
 natum puerum nutriendum. Vir, omni ar-  
 tis suæ opera frustra adhibita, desperans de  
 salute conjugis, Berensem in agrum se contulit  
 ad accersendam filio nutricem. Ibi dum nocte  
 curis anxius commoratur, subit animum Sanc-  
 titas Beatæ Elisabethæ, illi suam enixe, reli-  
 gioseque commendat uxorem; summo mane re-  
 versus domum uxorem reperit sanam. Quærit  
 ex illa, qua hora se morbo liberam senserit,  
 comperitque ab omni ægritudine liberatam eo-  
 dem temporis momento, quo ipse procul domo  
 Beatam Reginam oraverat. Subinde Templum  
 adit, ubi Reginæ corpus asservabatur, interest  
 Sacro, iterumque suppliciter ab eadem exposcit  
 uxori lac, quo natus infans nutriri possit; do-  
 mum regressus, hoc etiam se beneficio cumu-  
 latum agnovit.

Constan-  
 tia Anja,  
 labiis,  
 gingivis-  
 que ab ul-  
 cere cor-  
 rosis, ore  
 Sacris E-  
 lisabethæ  
 exuviis ap-  
 plicato,  
 sanatur.

§. 24. Constantiæ Anjæ Civi Eborensi, in  
 Cœnobio Beatæ Claræ, pestiferum quoddam  
 ulcus labia gingivasque cum maximo cruciatu  
 corrodebat, sensimque serpebat latius; præ-  
 doloris impetu vociferabatur assidue, cætera-  
 rumque Virginum tranquillitatem, religiosam-  
 que quietem imperturbabat, nullaque Medico-  
 rum arte ea pestis depelli poterat. Allato Beatæ  
 Reginæ corpore ab Oppido Stremotio Conim-  
 bricam in Beatæ Claræ Cœnobium, statim Con-  
 stantia magna cum pietate, ac fide accessit ad  
 pheretrum, ubi corpus adhuc insepultum ja-

cebat; et ita loculum osculata est, ut oris partem lue infectam applicaret. Recedit deinde cum cæteris; ubi vero sacrum B. Elisabethæ corpus ad sepulchrum deferri cœpit, se cruciatu liberatam sentiens, advocat Socias, iis os inspicendum præbet, et nulla amplius pestis illius indicia apparebant. Quo mirabilis rei eventu omnes attonitæ, admirantur Dei potentiam, et Beatæ, Reginæ sanctitatem laudibus efferunt, quam tam insigni miraculo Deus omnibus testatam, atque exploratam esse volebat.

§. 25. Cum igitur fama Sanctitatis Beatæ Reginæ, ob frequentiam miraculorum, quæ ipsius apud Deum meritis edebantur, magis, ac magis increbesceret, atque in ejus venerationem Christianorum hominum animi vehementius incitarentur, fel. rec. Leo Papa X. Prædecessor noster anno millesimo quingentesimo decimo sexto, instante cl. mem. Emanuele Lusitanæ Rege, per Literas Apostolicas in forma Brevis concessit, ut in Ecclesiis, et Monasteriis Civitatis, et Diœcesis Conimbricensis de præfata Dei Famula semel in anno commemorationem, vel officium recitari, et in eorundem locorum Ecclesiis, et domibus, juxta piorum Fidelium devotionem ejusdem imaginem depingi, ac illam inter alias Sanctorum imagines teneri, et ut Beatam coli, et reputari liceret, possentque Christifideles ad illam preces effundere, et ab ea petere, ut pro ipsis apud Altissimum intercederet; et subinde fel. pariter rec. Paulus Papa IV. similiter Prædecessor noster, instante clar. mem. Sebastiano Lusitanæ Rege, qui ad Regni tranquillitatem, ac salutem, B. Elisabethæ meritis a Deo dicebatur impetratus, concessionem, et indultum hujusmodi ad totum Portugalliæ Regnum extendit, et ampliavit: postea piæ memoriæ Gregorius Papa XIII. similiter Prædecessor noster, Officium, et Missam pro Cathedrali, et Diœcesi Conimbricensi, et nonnullas Indulgentias Confratribus cujusdam Confraternitatis sub ejusdem B. Elisabethæ invocatione erectæ, et omnibus Christifidelibus Eccle-

ANNO  
1742.

Leo X.  
Beatæ Eli-  
sabethæ  
venera-  
tionem in-  
dulget.

Paulus  
IV. ipsius  
cultum  
extendit.

Item Gre-  
gorius  
XIII.



PONT. siam dictæ Confraternitatis die festo ejusdem B.  
 A. II. Elisabethæ visitantibus , de Apostolica aucto-  
 ritate elargitus est.

Causa §. 26. Anno vero millesimo sexcentesimo un-  
 Canoniza- decimo , universo Lusitaniæ Regno pro dictæ  
 tionis sub Beatæ Canonizatione instanter agente, rec. mem.  
 Paulo V. Paulus Papa V. pariter Prædecessor noster co-  
 introduc- gnitionem causæ demandavit tribus Causarum  
 ta. Palatii Apostolici Auditoribus, Francisco nempe  
 Peniæ Decano, Francisco Sacrato, et Alphonso  
 Manzanedo , qui Processus Apostolica auctoritate  
 conficiendos decreverunt, atque ad id munus  
 peragendum Conimbricensem, et Leiriensem  
 Episcopos, et Doctorem a Regis Consiliis Fran-  
 ciscum Vazium eadem auctoritate deputarunt ;  
 utque Episcopi, et Doctor Franciscus præfati  
 diligenter demandato negotio perfuncti fuere ,  
 omnia acta eisdem Auditoribus transmiserunt.  
 Cumque interim , dum processus hujusmodi con-  
 Acta sub ficiebatur, præfatus Paulus Prædecessor, et re-  
 Urbano colendæ etiam memoriæ Gregorius Papa XV.  
 VIII. similiter Prædecessor noster humanitatis debitum  
 persolvissent, et præfatus Urbanus Prædecessor  
 ad Sacrum Apostolatus apicem Divina Providen-  
 tia assumptus fuisset, ac pro parte præfati Lu-  
 sitaniæ Regni instanter requisitus esset, ut ne-  
 gotium hujusmodi promovere, et ad ulteriora  
 procedere dignaretur; accederentque aliorum  
 idem suppliciter exposcentium preces; præfatus  
 Urbanus Prædecessor, ut ea maturitate, quæ  
 rem tantam decebat, negotium transfigeretur,  
 habitam a præfatis Auditoribus de statu causæ  
 relationem, ad S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus  
 Præpositos remisit, qui eam diligentissime in-  
 spicerent, ac de tota causa accurate cognosce-  
 rent. Quod cum illi ita perfecissent, ac pro  
 Beatæ Reginæ Canonizatione omnes unanimiter  
 censuissent, bonæ memoriæ Franciscus Maria  
 Episcopus Ostiensis S. R. E. Cardinalis a Monte  
 nuncupatus totius Processus summam, et suam,  
 Collegarumque sententiam coram dicto Urbano  
 Prædecessore in Consistorio suo secreto expo-

suit; quibus auditis, reliqui Cardinales, qui aderant, ad ulteriora fore procedendum communi suffragio pronunciarunt. Igitur cum in publico Consistorio quondam Johannes Baptista Mellini tunc Aulæ Consistorialis Advocatus pro ejus Canonizatione perorasset, ac nomine prædicti Lusitaniæ Regni, ut ad eam procedere dignaretur, humiliter supplicasset, dictus Urbanus Prædecessor de re tanta Sanctæ Romane Ecclesiæ Cardinales, et Episcopos in Romana Curia præsentibus consulendos esse respondit; atque interim Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos præfatos intimo cordis sui affectu vehementer in Domino hortatus est, ut orationibus instantes, in jejuniis, et eleemosynis animas suas coram Deo secum humiliantes, exposcerent a Deo Patre luminum, ut ex alto super ipsum lucem et veritatem suam emitteret, quæ ipsum ad voluntatem, et beneplacitum ejus cognoscendum, et perficiendum deduceret. Sequenti itaque semipublico Consistorio, vocatis ad illud non modo Cardinalibus, sed Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis in Curia existentibus, præsentibus etiam Sedis Apostolicæ Notariis, ac Palatii Apostolici Causarum Auditoribus, cum plura ab eo de eximia Sanctitate Beatæ Reginæ, ac miraculorum frequentia, et celebritate populorumque erga eam devotione commemorata fuissent, expositis etiam instantiis præfatis, quæ coram ipso fiebant, omnes concorditer, ac uno ore benedicentes Deum amicos suos honorificantem, Beatam Reginam Elisabetham canonizandam esse, atque inter Sanctas Viduas adscribendam censuerunt: Quorum omnium audito consensu, intimo cordis affectu exultavit in Domino et jubilavit in salutari ejus, gratias agens Deo, et Filio ejus Domino nostro Jesu Christo, quod Ecclesiam misericorditer respexisset, ac tanta gloria illustrare decrevisset. Canonizationis inde publicavit diem, eosdem Fratres, et Filios suos monuit, in orationibus, et eleemosynis perseverandum esse, ut in tanto opere

PONT. exequendo splendor Dei esset super ipsum, mentemque suam ad perficiendam ejus voluntatem dirigeret. Demum peractis omnibus, quæ ex Sacris Constitutionibus, ac Romanæ Ecclesiæ consuetudine peragenda erant, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vicesimo sexto, octavo Kalendas Julii, Pontificatus sui anno tertio, in Sacrosancta Principis Apostolorum Basilica cum eisdem Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, Romanæque Curia Prælatibus, Officialibus, et Familiaribus suis, necnon Clero Sæculari, et Regulari, ac maxima Populi frequentia, convenit; ubi repetitis pro Canonizationis decreto petitionibus nomine totius Lusitaniæ Regni a Michaele Suarez Pereyra per Joannem Baptistam Mellini Consistorialis Aulæ suæ Advocatum præfatum, decantatis sacris Precibus, et Litanis, ac Spiritus Sancti gratia humiliter implorata, ad honorem Sanctissimæ, et individua Trinitatis, et Fidei Catholicæ exaltationem, auctoritate Omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac sua, de eorumdem S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Romana Curia præsentium consilio, ac unanimi consensu, gloriosæ memoriæ Reginam Elisabetham, de cujus vitæ Sanctitate, fidei sinceritate, et miraculorum excellentia plene constabat, Sanctam esse definivit, ac in Sanctarum Viduarum Catalogo adscribendam esse decrevit, et adscripsit, illamque ab universis Christifidelibus tanquam vere Sanctam honorari, ac venerari mandavit; statuens ab universali Ecclesia in ejus honorem Ecclesias, et Altaria, in quibus Sacrificia Deo offeruntur, ædificari, et consecrari, et singulis annis die quarta Julii, qua ad Cœlestem gloriam translata fuit, ejus Officium, ut de Sancta Vidua, ad præscriptum Romani Breviarii celebrari posse. Eademque auctoritate, omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, qui singulis annis ad Sepulchrum, in quo corpus

Solemnis  
Canoniza-  
tio die 24.  
Junii 1626



ANNŌ  
1742.

ejus requiescit visitandum accessissent, festo die præfato unum annum, et unam quadragenam, in ejus vero octava quadraginta dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit. Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare dignatus esset, cantata in Sancta Elisabethæ honorem infrascripta a se composita oratione temporum illorum calamitatibus, ac Sanctæ Reginae virtutibus accommodata, videlicet: *Clementissime Deus, qui Beatam Elisabetham Reginam, inter cæteras egregias dotes, bellici furoris sedandi prærogativa decorasti, da Nobis ejus intercessione, post mortalis vitæ, quam suppliciter petimus, pacem, ad æterna gaudia pervenire. Per Dominum nostrum etc.* Ad Altare Principis Apostolorum Missam celebravit cum ejusdem Sanctæ Reginae Viduæ commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessit.

Oratio in  
ejus Offi-  
cio, et  
Missa re-  
citanda.

§. 27. Ne autem de definitione, decreto, adscriptioe, mandato, statuto, relaxatione, aliisque præmissis, pro eo quod super illis per eundem Urbanum, ejusque Successores piæ memoriæ Innocentium Decimum, Alexandrum Septimum, utrumque Clementem, Nonum, et Decimum, Innocentium Undecimum, Alexandrum Octavum, Innocentium Duodecimum, Clementem Undecimum, Innocentium Decimumtertium, Benedictum Decimumtertium, atque Clementem Duodecimum Pontifices Prædecessores Nostros, Litteræ de more conscriptæ, et promulgatæ non fuerunt, unquam possit in posterum quomodolibet hæsitari; Nos, qui iisdem Romanis Pontificibus, disponente Domino, in Cathedra Beati Petri licet immeriti successimus, volumus, et Apostolica auctoritate decernimus, quod definitio, decretum, adscriptio, mandatum, statutum, relaxatio, aliaque præmissa a dicta die octavo Kalendas Julii anni millesimi sexcentesimi

Pontifex  
præsentis  
Litteras  
in forma  
concedit.

PONT. vicesimi sexti suum debitum sortiantur effectum,  
 A. II. acsi super illis ipsius Urbani Prædecessoris Li-  
 teræ sub datum ejusdem diei confectæ fuissent,  
 prout superius enarratur; quodque præsentis  
 Literæ ad probandum plene definitionem, de-  
 cretum, adscriptionem, mandatum, statutum,  
 relaxationem, et alia præmissa ubique sufficiant,  
 nec ad id probationis alterius adminiculum re-

Quartum quiritur. Cæterum, quia difficile foret, præsen-  
 transum- tes nostras Literas ad singula loca, ubi opus  
 ptis fidem esset, deferri; volumus, ut earum exemplis etiam  
 haberi ju- impressis, manu publici Notarii subscriptis, et  
 bet. sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica  
 constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur,  
 quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent  
 exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio. §. 28. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc  
 paginam Nostrorum decreti, et voluntatem in-  
 fringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis  
 autem hoc attentare præsumperit, indignationem  
 Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et  
 Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. die Datum Romæ apud Sanctam Mariam Major-  
 28. Apr. rem, quarto Kal. Maji, anno Incarnationis Do-  
 1742. minicæ millesimo septingentesimo quadragesimo  
 secundo, Pontificatus Nostri Anno II.

Subscri- ✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.  
 ptiones

S. R. E. ✠ Ego T. Episcopus Ostien., et Veliternen.  
 Cardina- Card. Rufus Decanus, et S. R. E. Vice-  
 lium. Cancellarius.

✠ Ego A. Episcopus Sabinensis Card. S. Cle-  
 mentis S. R. E. Camerarius.

✠ Ego L. Episcopus Portuensis Card. Picus.

✠ Ego Petrus Episcopus Tusculanus Card. Cor-  
 radinus.

✠ Ego V. Episcopus Prænestinus Card. Petra  
 Major Pœnitentiarius.





PONT.  
A. II.



*Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passioneus.*

✠ *Ego S. Tit. S. Priscæ Presbyter Card. Valenti.*

✠ *Ego P. Tit. SS. Nerei, et Achilei Presbyter Card. de Tencin.*

✠ *Ego Alexander S. Agatæ Diaconus Card. Albanus.*

✠ *Ego N. S. Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Judice.*

✠ *Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.*

✠ *Ego A. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Mosca.*

✠ *Ego J. B. S. Cæsarei Diaconus Card. Spinola.*

✠ *Ego C. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. Rezzonicus.*

✠ *Ego P. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.*

✠ *Ego C. S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.*

*P. Card. Pro-Datarius.*

*D. Card. Passioneus.*

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Publicat. die 18 Aprilis ejusdem Anni.*

INDULTUM

LII.

Celebrandi Missas super Triremibus Pontificiis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**E**XPONI Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Summa-  
Marius Bolognetti, Noster et Apostolicæ Sedis rium ra-  
Notarius Protonotarius nuncupatus de numero tionum,  
participantium, Cameræ nostræ Apostolicæ The- et precum  
saurarius Generalis, ac Classis, et Triremium  
Nostrarum Commissarius Generalis, quod ipse  
considerans, tam Officiales, et Milites, quam  
Nautas, et Turmam, qui super Classe Trire-  
mium Nostrarum reperiuntur, tempore Expedi-  
tionum, in littore Maris, aliisque partibus,  
tum Catholicis, tum communi Christiani No-  
minis hosti subjectis interdum longo tempore,  
et multoties in solemnioribus anni festis diebus,  
prout etiam quando in Oris maritimis Catho-  
licorum Principum, et in illorum portibus exi-

PONT. stunt, tum propter anni tempestates sibi adver-  
 A. II. sas, quæ minime permittunt Tentorium in Terra  
 figere, et obtendere, sub quo Sacrosanctum  
 Missæ Sacrificium celebrari possit, tum propter  
 distantiam terræ firmæ, Sacrosanctum Missæ  
 Sacrificium hujusmodi audire non posse; ut in-  
 commodis, et inconvenientibus hujusmodi, nè pie-  
 tas, et devotio personarum supradictarum mi-  
 nuatur, occurri possit, idem Missæ Sacrificium  
 in Triremibus præfatis celebrari posse plurimum  
 desiderat. Nobis propterea dictus Magister Ma-  
 rius Thesaurarius Generalis humiliter supplicari  
 fecit, ut in præmissis opportune providere de be-  
 nignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex  
 indulget,  
 ut Missæ  
 celebrari  
 valeant  
 super Tri-  
 remibus.

§. 1. Nos igitur piis ejusdem Magistri Marii  
 Thesaurarii Generalis votis hac in re, quantum  
 cum Domino possumus, favorabiliter annuere,  
 eumque specialibus favoribus, et gratis prose-  
 qui volentes, et a quibusvis Excommunicatio-  
 nis, Suspensionis, et Interdicti, aliisque Eccle-  
 siasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure,  
 vel ab homine quavis occasione, vel causa la-  
 tis, si quibus quomodolibet innodatus existit,  
 ad effectum præsentium tantum consequen-  
 dum, harum serie absolventes et absolutum fore  
 censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati,  
 eidem Magistro Mario, ac pro tempore exis-  
 tenti Cameræ Nostræ Apostolicæ Thesaurario  
 Generali, petitam facultatem celebrari faciendi  
 Sacrosanctum Missæ Sacrificium hujusmodi qua-  
 libet die in Triremibus nostris præfatis, tum  
 tempore, quo Triemes hujusmodi anchoratæ  
 sunt, in quibusvis oris, littoribus, et portu-  
 bus habitatis, et non habitatis, et dummodo  
 celebratio Missæ hujusmodi tempore navigatio-  
 nis facienda, dum Mare tranquillum, et Cœ-  
 lum serenum reperiatur, et cum assistentia al-  
 terius Presbyteri, seu Diaconi, fiat, ita ut pe-  
 riculum effusionis sanguinis in dicta celebratione  
 minime adsit, auctoritate Apostolica tenore  
 præsentium concedimus, et indulgemus. Non  
 obstantibus Constitutionibus, et Ordinationi-

Cum præ-  
 scriptis  
 conditio-  
 nibus.



bus Apostolicis, cæterisque contrariis quibus-  
 unque. Datum Romæ apud S. Mariam Majo-  
 rem sub Annulo Piscatoris die xxviii. Aprilis  
 MDCCXLII. Pontificatus Nostri anno II.

ANNO  
 1742.  
 Dat. die  
 28. Apr.  
 1742.

*D. Cardinalis Passioneus.*

PRO INSTITUTIONE

LIII.

Apostolicæ Missionis in Regno Batgao in  
 magno Thibet.

*Illustri, ac Potentissimo Regi Batgao*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Illustris, et Potentissime Rex, salutem, et  
 Lumen Divinæ gratiæ.*

**A** Dilecto Filio Vito Recinetensi Ordinis S.  
 Francisci Capuccinorum faustus nuntius ad Nos  
 pervenit, optare Celsitudinem Tuam, ut aliquot  
 ex ea Religiosa Familia isthuc ire, et in Regno  
 tuo commorari jubeamus, qui populos imperio  
 tuo subjectos Christianam fidem edocent, di-  
 rigantque in viam salutis æternæ, quæ una a  
 sapiente viro quærenda est, et haberi in de-  
 siderio debet. Hinc enimvero cognovimus, Cel-  
 situdinem Tuam prudentissimi ingenii vi pol-  
 lere, consiliique sagacitate. Cum enim Civium  
 tuorum felicitas expetenda Tibi sit, maxime-  
 que curandum, ut eos tuæ penitus voluntati  
 obnoxios habeas, promptaque obedientia mori-  
 geros, aliam nullam in toto Orbe Terrarum  
 Religionem invenies, quæ Regibus eorumque  
 Magistratibus majori severitate parere jubeat,  
 quæque implacabile magis bellum indicat vitiis  
 omnibus, unde humana Societas, velut pesti-  
 fero veneno imbuta, quam maxime labefacta-

Deside-  
 rium Re-  
 gis habeo-  
 di Missio-  
 narios.

Quod a  
 Pontifice  
 commen-  
 datur,  
 exposita  
 Christia-  
 næ Disci-  
 plinæ præ-  
 stantia.

PONT. tur. Huc siquidem spectant tradita Nobis a Supremo Cœli Terræque Domino Nostræ Sanctissimæ Religionis auctore, agendæ vitæ præcepta, servata utique diligenter.

Missionis institutio conceditur. Itaque pro Nostra in universum genus hominum caritate, pro tuaque in Missionarios Nostros benevolentia, libenter mandavimus, ut aliquot ex eodem Capuccinorum cœtu statim ad Vos iter arripiant, ferantque in vestras Orientis partes Divinæ scientiæ lumen, ac sternant Tuæ Genti facilem munitamque viam ad Cœlestem Patriam, et ad gaudium sempiternum. Utinam vero ipse, qui Regio assensu permittis Missionariis Nostris, una commotis caritate, in id suo labore, sua pecunia, tantoque per Maris Terræque immensa spatia vitæ suæ discrimine, sedulam navare operam, exemplo præire velis subditæ Tibi Gentis docilitatem.

Et Regis Patriocinio commendatur. Nihil profecto Nobis jucundius, Tibi salubrius evenire posset. In hujusmodi spem Nos adducit data tuis literis fides, eosdem Missionarios Regiæ auctoritatis præsidio fultum iri, et liberum fore, per tuum Regnum Christianam doctrinam palam prædicare, eamque amplecti nullo impedimento. Qua de re amplissimas Celsitudini Tuæ agimus gratias, Deumque idcirco bonorum omnium Auctorem assiduo studio sollicite obsecrabimus, ut Tibi suo Numine propitius adsit, Teque omni cumulet prosperitate.

Dat. die 1. Maji 1742. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Maji anni MDCCXLII., Pontificatus Nostri Anno secundo.

*D. Cardinalis Passioneus.*



ANNO

1742.

## PRO MISSIONIS

LIV.

Apostolicæ Fundatione in Regno Bittià in  
magno Thibet.

*Illustri, ac Potentissimo Regi Bittià*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Illustris, et Potentissime Rex, salutem et Lumen  
Divinæ gratiæ.*

**L**ITERÆ Celsitudinis Tuæ, quas Dilectus Filius Missionis  
Vitus Recinetensis e Sacro Franciscanorum Ca- institutio  
puccinorum Ordine repræsentandas Nobis cu- a Rege per  
ravavit, mirifice exhilararunt animum nostrum, Literas  
eumque Tibi summopere obstrinxerunt. Dum expetita.  
enim postulas crudiri in Christiana Doctrina  
populos imperio tuo subjectos, atque idcirco  
apud Vos sub Regia protectione diversari Mis-  
sionarios Capuccinos, ingenti Nos lætitia affe-  
cisti; quippe quibus, pro commissa humilitati  
nostræ Suprema Ecclesiæ potestate, quam ma-  
xime cordi est, universum hominum genus æter-  
nam consequi felicitatem; nec aliter fieri pos-  
sit, quam si Evangelica veritate imbuatur. Qua  
de re maximas Celsitudini Tuæ gratias agimus,  
precamurque Deum Optimum Maximum, ut  
apertus abs Te ad Cives tuos ejusdem perci-  
piendæ veritatis aditus amplissimam Tibi tuo-  
que Regno felicitatem afferat, eumque in pri-  
mis, ut veritas ipsa pateat oculis sagacissimi  
animi tui. Nam intelliges, id unum sternere Christia-  
Tibi posse viam ad æternam salutem, et nihil næ Legis  
ad retinendos in imperio suaviter populos, et præstan-  
ad vitiorum illecebras expellendas magis con- tia.  
ducere, ac Sacrosanctam Religionem Nostram



PONT. cujus inter præcipua præcepta illud est, ut  
 A. II. Regibus, et Magistratibus eximio studio obe-  
 diri debeat, et prorsus pura mente, atque in-  
 violatis naturæ legibus vivendum sit, unde pax  
 publica, quies et honestum otium exsurgit.

Conce- Quod ut per tuam Ditionem feliciter eveniat,  
 ditur Mis- jussimus, isthic, ut rogas, degere aliquos Ca-  
 sionisfun- puccinos Missionarios, ac Te auctore, tuoque  
 datio ea- Regio præsidio, in opus istud gravissimum o-  
 que Regi mnes curas cogitationesque intendere. Nec du-  
 commen- bitamus quin Celsitudo Tua ope, ac patrocínio  
 datur. foveat ipsorum labores, qui nullo rerum hu-  
 manarum præmio, sed una ardentissima erga  
 Vos charitate, immensa propemodum terræ  
 marisque spatia emensi isthuc Evangelii Lucem  
 diffundere susceperunt. Hæc autem ut et Celsi-  
 tudini Tuæ fulgeat, et omni cumuleris pro-  
 speritate, vehementer cupimus atque ominamur.

Dat. die Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem  
 1. Maji sub Annulo Piscatoris, die prima Maji 1742.  
 1742. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

*J. Vincentius Lucchesinius.*

~~~~~

DECLARATUR

DECLARATUR

LV.

Quæ fuerit mens Pontificis in Constitutionibus
super Jejunio editis.

*Venerabili Fratri Andreae Archiepiscopo
Valentiae*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis frater, salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

COGNOVIMUS in Fraternalitatis Tuæ literis inve-
reratum Hispaniæ pietatis morem, cui semper
solemne, et proprium fuit, explicandum pro-
ponere Apostolicæ Sedi, quicquid obscuritatis
ejus decreta habere videantur. Laudavimus au-
tem Pastoralem sollicitudinem, qua sedare vo-
luisti obortam inter aliquos tuæ Diocesis di-
putationem de sensu literarum Nostrarum,
quibus quo pacto Ecclesiastici jejunii lex ob-
servanda, aut solvenda sit, constituimus. Re-
spondemus igitur postulato tuo, Nos in iisdem
literis definiendum non suscepisse, an qui Ec-
clesiastica auctoritate ab jejunio excusantur,
non solum vetitis cibis uti, sed jussæ pariter
vespertinæ abstinentiæ fines egredi queant. Præ-
cipimus autem Episcopis, eorumque Delegatis,
ut nemini vescendi carnibus aliisque Cibis ve-
titis veniam tribuant, nisi sub gravi, imperata
simul unicæ comestionis norma. Ita universale
stud præceptum pro tua spectatissima vigilantia
Gregi tuo indicendum jubeto. Interea Frater-
nitati Tuæ, haud ignari, qua ipse excellas
religione, virtute, atque in Nos Romanamque
Sedem eximia observantia, Apostolicam Bene-

Recursus
Archie-
piscopi ad
summum
Pontifi-
cem.

Qui quæ-
stionem
in abstra-
cto defi-
nere non
intendit.

Sed præ-
scribere
legem con-
cedendæ
dispensa-
tionis.

PONT. dictionem peramanter impertimur. Datum Roma
 A. II. apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo
 Dat. die Piscatoris die XII. Maji MDCCLXII. Pontificatu
 12. Maji Nostri Anno Secundo.
 1742.

J. Vincentius Lucchesinius.

LVI.

SPICARUM COLLECTIO,

Post absolutam Messem, Pauperibus permittenda

*Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et
 Episcopis Ditionis Ecclesiasticæ*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam
 Benedictionem.*

AUPE-
 rum quæ-
 relæ ad
 Pontifi-
 cem præ-
 sentem
 delatæ.

ACERBI plenè doloris argumentum paterno cordi nostro præbuerunt clamores Pauperum, quos mense Junio superioris anni moleste accepimus cum ad Arcem nostram Gandulphi secedentes quæsita ad valetudinem saluberrimi aeris amoenitate, ad proxima eidem Arci loca divertere-mus. Multorum siquidem vocibus, ac lacrymis proposita Nobis est querela contra Agrorum Dominos, qui oculos suos in terram declinantes pio, et antiquo immutato more Pauperes Messe jam absoluta, Spicas colligere non patiuntur: sed illas, vel Agrorum Conductoribus aucto censu colligendas, vel gregibus animalium vorandas relinquunt, in proprium traducentes compendium pie sancteque instituta misericordiæ præsidia. Hujusmodi querelas nostris quotidie obstrepentes auribus confirmarunt supplices Egenorum libelli, eum in finem Nobis exhibiti, ut antiqua colligendarum Spicarum li-

bertas, non sine injuria sublata, auctoritate ANNO
nostra in commune solatium restitueretur. 1742.

§. 1. Verum etsi hujusmodi licentia, ultra do- Eædem
minii jura fortasse provectora, plurimum Nos aliorum
commoveret, nulloque pacto ferendam esse in relationi-
telligeremus, apertis Sacrarum Literarum tes- bus con-
timoniis; Nihilominus magni momenti negotium firmantur
in aliud tempus duximus rejiciendum, ut in eo
absolvendo Sacræ Scripturæ Interpretes, qui
tunc Nobis deerant, facem præferrent, totaque
lege, ut ajunt, perspecta consultius aliquid de-
liberare possemus. Id vero longe fuit oppor-
tunum, tum quia tantum Nobis otii, ac quietis
in summa temporum difficultate postea datum
est, quantum ad rem sedulo investigandam
necesse fuit: Tum quia interea perspeximus,
hujusmodi abusum irrepsisse in alia Ecclesia-
sticæ Ditionis loca magno detrimento Pauperum,
qui causam suam prece, et lacrymis apud Nos
tententur.

§. 2. Tacti igitur intimo charitatis sensu, eo Sacræ
alacriores calamo manus nunc admovemus, quo Scripturæ
salarius, et luculentius constat Agrorum Dominos loci pro
ad exercendam hanc in Pauperes liberalitatem pauperi-
Dei ipsius oraculo edoceri. Probe enim nostis, bus.
Venerabiles Fratres, scriptum *Levitici cap. 19.:*
Cum messueris segetes Terræ tuæ, non tonde-
bis usque ad solum superficiem Terræ, nec re-
manentes Spicas colliges: Neque in Vineâ tua
racemos, et grana decidentia congregabis, sed
Pauperibus, et Peregrinis carpenda dimittes;
Ego Dominus Deus vester. Et rursus Deute-
ronomii cap. 24: Quando messueris segetem in
Agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non
reverteris, ut tollas illum, sed Advenam, et Pu-
erillum, et Viduam auferre patieris, ut benedi-
cat Tibi Dominus Deus tuus in omni opere ma-
nuum tuarum. Si fruges collegeris olivarum, quid-
quid remanserit in arboribus, non reverteris ut
colligas, sed relinques Advencæ, Pupillo, ac
Fiduæ. Si vindemiaveris Vineam tuam, non

PONT. colliges remanentes racemos, sed cedent in usus
 A. II. Advenæ, Pupilli, ac Viduæ.

Exem-
 plum ex
 Libro
 Ruth.

§. 3. Illud etiam accedit, quod in libro *Ruth* cap. 2. legimus, Eam Socruī suæ Noëmi dixisse: *Vadam in Agrum et colligam Spicas, quæ fuerint manus metentium, ubicumque clementis in me Patrisfamilias reperero gratiam; Et paulo post in Agrum Booz ingressam, Spicas collegisse, ut sacræ testantur Literæ: Abiit itaque et colligebat Spicas, post terga metentium: Cum vero percunctanti Booz, quænam illa esset Mulier, Moabitidem esse responderetur; nec deessent qui testarentur, illam a primo mane ad eam usque horam spicas collegisse: Audi (inquit) Filia, ne vadas in alterum Agrum ad colligendum, nec recede ab hoc loco; sed jungere Puellis meis, et ubi messuerint, sequere: Mandavi enim Pueris meis, ut nemo molestus sit tibi: Præterea tantum pii Viri animus a contumeliis abfuit, ut eam non colligere tantum relictas, sed et integras spicas mettere passus sit, jubens ea de causa Messoribus: Etiam si vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam: Quare cum sese domum Ruth recepisset, tantamque frumenti copiam Socruī suæ ostendisset acceptam; illa memori ac grato animo, collectas fruges Datori censuit referendas, inquiring: Sit benedictus qui misertus est tui.*

Interpre-
 tum et
 Docto-
 rum opi-
 niones va-
 riæ.

§. 4. Longa Nobis oratione uti necesse esset, si Sacrorum Interpretum, si Juris quoque Consultorum sententias ea de re afferre vellemus; ipsis diu, multumque perquirentibus, an veteri lege cessante, permittendarum Spicarum præceptum obsoleverit: An charitatis officiosæ monitum, vel potius justitiæ exigentis imperium fuerit. Si enim ex præcepto Divinæ Legis profunderet hæc pietas in Pauperes exercenda: quæsito veluti ex præcepto jure Mulier in Agro Booz decedentes Spicas sibi vindicasset, nec ad eas obtinendas caute inita fuissent prudentiæ, et artis ingeniosa consilia.

§. 5. His consulto omissis, in id potissimum colligant nostræ Apostolicæ sollicitudinis partes, ut Agrorum Domini tanto commoti exemplo, nostrisque vocibus incensi, Pauperes exigua hac ope fraudari non patiantur. Meminerint, non humano labore, sed singulari Dei beneficio, qui lat escam in tempore, uberes terræ fructus comparari, et copioso veluti fœnore augeri quidquid in Pauperes pie erogatur. Quod quidem, cum sæpe in Sacris Paginis cautum sit, tum maxime pollicetur Deus in Deuteronomio Spicas Pauperibus ultro largientibus, in iis verbis: *Ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.*

§. 6. Injuncto tamen Apostolico muneri deesse videremur, nisi nostra etiam studia, et officia ad Vos converteremus, Venerabiles Fratres, quibus solemne semper fuit, causam Pauperum, quæ Causa Dei est, omni ope, et conatu tueri. Ideoque majori quo possumus paternæ charitatis sensu hortamur, et obtestamur, ut in vestram veluti clientelam suscipientes Pauperes, dignum pietate vestra zelum exhibeatis. Vestris primum vocibus, et exhortationibus, ac mandatis etiam in singulis Diœcesum vestrarum Parochiis inter Missarum solemnia evulgandis, commendetur Egenorum causa, agnoscatque Populus, quam turpe, ac Christiano nomini indecorum sit, messe jam absoluta, Pauperes ab Agri finibus amoveri. Potissimum vero intelligant Agrorum Domini, colligendarum Spicarum morem immaturo consilio sublatum fuisse in iis locis, in quibus diuturno usu jam invaluerat, ibique restitui omnino oportere: Ubi vero pia hæc consuetudo recepta adhuc non sit, pro viribus indicatur, in solatium Egenorum, qui gravi saltem, si non extrema laborant inopia, quique in difficilium temporum angustiis magis, magisque conficiuntur.

§. 7. Demum Curatores Animarum in Populi aures, animosque ingerant, certa non satis ratione constare, an quod veteri lege cautum est,

ANNO
1742.
Pontifex
hortatur
agrorum
Dominos
ad misericordiam
in pauperes.

Et horum
causam
commendat
Episcopis.

Item reliquis
animarum
Pastoribus.

PONT. nova abrogatum sit : et an Pauperes quæsito
 A. II. ex præcepto jure, vel impetrato a misericordia
 beneficio, colligendarum Spicarum libertate
 fruantur. Plura de hoc argumento subjicere non
 sinit evidens æquitas Causæ : Sed afflictis Pau-
 perum rebus solatium a perspecto zelo, et pie-
 tate vestra polliciti, Apostolicam Vobis bene-
 dictionem ex animo impertimur. Datum Romæ,
 Dat. die 22. Maji 1742. apud Sanctam Mariam Majorem die xxii. Maji
 MDCCLXII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LVII. DE DOGMATIBUS ET RITIBUS

Ab Italo-Græcis tenendis, atque servandis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmi-
um.

ET SI Pastoralis Romani Pontificis vigilantia ad omnes Christifideles longissimis etiam Locorum intervallis distantes, ac vitæ, rituum, et linguarum genere inter se maxime differentes paterna charitate sese extendat, omnemque curam, ac studium adhibeat, ut ubique Terrarum Catholicæ Fidei integritas, Ecclesiasticæ Disciplinæ nitor, probitasque morum, sarta tecta serventur; majoribus tamen Pontificiæ solitudinis studiis in eos intendit, qui in Ditione Ecclesiastica, et in reliquis Italiæ partibus, ejusque Insulis adjacentibus sive orti, sive aliunde advecti Incolæ commorantur. Cum itaque factum sit, ut grassantibus jamdudum per totum Orientem, tum barbarorum infidelium immanitate, tum etiam Schismaticorum perfidia, plurimi ex Græcia, Epiro, Albania, aliisque Asiæ regionibus, ad

Italiam, eique adjacentes Insulas tamquam ad fidei, et tranquillitatis portum confugientes, ibidem Sedes, ac domicilium collocaverint, et tam ipsi, quam eorum Filii, Græcorum mores, instituta, ritus, et consuetudines a Græcis Progenitoribus sibi traditas studiose, enixeque servare pergant; ita tamen, ut debitam Romanæ Ecclesiæ obedientiam, ac devotionem omnino profiteantur; hinc est, quod Nos, qui ineffabili Dei clementia, meritis licet imparibus, ejus vicem gerimus in terris, apud quem non est Græcus, et Judæus, Barbarus, et Scythæ, (omnes enim unum sunt in Christo Jesu), et Græcos, et Albanenses Græci Ritus, tam in Ditione nostra Ecclesiastica, et utraque Sicilia, quam in reliquis Italiæ partibus, et Insulis adjacentibus, in Diœcesi Latinorum Episcoporum commorantes, specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes; omnia et singula, quæ laudabiliter provida Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum ordinatione Græcis, et Albanensibus prædictis, tum quoad rituum Græcorum, sive consuetudinum observantiam, tum quoad privilegia, immunitates, exemptiones, favores, indulta, et gratias, concessa, statuta, ordinata, indulta, et facta dignoscuntur, ut pleniorum roboris firmitatem obtineant, eoque firmiter, et stabiliter illibata, inconcussaque perdurent, quo sæpius sunt in genere, et specie Sedis Apostolicæ præsidio communita, per præsentis nostras Literas innovamus, confirmamus, et approbamus, illisque nostræ approbationis, confirmationis, et innovationis robor adjicimus; ut iisdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, gratiis, favoribus, perinde ac Clerici Latini tam Sæculares, quam Regulares, eorumque Ecclesiæ, Monasteria, et Bona in iisdem Locis, ubi Italo-Græci commorantur, utuntur, potiuntur, et gaudent, uti, potiri, et gaudere libere possint, ac valeant; ut privilegiis, et gratiis hujusmodi sibi concessis in Domino plene gaudentes, in tranquillitate pacis conquiescant, et per semi-

ANNO
1742.

Causa hujus Constitutionis, et confirmatio Privilegiorum quæ Italo-Græcis tam Sæcularibus, quam Regularibus a Sancta Sede concessa fuere.

PONT. tam mandatorum Dei gradientes, ferventiori
 A. II. erga Apostolicam Sedem devotione perseverent.
 Confir- Quoniam vero pro diversis rerum, ac tem-
 matio et porum circumstantiis plures, ac diversæ editæ
 innovatio fuerunt ab iisdem Prædecessoribus nostris Ro-
 Constitutio manis Pontificibus, et a nonnullis Venerabilium
 tionum Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Con-
 Apostoli- gregationibus circa eosdem Græcos, et Albanen-
 carum ses, eorumque ritus, consuetudines, instituta,
 quoad Ita- debitamque latinis Præsulibus, in quorum Diœ-
 lo- Græ- cesi degunt, subjectionem Apostolicæ Constitu-
 cos. tionem, ordinationes, responsa, edicta, et de-
 creta; eamque ob causam tam de ritibus ipso-
 rum Græcorum, et Albanensium, quam de eo-
 rundem Sacerdotum potestate, et Latinorum
 etiam Præsulum, atque Parochorum jurisdic-
 tione, et auctoritate sæpe obortæ sunt, et
 oboriri solent quæstiones et controversiæ: Nos
 pro nostra Pastoralis officii sollicitudine, quan-
 tum in Nobis est, hisce malis opportunum re-
 medium adhibere, causasque omnes litium, jur-
 giorum, dissidiorum, contentionum, quæstio-
 num, et controversiarum amputare, certamque
 super rebus hujusmodi tum præfatis Græcis, et
 Albanensibus Græci ritus, tum Latinis Episco-
 pis, et Parochis regulam, normam, et instru-
 ctionem, cui potissimum sese in posterum con-
 formare, et in singulis occurrentibus dubiis, et
 casibus inhærere debeant, tradere cupientes;
 omnia et quæcumque per eosdem Romanos Pon-
 tifices Prædecessores nostros, ac præsertim In-
 nocentium IV. Leonem X. Clementem VII. Pau-
 lum III. Julium etiam III. Pium IV. et V. Gre-
 gorium XIII. Clementem VIII. et forsân alios
 Romanos Pontifices circa memoratos Græcos,
 et Albanenses, eorumque ritus, et consuetudi-
 nes ordinata, et constituta fuisse comperimus,
 ut quo sæpius fideles ipsi illa perspicient inno-
 vari, eo ferventius, ac promptius ad illorum
 observantiam excitentur; in aliis omnibus, præ-
 terquam in iis, quæ præsentibus nostris adver-
 santur, confirmanda et innovanda, nostroqu

auctoritatis munimine roboranda esse censemus, et confirmamus, atque innovamus, aliaque in super Motu proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura sanctione, et Constitutione, disponimus, constituimus, ordinamus, decernimus, et declaramus, prout in Domino conspiciamus expedire.

ANNO
1742.

§. I.

De Fide Catholica.

AC primo quidem cum Catholica Fides sit ejusmodi, ut nisi eam quisque integram inviolatamque servaverit, salvus esse non possit, quæcumque credit, ac docet Sacrosancta Romana Ecclesia, ea omnia, et singula iidem Græci, et Albanenses Græci Ritus integre, firmiter, indubitanterque credere atque affirmare tenentur; prout in Sacra OEcumenica Synodo Florentina super unione Occidentalis, et Orientalis Ecclesiæ, definitum et declaratum fuit; et in professione Orthodoxæ Fidei a Græcis jussu Gregorii Papæ XIII. Prædecessoris nostri emittenda continetur, videlicet.

I. Quod Spiritus Sanctus a Patre, et Filio æternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, et Filio, et ex utroque æternaliter tamquam ab uno principio, et unica spiratione, procedit: Et quod ea Verborum illorum: *Filioque*: explicatio, veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuit apposita.

De Pro-
cessione
Spiritus
Sancti ex
Patre, Fi-
lioque.

Etsi autem Græci teneantur credere, etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, non tamen tenentur in Symbolo pronunciare; contraria tamen consuetudo ab Albanensibus Græci ritus laudabiliter recepta est, quam ab iisdem Albanensibus, aliisque quibuscumque, in Ecclesiis, ubi ea viget, servari volumus; quin

PONT. etiam a Græcis Presbyteris aliarum quarum-
 A. II. cumque Regionum commorantibus in Italia,
 ejusque Insulis adjacentibus, si ab Ordinariis
 Locorum, vel ob suspicionem hæresis, vel ob
 scandalum, vel ob aliam justam causam requi-
 siti fuerint, particulam illam: *Filioque*: in
 Symbolo pronounciari præcipimus, ac mandamus.

De azy- II. Item profiteri tenentur, tam in azy-
 mo, et fer quam in fermentato pane triticeo, Corpus Christi
 mentato. veraciter confici: et Sacerdotes in alterutro ip-
 sum Domini Corpus conficere debere, unum-
 quemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occi-
 dentalis sive Orientalis consuetudinem.

De Pur- III. Item, si vere pœnitentes in Dei charitate
 gatorio. decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructi-
 bus de commissis, et omissis satisfecerint, eo-
 rum animas pœnis Purgatorii post mortem pur-
 gari: et ut a pœnis hujusmodi releventur,
 prodesse eis Fidelium vivorum suffragia, Mis-
 sarum scilicet Sacrificia, orationes, et eleëm-
 synas, et alia pietatis officia, quæ a Fidelibus
 pro aliis Fidelibus fieri consueverunt, secun-
 dum Ecclesiæ instituta.

De visio IV. Illorumque animas, qui post baptisma
 ne beatifi- susceptum, nullam omnino peccati maculam
 ca Sancto- incurrerunt, tum illas etiam, quæ post contra-
 rum. ctam peccati maculam, vel in suis Corporibus,
 vel eisdem exutæ corporibus, prout superius
 dictum est, sunt purgatæ, in Cœlum mox re-
 cipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum, et

De ani- Unum, sicuti est, pro diversa tamen merito-
 mabus in rum ratione, aliam aliâ perfectius.
 peccato

actuali V. Illorum autem animas, qui in actuali
 mortali, mortali peccato, vel solo originali decedunt,
 vel origi- mox in infernum descendere, pœnis tamen di-
 nali dece- sparibus puniendas.
 dentibus.

VI. Item Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, et omnium Christianorum Patrem, et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pacendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis OEcumenicorum Conciliorum, et in Sacris Canonibus continetur.

VII. Cætera item omnia, quæ a Sacris Canonibus, et OEcumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Tridentina Synodo, et a Gregorio XIII. Prædecessore nostro in professione prædicta Orthodoxæ Fidei a Græcis emittenda, tradita, definita, et declarata fuerunt, indubitanter recipere, ac profiteri debent, simulque contraria omnia, et Schismata, atque hæreses quascumque, a Sancta Catholica, et Apostolica Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum Matre, et Magistra damnatas, rejectas, anathematizatas, pariter damnare, rejicere, anathematizare, et abjurare omnino tenentur.

ANNO
1742.
De Ro-
mani Pou-
tificis pri-
matu.

De reci-
piendis, et
rejicien-
dis ceteris
quæcum-
que reci-
pit, et re-
jicit San-
cta Roma-
na Eccle-
sia.

PONT.
A. II.

§. II.

De Sacramento Baptismi, pueris baptizatis, ritusque in Baptismate susceptis mutatione.

Sacramenti Confirmationis Collatio, quæ in Euchologio Græcorum post Baptismum præscribitur, a Græcis Presbyteris est præmittenda.

Non sunt inquietandi Presbyteri Græci quoad Sacramentum Baptismi.

In unctionibus quæ circa Baptisma fiunt, ritum suum in Euchologio descriptum sequi permittuntur.

Toleratur ritus ungenti per totum Baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo non possit.

I. **P**RESBYTERI Græci baptizatos Chrismate in fronte non consignent; et ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum Euchologium prætermittantur, quæ sequuntur post illa verba, *καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν etc.* usque ubi: *εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου: hoc est: et post orationem etc.*: ubi habetur forma hujus consignationis, usque ad illa: *Postea facit Sacerdos figuram circuli etc.*

II. Cum Presbyteris Græcis in Euchologio hæc Baptismi forma præscribatur: *Baptizatur Servus Dei N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: quæ latinæ formæ: Ego te baptizo in nomine etc.* æquivalet: trinaque aquæ immersione, seu aspersione in eo conferendo utantur, non sunt his super rebus a Latinis Locorum Ordinariis inquietandi.

III. Etsi Græcis in Regno Cypri commorantibus Innocentius IV. Prædecessor noster olim injunxerit, ut in unctionibus, quæ circa Baptisma fiunt, morem Ecclesiæ Romanæ teneant, et observent; Si tamen Presbyteri Albanenses ritum ungenti pectus, et dorsi medium, aures, pedes, atque manus, in Euchologio descriptum servare voluerint, ubi non est contraria consuetudo, non sunt impediendi.

IV. Ritus autem, seu consuetudo, quam habere dicuntur Græci Orientales, ungenti per totum baptizandorum corpora, si alicubi tolli, vel removeri sine scandalo non potest, cum sive fiat, sive non, quantum ad baptismi efficaciam, vel effectum, non multum referat, in iisdem toleretur.

V. Nec refert etiam utrum frigida, vel calida aqua baptizent, cum in utraque Baptismum habere parem vim, atque effectum, affirmare, et tenere dicantur.

VI. Si in eadem Ecclesia Infantes utriusque Ritus baptizentur, Græcus Parochus Subditis suis aqua per ipsum Græco more benedicta rite Baptismum confert; ac propterea molestandus non est, si non utatur aqua baptismali, quæ a Parochis Latinis juxta morem Romanæ Ecclesiæ adhibetur: Curent tamen Ordinarii, ut adsit aqua baptismalis latine consecrata, quam omnino (præter casum urgentis necessitatis) Sacerdos Latinus adhibeat, quoties ei occurrerit latinos pueros ad Baptismum excipere.

VII. Cum administratio Sacramenti Eucharistiæ, quod sub una, vel sub utraque specie Infantibus in Baptismo, et Pueris in Missa solent Græci exhibere; nihil contra Orthodoxam fidem, bonosque mores contineat (dummodo iidem Greci credant, firmiterque teneant. communionem hujusmodi non esse necessariam ad salutem, et Baptismum sine communione valide, ac licite posse ministrari); quia tamen ad decentiam, et reverentiam Sacramenti magis expedit, si illud eisdem denegetur: propterea ne Græci, vel Albanenses Græci Ritus Eucharistiæ Sacramentum sub una, vel sub utraque specie Infantibus rationis usu carentibus in Baptismo, nec Pueris in Missa ministrant, interdicimus, ac prohibemus.

VIII. Infantes nati ex Patre, et Matre Græcis, ritu Græco, nisi aliter Parentes, accedente Ordinarii consensu, voluerint, baptizari debent.

IX. Nati vero ex Patre Latino, et Matre Græca, latinis sunt cæremoniis baptizandi; Proles enim sequi omnino debet Patris Ritus, si sit Latinus.

ANNO

1742.

Nec refert, utrum infrigida vel calida aqua baptizent.

Græci Parochi rite Baptismum conferunt aqua per ipsos Græco more benedicta.

Prohibentur Græci, ne Infantibus in Baptismo, nec Pueris in Missa Sacramentum Eucharistiæ ministrant.

Proles Parente utroque Græco progenita Græco ritu baptizetur, Latine baptizetur infans ex Patre Latino, et Matre Græca natus.

PONT. X. Si vero Pater sit Græcus, et Mater

A. II. Latina, liberum erit eidem Patri, ut Pro-

Ex Patre au- les, vel ritu Græco baptizetur, vel etiam
tem Græco La- ritu Latino, si Uxor Latina prævaluerit,
tina Matre na- idest si in gratiam Uxoris Latinæ, consen-
tus latine Ba- serit Græcus Pater, ut latino ritu bap-
ptismum susci- zetur.

Latina Uxor XI. Infantes ad ejus Parochi jurisdic-
prævaluerit. tionem pertinent, cujus ritu sunt baptizati,

Infantes ad cum per Baptismum fiat suscepti ritus Græci,
ejus Parochi ju- vel Latini professio; itaut ad Latinum ri-
risdictionem tum spectent qui latinis cæremoniis bap-
spectant et ab zati fuerint; qui vero ritu Græco Sacra-
eo sunt sepeliend- mentum Baptismi susceperint, in Græcorum
di, si ante usum numero sunt habendi; adeoque si ante usum
rationis deces- rationis decesserint, a proprio, cujus ritu
serint, cujus baptizati sunt, Parocho, et in propria Pa-
ritu sunt bap- rochia sunt jure communi sepeliendi, nisi
zati, sive Græ- iis Baptismus collatus fuerit, vel ob gravem
co sive Latino: necessitatem, cum nimirum morti proximi
Et quid post u- fuerint, nec haberi potuerit proprii Paro-
sum rationis. chi, vel ritus copia, vel ex dispensatione
Apostolica, cum videlicet facultas data fue-
rit, ut latine quidem baptizentur, sed in
suo ritu Græco permaneant; In his enim
casibus non censentur a proprio ad alium
ritum transiisse. Post usum autem rationis
idem dicendum; nisi quis in alieni ritus
Ecclesia sepeliri cupiat; si quis enim Græco
ritu baptizatus, in Latina Ecclesia, vel la-
tine Baptismate initiatus, in Ecclesia Græca
sepulturam eligat, juris regulæ sunt ser-
vandæ: nimirum cadaver extra propriam
Parochiam a proprio Parocho esse associan-
dum, quarta funerali ei minime imminuta,
et ubi tumulandum est cadaver, ibi a Pa-
rocho illius Ecclesiæ, sive latinæ, sive Græcæ
sunt exequiæ celebrandæ.

Cum Infanti- XII. Quando vero Infantibus prædictis,
bus, sive adul- seu etiam adultis, exequiæ ritu Græco, et
tis, ritu Græco in Ecclesia Græca, ut præfertur, jure com-
in Ecclesia Græca sunt exequiæ muni sunt celebrandæ, tunc nullum jus ha-

bet Latinus Parochus interessendi cum Græco Parocho, nec partem aliquam Stolæ percipiendi; similiter nullum jus competit Parocho Græco, quando exequiæ in Ecclesia Latina, et per Latinum Parochum sunt peragendæ; sed servanda sunt utrobique Statuta de juribus Parochorum circa sepulturam eorum, qui ad propriam Parochiam spectant.

ANNO

1742.

celebrandæ, nullum Jus est Latino Parocho interessendi, aut partem stolæ percipiendi, et e contra.

XIII. Quem ritum semel in baptismo sunt professi, sive Latinum, sive Græcum, in eo institui, et educari debent, nec ad alium possunt transire, si Latinum semel susceperint; ritus enim Latinus propter suam præstantiam, eo quod sit ritus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum Matris, et Magistræ, sic supra Græcum ritum prævalet, maxime in Italicis regionibus, ubi latinis Episcopis Græci subjecti sunt, ut non modo ab ipso ad Græcum transitus nullatenus permittatur; verum etiam a Græcis semel assumptus, absque Apostolica dispensatione deseri nequeat.

In quo quis ritu est baptizatus, in eo educari, et vivere debet: Ritus Latinus semel assumptus deseri nequit.

XIV. Quod si Infans Græcum ritum in Baptismate susceperit, tunc requirendus est primum Patris Græci consensus, deinde Episcopi Latini licentia, ut possit Mater Latina Filium suum Græce baptizatum ad latinas cæremonias traducere. Adultis autem, si quidem sunt Ecclesiastici, in quocumque Ordine minori, vel etiam majori constituti, Sæculares, vel Regulares, a Ritu Græco ad Latinum sine expressa Sedis Apostolicæ licentia transire non liceat: si Laici, ut ad ritum latinum transire possint, Episcopus Diocesanus pro sua prudentia permittere valeat; Non tamen Communitati Græcorum, sive Albanensium hujusmodi, sine Sedis Apostolicæ licentia, sed solum Privatis personis, attentata uniuscujusque necessitate.

Quando de ritu Græco ad Latinum transire liceat.

PONT.
A. II.

§. III.

De Sacramento Confirmationis.

EPISCOPI Latini Infantes, seu alios in suis Diocesisibus baptizatos a Græcis absolute Chrismate in fronte consignatos confirmant; cum neque per Prædecessores nostros, neque per Nos Græcis Presbyteris in Italia, et Insulis adjacentibus, ut infantibus baptizatis Sacramentum confirmationis conferant, facultas concessa sit, aut concedatur; quinimo usque ab an. 1595. a fel. rec. Clemente VIII. Prædecessore nostro fuit Presbyteris Italo-Græcis expresse interdictum, ne baptizatos Chrismate consignent.

II. Secus sub conditione, et cum cautela eos confirmare debent, de quibus verosimiliter dubitari potest, utrum ab Episcopis Græcis ordinem Baptismi juxta eorum Euthologium servantibus, fuerint baptizati.

III. Idem dicendum, si Episcopus Latinus ex dispensatione Apostolica Græcum aliquem ordinaverit, qui a Presbytero Græco in Italia, vel adjacentibus Insulis fuerit baptizatus, nec constet, illum ab aliquo Episcopo, sive Latino, sive Græco, chrismate in fronte fuisse consignatum; debet nimirum illum antea absolute confirmare; sub conditione autem, si verosimiliter dubium esse possit, an ab Episcopo Græco fuerit baptizatus.

IV. Quamvis confirmati a simplici Sacerdote, cogendi non sunt ejusmodi Confirmationis Sacramentum ab Episcopo suscipere, si ex tali coactione scandala oriri possent: cum Sacramentum Confirmationis ejusmodi necessitatem non habeat, ut sine eo salvus quis esse non possit; monendi tamen sunt ab Ordinariis Locorum, eos gravis peccati

Episcopi Latini Infantes a Græcis Presbyteris baptizatos, et absolute Chrismate consignatos confirmant.

Sub conditione autem, si verosimiliter dubitari potest quod ab Episcopis Græcis fuerint baptizati.

Idem dicendum si Episcopus Latinus ordinet aliquem Græcum ab Episcopo Græco baptizatum, de quo non constet fuisse Chrismate consignatum.

Confirmati a simplici Sacerdote cogendi non sunt recipere ab Episcopo Confirmationis Sacramentum.

reatu teneri, si cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt.

ANNO
1742.

V. Ubi Græcus Catholicus Episcopus haberi potest, prout habetur constitutis in Collegio Corsino Italo-Græcorum in Calabria, curent omnino latini Ordinarii, ut ab illo potius Græcis cæremoniis juxta Græcum Euchologium, quam a se Latino ritu, Sacramentum Confirmationis Subditis suis Græco ritu viventibus Chrismate a Latinis Episcopis accepto ministretur, ne scilicet Ecclesiarum ritus, quoad fieri potest, misceantur.

Ubi Græcus Catholicus Episcopus habetur, Sacramentum Confirmationis Episcopi Latini non administrent.

§. IV.

De Oleo Sancto Chriftatis, Catechumenorum, et infirmorum.

I. **N**ON sunt cogendi Presbyteri Græci Olea Sancta, præter Chrisma ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere, cum hujusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum, et Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu, conficiantur, seu benedicantur; nisi tamen contraria consuetudo introducta sit, quam servari volumus, ac mandamus. Chrisma autem, quod non nisi ab Episcopo, etiam juxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere.

Non sunt cogendi Presbyteri Græci, præter Chrisma, alia Olea sancta ab Episcopo Latino accipere.

II. Non audeant tamen ab Episcopis Græcis externis Schismaticis, seu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem non habentibus, illud accipere, vel eo uti.

Prohibeantur Chrisma accipere ab Episcopis Schismaticis.

III. Item abstineant Chrisma accipere a quocumque alio Episcopo Latino, seu Græco Catholico, præter suum Ordinarium Latinum, cujus jurisdictioni subjiciuntur.

Item a quocumque alio Episcopo etiam Catholico, præter Ordinarium Latinum.

PONT.
A. II.

§. V.

*De Sacramentis Pœnitentiæ, et extremæ
Unctionis.*

Unctio non est sufficiens satisfactio pœnitentiæ.

I. **N**ULLI per Sacerdotes, vel Confessarios, pro satisfactione pœnitentiæ, unctio aliqua solummodo injungatur.

Extrema Unctio infirmis exhibenda.

II. Infirmis vero, juxta verbum Jacobi Apostoli, unctio exhibeatur extrema.

Per unum, vel plures Presbyteros administrari potest.

III. Nec refert, utrum eadem Extrema Unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo; dummodo credant, et asserant, illud Sacramentum, servata debita materia, et forma, ab uno Presbytero valide, et licite confici.

Qui ungit, idem formam proferat Sacramenti.

IV. Idem Sacerdos materiam adhibere; formamque pronunciare respective debet; ac propterea, qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius unget, et alius formam pronuntiet.

Forma absolutionis in Concilio Florentino præscripta utantur.

V. In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt latinos absolvere; utantur tamen forma absolutionis in Concilio Generali Florentino præscripta, postea vero, si voluerint dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.

Extra necessitatis casum, prudentiæ, et arbitrio Ordinariorum relinquatur, ut Presbyteri Albanenses Latino- rum etiam confessiones excipere valeant.

VI. Extra vero casum necessitatis, si quos ex Presbyteris Albanensibus peritos, et ad confessiones omnium audiendas idoneos Ordinarius Latinus judicaverit, ut non solum Græcos, sed etiam Latinos ad se accedentes possint absolvere, id eorumdem Ordinariorum prudentiæ, et arbitrio relinquatur.

Sacerdotes Conjugati pos-

VII. Sacerdotes quoque Conjugati, aliique, quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum Parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licite, et libere possint Parochianorum suorum confessiones audire,

ipsisque pœnitentiam injungere pro peccatis; quia cui licet, vel conceditur, quod est majus, competit quoque, nec negari convenit, quod est minus.

VIII. Ecclesiarum Parochialium regimini præficient Ordinarii Latini, si habere possunt, eos qui in Seminariis Italo-Græcorum erectis, altero quidem Panormi, altero autem in Calabria in Oppido Sancti Benedicti Ullano, vel in Collegio Græcorum in Urbe, trium ad minus annorum spatio versati sunt, studiisque literarum incubuere; dummodo cætera ad curam animarum exercendam requisita non desint, atque Episcopis ejusdem Seminarii Præsidis, seu respective Rectoris literas exhibeant, quæ de recta eorum vitæ ratione, deque in Græcis, Latinisque scientiis progressu testimonium ferant.

IX. Liberum tamen sit ipsis Episcopis, Viros alios idoneos Coadjutores, et Cooperatores Parochis Græcis, si opus fuerit, adjungere in audiendis confessionibus, et pœnitentiis injungendis, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum; ipsisque in his per eorum Diœceses absque Sacerdotum ipsorum præjudicio, et gravamine, committere vices suas, cum propter occupationes multiplices, et occasiones varias, possit contingere, ut nequeant per eandem Diœceses officium suum exequi per se ipsos.

X. Numquam Monachis Græcis, seu Calogeris Animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia justa causa.

XI. Præsbyteri Sæculares Græci ex Albania, vel aliis Orientis partibus advenientes, abjuratis Schismate, et erroribus, atque in fide Catholica bene instructi, in Parochialibus, seu Curatis Ecclesiis Græcorum institui possunt.

P O N T.

A. II.

sunt, et curam suscipere Parochiarum, et Parochianorum confessiones audire.

Ecclesiarum Parochialium regimini præficiendi sunt, qui in Seminariis Italo-Græcorum, seu Albanensium trium ad minus annorum spatio versati sunt.

Possunt Ordinarii Latini alios Presbyteros idoneos Parochis Græcis, velut Coadjutores, et Cooperatores, adjungere.

Monach. Græcis, nisi ex justa causa, non est cura animarum committenda.

Presbyteri Sæculares advenæ, abjuratis erroribus, et Schismate, in Parochos Græcorum institui possunt

PONT.

A. II.

Vir, et Uxor
non debent si-
mul confiteri.

Aquæ bene-
dictæ usus.

XII. Tollendus abusus, ubi est, ut vir, atque uxor simul, et eodem tempore eidem Presbytero confiteantur.

XIII. Aqua ex ritu Græco in die Epiphaniæ, vel primo die mensis benedicta, conservetur in Ecclesia, ut illa Fideles adspergantur.

§. VI.

*De Sacramento Eucharistiæ, et Missæ
Sacrificio.*

Sacerdotes ad
Sacramentum
Pœnitentiæ fre-
quenter acce-
dant; cum præ-
sertim Divinum
Sacrificium sunt
peracturi.

I. SACERDOTES ad pœnitentiæ Sacramentum frequenter accedant, ut cum Divinum Mysterium peracturi sunt, nulli coram Deo crimini sint obnoxii; sed cor habeant omni pravitate vacuum, mundum, quoad fieri potest, ac purum: Indignum enim, ac auribus plane horrendum est, ut qui animum habet aliquo scelere fœdatum Sanctum Sanctorum impuris manibus contrectet, et placare Deum attentet, qui in peccatis existens, ipsius Dei furorem, et iracundiam provocat.

Permittitur
etiam, ut aquam
ferventem in ca-
licem infundant

II. Item permittitur eisdem, facta jam consecratione, antequam Sacerdos communitet, juxta ritum in Liturgia præscriptum, aquam ferventem, seu tepidam in Sacrum Calicem infundere.

Interdicitur
abusus tundendi,
vel exsic-
candi species Sa-
cramenti Eu-
charistiæ.

III. Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi Sacro Oleo, ac iterum coquendi, vel aliàs exsiccandi specie Sacramenti Sacræ Eucharistiæ Feria quinta Cœnæ Domini, ut deinde illud asservent.

Euch. pro in-
firmis renovan-
da singulis octo,
aut quindecim
diebus.

IV. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod pro Infirmis asservatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renovetur.

Non asservan-
da toto anno.

V. Non asservetur idem Sacramentum toto anno: Si tamen asservatum fuerit, in fine anni sumatur.

VI. In celebratione Solemnium, et aliarum Missarum, et de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel consecratione formam verborum a Domino expressam, et traditam observent, et celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur: ita tamen, ut jejunii lex de unica comestione in die religiose servetur; et si alicubi viget consuetudo producendi jejunium cum Missa usque ad vesperam, minime aboleatur, sed in suo robore, ac firmitate permaneat.

VII. Si inter Græcos, qui in Italia, et Insulis adjacentibus degunt, viget abusus, quem in Orientalibus regionibus vigere prohibent, ut Monachi Eucharistiæ particulam suspensam ad collum, vel aliter secum deferant, necnon in privatis Domibus, ubi eos commorari contingat, retineant, ut eo auxilio freti, liberi a quibuscumque periculis evadant; vel cum in longiora itinera se committunt, ea refici valeant; eum omnino aboleri volumus, et expresse mandamus: præfatisque Monachis, ne id in posterum facere audeant, severissime prohibemus. Obsequium enim, ac reverentia, qua singuli Fideles Augustissimum hoc Sacramentum prosequi debent, non patitur, ut privatim ac latenter, cujuscumque arbitrio et voluntate, domi illud retineatur, aut in itineribus, ac peregrinationibus asportetur.

VIII. Cum in Parochialibus Ecclesiis ipsorum Græcorum, ex antiquissimo, et hactenus servato ritu, nonnisi semel in die per unum Sacerdotem celebrare liceat, permittitur quidem Presbyteris Græcis suum, si velint, morem hac in parte servare: interdicitur autem Latinis Sacerdotibus, ne Missas, et alia Divina Officia in dictis Græcorum Ecclesiis, et super eorum Altaribus Majoribus, extra casum alicujus necessitatis, et aliorum Altarium, Ecclesiarumque defe-

ANNO
1742.

Servandus Græcorum ritus in celebratione Missarum sub certis conditionibus,

Ne Monachi iter agentes Eucharistiam secum ferant.

Permittuntur Græci Presbyteri suum servare ritum, nonnisi semel in die super uno, eodemque Altari Missam celebrandi, et prohibentur Sacerdotes Latini in Parochialibus ipsorum Græcorum Ecclesiis Missas, et Divina Officia celebrare.

PONT.
A. II.

ctus, et nisi ex Parochi Græci consensu, quem nullatenus hujusmodi in casibus negare possit, celebrent.

Conceditur Presbyteris Græcis, et Albanensibus, ut in Ecclesiis suis præter Altare majus, alia quoque Altaria erigant, in quibus ipsi Græci, vel Latini Missas celebrare possint.

IX. Quia tamen ipsi Græci, et Albanenses Presbyteri Nobis humillime supplicarunt, ut sibi liceat pro Sacerdotum numero plures in die in suis Ecclesiis Missas celebrare: Nos ipsorum precibus annuere volentes, per præsentem nostras concedimus, ac indulgemus, ut in suis Parochialibus, vel aliis Ecclesiis, præter Altare Majus, alia etiam minora Altaria seu Capellas, Sacris Indumentis Græcorum, seu Latinorum more, ornata seu ornatas, erigant, in quibus Latini, vel Græci Presbyteri respective suis quisque ritu celebrare valeant.

Prohibentur Græci celebrare ritu Latino, et Latini ritu Græco.

X. Cum in Sacro Generali Florentino Concilio præscriptum sit, ut unusquisque Sacerdos Eucharistiam juxta Ecclesiæ suæ ritum, sive Latinæ, sive Græcæ, in azymo seu fermentato conficere debeat, vetitumque a Summis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ne Latinus Sacerdos Græco ritu, aut Græcus Latino utatur; districtius inhibemus, etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis a Divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, et Latini Græco ritu, sub quovis licentiarum, et facultatum Missas, et alia Divina Officia, Græci Latino more, et Latini Græco ritu celebrandi, ab Apostolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam Majori Pœnitentiario pro tempore existente obtentorum prætextu, Missas, et alia Divina Officia celebrare, vel celebrari facere præsumant.

Prohibet, ne Latinus Parochus Pyxidem in Ciborio cum Particulis sub specie fermentati pro communione Græ-

XI. Eadem quoque ratione, tam ubi sunt duæ Parochiæ, Latina altera, et altera Græca, quam in una eademque Parochiali Latinorum, vel etiam Græcorum Ecclesia, in qua, ut præmittitur, præter Altare majus, quod pro solis Græcis Sacerdotibus erectum est, minora quoque Altaria pro La-

tinorum Sacerdotum usu extracta conspiciuntur, statuimus, et decernimus, ut neque Latinus Parochus Pyxidem in Ciborio cum Particulis sub specie fermentati pro communione Græcorum, neque Parochus Græcus sub specie azymi pro communione Latinorum, in quocumque Ecclesiæ suæ Altari retineat; sed unusquisque Sacerdos nonnisi in suo sive Græco, sive Latino ritu Eucharistiam Fidelibus porrigere debeat.

XII. Ne Laici autem Latini communionem a Græcis Presbyteris sub specie fermentati recipiant, prohibemus omnino, et interdiciamus.

XIII. Græcis tamen Laicis permittimus, ut ubi Parochiam Græcam non habent, possint, si velint, in Ecclesia Latina Eucharistiam sub specie azymi a Latinis Sacerdotibus sumere.

XIV. Quod si in Locis, in quibus Græci, et Latini simul moram trahunt, et sunt utriusque ritus Ecclesiæ, Latini quidem in Fermentato, et Græci in azymo Sacram Eucharistiam quandoque sumere soleant; si quidem hæc consuetudo sine Populi offensione, animorumque commotione removeri non potest, Ordinarii curam suam suavissimis modis impendant, ut Latini semper in azymo, Græci autem, ubi propriam Parochiam habent, in fermentato communicent.

XV. Ut autem iidem Laici Græci Eucharistica sub utraque specie communionem recipi valeant, permittimus, in illis dumtaxat Locis, in quibus ejusmodi ritus introductus est, et ad præsentem usque diem servatur, ac viget: ita tamen, ut sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi firmiter credant, ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solam accipi-

ANNO

1742.

corum, aut Parochus Græcus sub specie azymi pro communione Latinorum retineant.

Præcipit Laicis Latinis, ne unquam subspecie fermentati communicent.

Permittit Græcis Laicis, ut ubi propriam Parochiam non habent, possint communicare in Ecclesia Latina sub specie azymi.

Contrariam consuetudinem curent Ordinarii Locorum suavissimis modis tollere.

Communio sub utraque specie permittitur in illis dumtaxat Locis, in quibus hactenus fuit introducta.

PONT.
A. II.

unt : ubi vero præfatus ritus consuetudine hactenus receptus non est, Episcopis, quorum jurisdictioni Græci subjiciuntur, curæ sit, ne in posterum admittatur.

Indulget Presbyteris Græcis, seu Albanensibus, ut præter Dominicas, et Sabbata, in reliquis Feriis Quadragesimæ, excepto ultimo triduo ante Pascha, possint Missas integras celebrare; Sic tamen, ut ab Hebdomadario, seu Parocho Missa præsanctificatorum non omittatur.

XVI. Volentes autem specialem ipsis Græcis, et Albanensibus Presbyteris gratiam facere, tenore præsentium, ut tempore jejunii quadragesimalis, quo, exceptis Dominicis, Sabbatis, et nonnullis solemnioribus festivitibus, ex antiquo more, nonnisi Missa Præsanctificatorum celebratur, Græci, et Albanenses prædicti, servato tamen, nec prætermisso in Parochialibus Ecclesiis Præsanctificatorum ritu, in aliis Altaribus, seu Ecclesiis, sive Capellis, pro sua, ac Fidelium Populorum devotione, Missas integras quibuslibet hebdomadæ, diebus, ac præsertim cum dies Festi de præcepto Latine Ecclesiæ occurrunt, quos observare tenentur, excepto postremo majoris hebdomadæ triduo, celebrare possint, et valeant, concedimus, et indulgemus.

Possunt, si velint, Græci Altaria portatilia a Latinis accipere.

XVII. Si Græci velint accipere Altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata, bene erit, sin minus tolerentur eorum antimensia, sive Throni, super Altaria lapidea ponendi, cum celebrant.

Græci Thronis pro corporalibus uti possunt.

XVIII. Corporalia ut latini habeant, nisi Thronis etiam pro corporalibus utantur.

Presbyteris Latinis non licet super Antimensio Græcorum Sacrum facere, si careant proprio Altare lapideo portatili.

XIX. Latinis Presbyteris Latino ritu in Græcorum Catholicorum Ecclesiis celebrantibus, si careant proprio Altari portatili lapideo, super Antimensiis, seu Thronis Græcorum Sacrum facere non licet.

De Vestibus, et aliis Sacris.

XX. Unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solum aut saltem stanneo Calice sacrificet, habens Thronos, seu Corporale de lino, candidum, et nitidum, et Altare mundis vestimentis opertum vel decenti paratu ornatum.

XXI.

XVI. Mulieres autem servire ad Altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.

ANNO
1742.

De Mulierum
servitio ad Al-
tare.

§. VII.

De Sacramento Ordinis.

I. ROMANI Pontifices Prædecessores nostri necessitatibus Italo-Græcorum occurrere volentes, ut commode possent a proprii ritus Præsulibus ad Ordines promoveri, simulque caventes, ne si ab Ordinariis Latinis ad Græcos Antistites in Græciam, vel Epirum, aut alias Orientis partes cum demissoriis remitterentur, ad Schismaticos Episcopos pro ordinatione confugerent, constituerunt: Clemens quidem VIII. anno 1595. Romæ habendum esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Episcopis Latinis Italiæ, et adjacentium Insularum subjectos Sacris Ordinibus initiaret: Clemens vero XII. anno 1735. ut Italo-Græcorum in utraque Sicilia commorantium commodis consuleret, alterum ejusdem Græci ritus Episcopum in Seminario Corsino a se in Calabria erecto, propter Græcorum hujusmodi Ordinationes, manere jussit quorum laudatissimum Institutum Nos quoque per præsentis nostras perpetuo valituras Literas confirmamus, et innovamus.

Ut Græci a
Græcis Episco-
pis ordinentur.

II. Ne quis Clericus Sæcularis ritus Græci, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia, et ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum Ecclesiasticum Beneficium, vel Patrimonium, quod sibi ad vitam honeste sufficiat, pacifice possidere: ac propterea deficiente titulo Beneficii, per legitima documenta Ordinarium suum certiore reddere debet de sufficienti Patrimonio, ut valeat Sacris Ordinibus initiari: loco autem dicti Patrimonii, nec Cle-

Ecclesiasticum
Beneficium, vel
Patrimonium,
ad Sacros Ordines promovendis necessarium.

P O N T.

A. II.

Nemo ex Græcis, seu Albanensibus, ad Ordines promoveatur, qui trium saltem annorum spatio in Seminario Græcorum non fuerit commoratus.

De examine Ordinandorum.

De Horis Canonicis.

Episcopi Græci in Ordinibus conferendis Euchologio Græco utantur.

Quidam Ordines ritu Latino supplendi sunt ab eo, qui ritu Græco aliquos Ordines suscipit.

ricus Uxoris suæ dotem assignare præsumat, nec Ordinarius eam recipere audeat.

III. Quemadmodum etiam nemo ex Græcis, seu Albanensibus in Calabria, et Sicilia commorantibus ad sacra ministeria assumatur, qui trium saltem annorum spatio, Græcis, latinisque literis non dederit operam in altero ex Seminariis Italo-Græcorum, vel in Collegio Græcorum in Urbe.

IV. Promovendi ad Sacerdotium, et Presbyteri, qui præficiendi fuerint Ecclesiarum Regimini, examinentur antea diligenter, si præcipue de Horis Canonicis, et Missarum Officiis secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi, ut ad hæc nonnisi digni admittantur.

V. Sacerdotés, et quicumque sunt in Sacris Ordinibus constituti, Horas Canonicas more suo dicant: et priusquam Missam celebrent, Officium matutinale recitare curent.

VI. Episcopi Græci in Ordinibus conferendis ritum proprium Græcum in Euchologio descriptum servent, in quo, etsi nonnulli de Minoribus Ordinibus prætermitti videantur, eos tamen vel nunquam habuisse, vel eorum exercitium aliis Ordinibus esse adnexum iidem Græci affirmant.

VII. Inde tamen dubitationes quandoque oriri solent, quinam nimirum Ordines supplendi sint ab eo, qui primum ritu Græco aliquibus Ordinibus fuit initiatus, deinde ritu Latino ad reliquos est promovendus. Quas controversias ut de medio penitus tollamus, certamque tradamus regulam in posterum servandam, ita decernimus; si quis ritu Græco Clericus, et Lector tantum fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicæ obtinuit, ut Majores Ordines latinis cæremoniis sibi conferantur, is antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omissos debet ritu Latino suscipere. Si vero, præter Lectoris Ordinem, ad Subdia-

ANNO
1742.

conatum etiam Græco ritu ascendit, et ex dispensatione itidem Apostolica facultas sibi facta sit, cæteros Ordines ritu Latino suscipiendi, antequam inter Diaconos coöptetur, ex minoribus Ordinis Exorcistatum tantummodo supplere cogitur; cum per Subdiaconatum Græco ritu collatum, Acolythatum, et Ostiariatum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus, Diaconatum, aut etiam Presbyteratum Græce suscepit, et Latino postea ritu ad Sacrum Presbyteratus respective Ordinem, aut Episcopatum promovendus sit, ex Apostolica concessione: nimirum Exorcistatus Ordinem in ipso, antequam Presbyter ordinetur, aut Episcopus consecratur, esse supplendum.

VIII. Græci sine Literis dimissoriis Episcopi Latini Diœcesani nullatenus ad primam Tonsuram, vel aliquem Ordinem recipendum admittantur. Non ordinentur, nisi cum dimissoriis Latini Ordinarii.

IX. Promoti ad primam Tonsuram, vel ad alium quemcumque Ordinem sine Dimissoriis Latini Ordinarii, suspensi sunt; et si suspensi in Sacris Ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares, sicut et Latini. De suspensione, et irregularitate.

X. Super hujusmodi autem, et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem a Sancta Sede Apostolica obtineri oportet. Solutus Papa in Irregularitatibus dispensat.

XI. Non sunt admittendi Episcopi Schismatici sive pro Ordinibus, sive pro aliis Sacramentis conferendis, sed impediendi, quoad Sancta Sedes Apostolica desuper consulatur, et responsum habeatur. Episcopi Schismatici nec Ordines, nec alia Sacramenta conferant.

XII. Quos vero communionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ habere constiterit, eis Pontificalia exercendi facultatem Ordinarii Latini in suis Diœcesibus libere concedere possunt. De Episcopis Græcis Catholicis.

XIII. Ordinati ab Episcopis Schismaticis aliàs ritè ordinatis, servata debita forma, a Schismaticis. De Ordinatis a Schismaticis.

PONT.
A. II.

De eorumdem
absolutione.

Et dispensa-
tione super irre-
gularitate.

Interstitiorum
lex cum Græcis,
seu Albanensi-
bus relaxatur.

Tribus diebus
festivis , non

recipiant quidem ordinem , sed non execu-
tionem.

XIV. Proinde ipsi Ordinati ab Episcopis
Schismaticis , correcti , vel emendati recon-
ciliandi sunt , et absolvendi , cum pœniten-
tiis salutaribus , dummodo errores , si quos
amplexi fuerint , sin minus Schisma Ordina-
toris abjurent in judicio , vel publice , vel
secreto pro qualitate facti.

XV. In ordinibus autem per eos aliàs rite
susceptis ministrare non permittantur , nisi
cum ipsis super irregularitate , hujusmodi
occasione contracta , auctoritate Sanctæ Se-
dis Apostolicæ fuerit dispensatum.

XVI. Cum ex Ecclesiæ disciplina a Græcis
olim recepta , promoti ad aliquem Ordinem
Sacrum , si per aliquod temporis interval-
lum in eo non fuerint versati , ad altiorem
gradum ascendere non possint , quo nimi-
rum Ordinandorum fides , morumque pro-
bitas eo temporis spatio cognosci valeat ;
qua lege Græci , seu Albanenses in Italia ,
et Insulis adjacentibus commorantes dubio
procul tenentur : Nihilominus cum prædicti
Græci , seu Albanenses Ordinarios suos ,
quibus subjiuntur , habeant latinos , a qui-
bus tanquam alieni ritus sacris ordinibus
initiari prohibentur ; ac proinde cum Ro-
mam , vel in Calabriam , ubi sunt Episcopi
a Sancta Sede Apostolica ad Ordinationes
ritu Græco exercendas deputati , repetitis
vicibus , non sine quamplurimis incommo-
dis , et expensis , ad Sacros Ordines juxta
temporum intervalla suscipiendos sese con-
ferre deberent , Nos , eosdem Græcos , seu
Albanenses gratiis , et favoribus prosequi ,
eorumque incommodis consulere volentes ,
de Apostolicæ plenitudine potestatis , præ-
fatis Episcopis Græcis Romæ et in Calabria
pro tempore degentibus , licentiam , et fa-
cultatem impertimur , ut Græcos , seu Al-
banenses hujusmodi ex longinquis regionibus

accedentes, qui Minoribus, sive Majoribus Ordinibus initiari cupiunt, ad omnes Ordines promovere in posterum valeant tribus diebus festivis, non autem continuis, sed aliquo temporis intervallo Antistitis ordinantis arbitrio separatis, non servata Interstitiorum lege, nec requisita ad hoc ab iis, qui initiantur, suorum respective Ordinariorum Latinorum licentia, sive dispensatione.

XVII. At cum illis Græcis, seu Albanensibus, qui domicilium habent, seu aliàs commorantur in ea Provincia, in qua Episcopus ritus Græci solet sacras ordinationes exercere, ad quem propterea sine gravi incommodo per temporum intervalla accedere possunt, ab interstitiorum lege minime dispensamus, præterquam cum Alumnis, et Convictoribus ritus Græci Collegii Græci Urbis, et Italo-Albanensium, in Calabria, et Sicilia, si eorundem Collegiorum necessitas, vel utilitas, arbitrio S. Rom. Eccl. Cardinalis Administratoris, et Protectoris præfati Collegii Græcorum Urbis, et Episcopi præsentis, seu Rectoris utriusque Collegii Italo-Albanensium prædicti respective pro tempore existentium exegerit, ut præfati Alumni, et Convictores absque temporis intervallo tribus diebus festivis, non tamen continuis, ut præfertur, ad Ordines promoveantur; quo casu eos sic initiari posse, plenam facultatem facimus, atque concedimus.

XVIII. Illis autem, qui non servata Interstitiorum lege, sunt hactenus bona fide ordinati, ex Apostolica benignitate etiam concedimus, ut in susceptis Ordinibus ministrare, et ad majores etiam servatis servandis ascendere, absque alia dispensatione valeant.

XIX. Quod tamen de ætate Ordinandorum a Sacrosancto Tridentino Concilio præscri-

ANNO
1742.

tamen continuis, si ex longinquis regionibus se conferant ad Ordines suscipiendos ordinari possunt.

Non tamen dispensatur cum illis, qui domicilium habent, seu commorantur in ea Provincia, in qua Episcopus ritus Græci solet Sacras Ordinationes exercere.

Alumni, et Convictores Collegii Græcorum Urbis, et Italo-Græcorum in Calabria, et Sicilia, tribus diebus festivis ordinari possunt, si Collegiorum utilitas, vel necessitas exegerit.

Cum iis, qui, non servata interstitiorum lege, sunt hactenus bona fide ordinati, dispensatur, ut in susceptis Ordinibus ministrare valeant, et ad majores etiam ascendere

Quoad ætatem

PONT.

A. II.

Ordinandorum servandum est, quod a Sacrosanct. Trid. Synodo est prescriptum.

Latinus Antistes Græcos etiam sibi subiectos Ordinibus initiare prohibetur, sic etiam Græcus Episcopus Latinos ordinare non debet.

Prohibet Latinos ex Latinis progenitos, ac Latino ritu educatos, juxta ritum Græcum sub spe retinendi Uxores, ad Sac. Ordines promoveri, etiam in locis, ubi Græcus ritus servatur.

ptum est, omnino servari volumus. Nullus proinde ex prædictis Græcis, seu Albanensibus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ac Presbyteratus ante vigesimum quintum suæ ætatis annum absque Apostolica dispensatione promoveatur. Præfatorum autem Græcorum Præsulum conscientiam oneramus, ut dignos dumtaxat, et quos literis, et iis, quæ ad Ordines exercendos pertinent, bene instructos esse noverint, ad sacra ministeria assumant.

XX. Ut in Ordinibus conferendis quælibet rituum confusio, et commixtio penitus tollatur, et unius ritus Antistes alterius ritus Clericos initiare in posterum minime valeat, sub perpetuæ suspensionis a Divinis pœnis prohibemus, ne Latinus quicumque Episcopus etiam subjectos suæ jurisdictioni Græcos, neque Græcus quilibet Antistes Latinos quovis prætextu, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia ad primam Tonsuram, vel ullum Ordinem sive Minorem, sive Majorem promovere præsumat; alioquin tam Ordinans, quam Ordinatus, perpetuam, ut præfertur, suspensionem se subituros intelligant.

XXI. Maxime autem neque permittendum, neque ullo modo tolerandum, ut Latini ex Latinis progeniti, ac latino ritu educati, qui continentiam profiteri nolunt, juxta ritum Græcum, sub spe retinendi Uxores, ad Sacros Ordines a quocumque Antistite quavis auctoritate fulgente promoveantur, tam in locis, in quibus non sunt Populi Græco ritu viventes, sed Latini, quàm in locis in quibus sunt Populi, qui a Græcis antiquitus fuerint oriundi, seu a Græcis originem ducant, vel aliàs retroactis temporibus ritum Græcum servaverint, seu apud illos, vel in eorum aliquibus Ecclesiis ritus hujusmodi ab antiquo hactenus fuerit observatus.

XXII. Cum iis tamen Italo Græcis, qui ad hanc diem, vel propter antiquam consuetudinem, vel propter quædam sibi, ut ajunt, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa privilegia, quibus permittebatur Episcopis Latinis, ut Græcos sibi subjectos, vel ipsi ordinarent, seu ab aliis tam Græcis, quam Latinis Episcopis ordinari facerent, ab Episcopis Latinis bona fide, et absque dispensatione Apostolica, ad Clericalem Tonsuram, vel Minores, seu Majores Ordines sunt promoti, cum animo tamen proprium Græcum ritum retinendi, et absque actuali Latini ritus in susceptis Ordinibus exercitio; per præsentis nostras hac vice tantum dispensamus, ut eis liceat in suo Græco ritu permanere, in eoque ad ulteriores Ordines (dummodo per suum Ordinarium approbati fuerint) a Græco Episcopo promoveri: per easdem nostras expresse prohibentes, ne quid hujusmodi de cætero, vel a Græcis ipsis, vel a Latinis Episcopis, inconsulta Sancta Sede, attentetur.

XXIII. Insuper ut omnibus, circa præfatas Italo-Græcorum hujusmodi per Latinos Præsules ordinationes, controversiis, ac dubiis opportuna ratione obviamus, hac nostra Constitutione decernimus, et declaramus, quod si Episcopus Latinus, sive Ordinarius, Italo-Græcis primam Tonsuram, vel Ordines Minores ritu Latino conferat, cum dispensatione Apostolica, ita ut ordinati ab illo in suo Græco ritu ministrare debeant, (quod ex defectu Græcorum Præsulum per Sedem Apostolicam concedi solet); licite possit idem Latinus Ordinarius Literas dimissoriales Italo-Græcis hujusmodi a se, vel ab alio Latino Præsule, ut præmittitur, ordinatis concedere, ut ad Sacros Ordines Græco ritu, absque alia dispensatione Apostolica, promoveantur.

ANNO
1742.

Dispensatur cum Italo-Græcis, qui ad hanc diem a Latino Episcopo sunt ordinati, cum animo tamen in ritu Græco permanendi, ut possint in eodem ritu permanere, et ad majores etiam Ordines a Græco Episcopo cum Dimissoriis tamen Latini Ordinarii, græce promoveri, cum clausula, ne id in posterum inconsulta S. Sede attentetur.

Italo-Græci si ab Episcopo Latino, cum dispensatione apostolica, ad aliquos Ordines ob defectum Græcorum Præsulum promoventur, possunt sine alia dispensatione cum Dimissoriis Ordinarii ad majores Ordines græce a Græco Antistite provehi.

P O N T.

A. II.

Secus, si absque dispensatione Apostolica a Latino Episcopo fuerint ordinati, debent in Latino ritu permanere, nec possunt amplius sine dispensatione Apostolica ad Græcum redire, aut in eo ministrare.

XXIV. Si vero absque Apostolica dispensatione Italo-Græci hujusmodi a Latino Episcopo ad aliquos Ordines ritu Latino promoverentur, (id, quod illicite tam ab Ordinante, quam ab Ordinatis fieret, utpote huic nostræ Constitutioni contrarium), Græci Clerici hujusmodi sic latino ritui alligantur, ut ab eo ad Græcum redire amplius non liceat, sine Apostolica dispensatione; neque Latino Episcopo, seu Ordinario amplius fas sit Græcum Clericum, a se, ut præmittitur, Latino ritu in minoribus Ordinibus constitutum, cum literis dimissorialibus ad Græcum Antistitem remittere, ut ab eo ad Sac. Ordines græce promoveatur, sine dispensatione Apostolica; sed debeat illum potius, si quidem idoneum judicaverit, post obtentam absolutionem a suspensione, vel ipse ritu Latino ordinare, vel ab alio Latino Præsule ordinari facere. A ritu enim latino ad Græcum, ut prædiximus, nec transire, nec redire fas est, absque dispensatione Apostolica.

Maxime si post susceptos a Latino Episcopo Ordines, latine vixerint: Nam Latinus ritus semel assumptus, absque licentia Sedis Apostolicæ deseri nequit.

XXV. Hinc eadem litteræ dimissoriales potiori jure denegandæ sunt Italo Græcis, qui quanquam baptizati ritu Græco, non modo primam Tonsuram, et Minores Ordines latino ritu susceperunt; sed etiam latine vixerunt, et postea ad Majores ordines ritu Græco provehi cupiunt, nam Latinus ritus semel assumptus, ut præfati sumus, absque specialis Sedis Apostolicæ auctoritate, deseri nequit: ut igitur Italo-Græci hujusmodi ad ritum Græcum redeant, indigent Apostolica dispensatione; ut vero ad Majores Ordines ritu latino ascendant, dispensatione non indigent.

Matrimonium Presbyterorum cum unica, et virgine non reprobatum.

XXVI. Etsi expetendum quam maxime esset, ut Græci, qui sunt in Sacris Ordinibus constituti, castitatem, non secus ac Latini servarent: Nihilominus, ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri Uxores

in eorum ministerio retineant, dummodo ante Sacros Ordines, Virgines, non Viduas, neque corruptas, duxerint, Romana non prohibet Ecclesia. Eos autem, qui Viduam, vel corruptam duxerunt, vel ad secunda vota, prima Uxore mortua, convolarunt, ad Subdiaconatum, Diaconatum, et Presbyteratum promoveri omnino prohibemus.

XXVII. Præterea si quis Subdiaconus, Diaconus vel Presbyter, post Sacram Ordinationem, Uxore mortua, aliam duxerit, vel si Uxorem non habebat, ducere præsumpserit, nedum excommunicationis læsententiæ pœna, aliisque nostro, et Successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, severissime punietur; verum etiam statim ab Ordine erit deponendus, et ab illegitima Uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos Ordines contractum, nullum irritumque declaramus.

XXVIII. Presbyter Græcus conjugatus, antequam ad Sacrum Sacrificium, seu Sanctam Missam celebrandam accedat, vel per hebdomadam, vel per triduum ab Uxore curet abstinere.

§. VIII.

De Sacramento Matrimonii.

I. **C**URRENT Ordinarii Locorum, ut Decretum Sacri Generalis Concilii Tridentini de reformatione Matrimonii vertatur in linguam Græcam vulgarem, et in locis, et Parochiis Græcorum, et Albanensium, quoties expedire viderint, evulgetur, et publicetur.

II. Matrimonia inter Conjuges Græcos dirimi, seu divortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittant, aut patiantur. Et si qua de facto præcesserunt, nulla et irrita declarent.

III. Quia vero, secundum Apostolum, et Mulier mortuo Viro ab ipsius est lege soluta, nuptiis,

PONT.
A. II.

et nubendi cui vult in Domino liberam habet facultatem, secundas, et tertias, et anteriores etiam nuptias Græci non condemnent, sed illas tanquam legitimas, et validas approbent inter Personas, quæ aliàs licite de jure ad invicem Matrimonio jungi possunt.

De Bigamis.

IV. Secundo tamen nubentes Presbyteri nullatenus benedicant: nec ipsos Bigamos ad Sacros Ordines, sine speciali dispensatione Apostolica, promoveri liceat.

De gradibus
Consanguinitatis,
et Affinitatis.

V. Et quoniam apud Græcos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, juxta eorum computationem, octavo gradu, qui secundum computationem, et distinctionem graduum, quam Latini faciunt, apud hos quartus habetur: ne id præsumatur deinceps, firmiter prohibemus, ac districte præcipimus, ut, cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto Consanguinitatis, vel Affinitatis gradu copulari ulterius non præsumant; Statutum, quoad hoc, Generalis Concilii observantes.

De Cognatione
spirituali.

VI. Item in cognationis spiritualis, quæ in Baptismo, et Confirmatione contrahitur, gradibus, servetur id quod in Tridentina Synodo definitum est. In Baptismo videlicet inter suscipientem, et Baptizatum, et illius Patrem, et Matrem, necnon inter Baptizantem, et Baptizatum, Baptizatique Patrem, et Matrem tantum, cognationem contrahi; eamque rursus, quæ ex Confirmatione oritur, Confirmantem, et Confirmatum, illiusque Patrem, et Matrem, ac Tenentem non egredi: omnibus inter alias Personas spiritualis hujus Cognationis impedimentis Matrimonii sublatis.

De Ritu Con-
jugum.

VII. Maritus Latinus Uxoris Græcæ ritum non sequatur.

VIII. Latina Uxor non sequatur ritum Mariti Græci.

ANNO
1742.

IX. Græcus Maritus potest, si velit, ritum Uxoris Latinæ sequi : Item Græca Uxor potest, si velit, sequi ritum Mariti Latini, post cujus obitum, ad ritum Græcum redire nequeat.

X. Quod si nolint, unicuique Conjugum in suo ritu, Catholico tamen, manere permittatur.

XI. Matrimonium inter Maritum Latinum, et Græcam mulierem, latine coram Parocho Latino contrahatur : Inter maritum vero Græcum, et Mulierem Latinam, potest contrahi vel Græce coram Parocho Græco, duobus, vel tribus testibus præsentibus, vel latine coram Latino, ubicumque Maritus Græcus voluerit.

XII. Ejus autem loci, ac ritus Parochus debet assistere, ubi, et quo ritu matrimonium contrahitur.

§. IX.

Ritus Græcus qua ratione in Italia, et Insulis adjacentibus servandus : De Græcorum, seu Albanensium subjectione Episcoporum Latinorum jurisdictioni.

I. QUONIAM Orientalis Ecclesiæ ritus, utpote non minima ex parte a Sanctis Patribus profecti, vel a Majoribus traditi, sic animis Græcorum, aliorumque insederunt, ut Prædecessores nostri Romani Pontifices satius, consultiusque duxerint, ritus hujusmodi, qua in parte nec fidei Catholicæ adversantur, nec periculum generant animarum, aut Ecclesiasticæ derogant honestati, approbare, seu permittere, quam illos ad Romanarum cæremoniarum normam reducere ; idcirco Græcis ipsis, et Albanensibus ritus Græci inter Latinos degentibus, tam Prælati, Parochis, et Presbyteris Sæculari-

Ut Græci in Missis, et Divinis Officiis ritus suos observare valeant nec super his a quorum molestentur.

PONT.
A. II.

bus, quam Regularibus, et Laicis, ut suis ritibus, atque observantiis, sive consuetudinibus uti, ac illos, et illas observare, Missasque, et alia Divina officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare libere, ac licite possint, concedimus, et indulgemus: Nec super his a quoquam Latino Ordinario illos, vel illorum quemlibet molestari, vel inquietari permittimus: Inhibentes omnibus et singulis Prælatiis, aliisque, ne quis ritus, et cæremonias Græcorum in Concilio Florentino, vel alias approbatas blasphemare, aut reprobare, seu improbare ausit.

In quibus debeant Italo-Græci ritum Latinum sequi.

II. Sic vero dictis Græcis, et Albanensibus in suis ritibus permanere concessum esse, atque indultum declaramus, ut quæ a Fidelibus in Diœcesi, ubi ipsi habitant, universim, et sine ullo Personarum, ac rituum discrimine, juxta Sacros Canones servanda sunt, ad eadem etiam ipsi, non obstante rituum diversitate, obligati censeantur.

Kalendarium Grægorianum, quoad Festa, servare tenentur.

III. Cujusmodi sunt in primis Kalendarii Gregoriani observatio, juxta quod iidem Græci, et Albanenses tenentur universalis Ecclesiæ jejunia, et festa celebrare, ut, puta, jejunium quadragesimale, Pascha, Ascensionem Domini, Pentecosten; Natalem Domini, Circumcisionem, Epiphaniam, et cætera hujusmodi, quæ in Latina, et Græca Ecclesia æque celebrantur.

Item Romani Pontificis et Ordinarii Loci nomen in Missis, et Divinis Officiis commemorare; non autem Antistitum Orientalium.

IV. Deinde Summi Romani Pontificis, et Ordinarii Loci in Missis, ac Divinis Officiis commemoratio; non Patriarcharum, neque Antistitum Orientalium, quibus nulla est in Italia, et adjacentibus Insulis jurisdictio: ubi tamen Græco Catholico Antistiti, ex licentia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii Loci, Pontificalia exercere permittitur, ejus quoque nomen juxta Græcorum morem post Summum Romanum Pontificem, et Ordinarium Loci commemorare liceat.

V. Tum subjectio omnibus, et singulis Romanorum Pontificum Constitutionibus, contra Solicitantes præsertim in Confessione editis, quæ in singulas Nationes universim vires suas extendunt, ac Latinos æque, ac Græcos sua amplitudine comprehendunt.

ANNO
1742.

Subjiciuntur Constitutionibus contra Solicitantes in Confessione editis.

VI. Demum dies Festos de præcepto Latinæ, ubi degunt, Ecclesiæ servare tenentur.

Dies festos de præcepto Latinæ Ecclesiæ observare tenentur. Possunt, si velint, Latinæ Ecclesiæ jejunia, et vigiliis servare, non tamen ad id cogi debent.

VII. Ad observationem autem jejuniorum, et vigiliarum ejusdem Latinæ Ecclesiæ, si tota Loci illius Græcorum communitas, vel potior Laicorum pars cum Parochis, et Presbyteris conjuncta induci posset, optimum esset; idque absque alia Sedis Apostolicæ dispensatione, arbitrio Ordinariorum relinquimus Latinorum: Non tamen ad id cogi debent, si velint ritum suum in jejuniiis sequi; cum ipsi qualibet hebdomada feria quarta, et feria sexta, ut asseritur, soleant jejunare; neque privatis personis fas sit, ubi Parochiam Græcam habent, ibi, contra proprium ritum, Latinorum more jejunia, et vigiliis servare; sed omnes vel græce cum Græcis, vel latine cum Latinis jejunent. Ubi vero propriam Parochiam non habent, ibi libere, et licite possunt in omnibus latino ritui sese conformare, sive Laici sint, sive Presbyteri, excepto Græco ritu, qui in Missis, ac Divinis Officiis a Presbyteris est servandus.

VIII. Hinc ubi Parochiam Græcam habent, tolerandus est apud Græcos esus carni-um die Sabbati, si sine scandalo fieri potest; in locis autem ipsorum, et inter eos tantum.

Tolerandus esus carni-um die Sabbati apud Italo-Græcos,

IX. Prohibentur tamen Græci suis Familiis Latinis cibos vetitos apponere, sive die Sabbati, quando præfatis Græcis carnes comedere licet, sive alio quocumque tempore, quo Latini debent ab illis abstinere;

Latini Famuli Græcorum, Latinum ritum debent servare.

PONT.

A. II.

Latini enim Famuli Græcorum latinum ritum servare tenentur.

Non sunt cogendi ad jejunandum die Sabbati, præter Sabbatum Sanctum.

X. Item tolerandum est, ut ad jejunium eodem die Sabbati in Quadragesima, excepto uno Sabbato Sancto, ex antiqua traditione, non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

Jejunium a Latinis die Sabbati indictum ad aliam diem pro Italo-Græcis ab Ordinariis Latinis transferri conceditur.

XI. In jejuniis quoque biduanis, vel triduanis, vel aliàs a Diœcesanis, vel in Jubilæis a Summo Pontifice Romano indictis, dies Sabbati in eis comprehensus, vel præscriptus, in alium diem pro Græcorum plebe ab ipsis Diœcesanis Apostolica Auctoritate permittitur commutari.

Italo-Græcis in tota Italia, et Insulis adjacentibus permittitur, ut in Quadragesima, et aliis ipsorum jejuniis, piscibus, oleo, et vino uti possint.

XII. Verum quia pro parte dilectorum Filiorum Græci ritus in Corsica habitantium Nobis nuper humillime preces porrectæ fuerunt, ut Auctoritate Apostolica declararem, ipsos non teneri ad abstinentiam a piscibus sanguinem habentibus, oleo, et vino, tam in Quadragesima, quam in quartis, et sextis Feriis, et in aliis anni jejuniis, vel, si ad abstinentiam hujusmodi tam ex præcepto, quam ex consuetudine Ecclesiæ Græcorum, ut Nobis exponitur, tenerentur, cum iis eadem auctoritate dispensare dignaremur, ut piscibus, oleo, et vino in dictis quartis, et sextis Feriis, et in Quadragesima, aliisque per annum occurrentibus jejuniis, vesci ipsis liceret. Nos paternæ Pontificiæ charitatis, quæ novit imbecillitates infirmorum sustinere, non immemores, tam dictis Græcis in Corsica habitantibus, quam omnibus et singulis Albanensibus, et Græcis, qui in Italia, et Insulis adjacentibus commorantur, tenore præsentium, ut ad instar Latinorum, in quorum Diœcesibus degunt, in memoratis Quadragesima, quartis, et sextis Feriis, et reliquis anni jejuniis, vino, oleo, et piscibus cujuscumque generis possint uti, concedimus, et indulgemus. Atque Literas

ANNO
1742.

Clementis Papæ XII. Prædecessoris nostri in forma Brevis datas ad Abbatem, et Monachos Monasterii Ordinis Sancti Basilii Magni Ritus Græci Orientalis Terræ Dimidii Jussi Panormitanæ Diœcesis, pro Monachis Græcis, et Epirotis eorundem Ordinis, et Ritus fundati, quibus concessit, ut piscibus sanguinem habentibus libere, et licite nonnullis anni quadragesimis vesci possint, non obstantibus ritus Græci ordinationibus, hac nostra Constitutione confirmamus, et roboramus.

XIII. Cum autem Sedi Apostolicæ semper curæ fuerit Græcum ritum custodire, illiusque abolitionem nunquam intenderit, aut in animo habuerit: Hinc Nos, Prædecessorum nostrorum exemplo, quantum cum Deo largiente possumus, conservationi rituum Græcorum intenti, neque expedire ducimus, neque facultatem facimus, ut Latini Ordinarii juxta ritum Latinum ad Sacerdotium promoveant aliquem Italo Græcum Diœcesanum, qui Græcorum more baptizatus fuerit, atque etiam vixerit, ut scilicet Græcorum plebi Latino ritu ipse ministrans præsit: præsertim quia id Græcis plebibus nullam utilitatem affert, quibus magis acceptus Parochus esse solet, si eundem cum ipsis Ritus Græcum colat, quam si Latinum sequatur.

XIV. Sed in Terris, seu Locis, et Casilibus Græcorum, et Albanensium, seu in quibus fuerint Græci, vel Albanenses, sive sint indigenæ, sive ex Græciæ Provinciis, et Insulis, vel ex Epiri, et Albanæ partibus, aut aliàs undequaque advenerint, Græco ritu in præsentiarum usque viventes; ad illorum Ecclesias, seu curam animarum exercendam, non Latini, neque Latinis orti Parentibus, aut latino more viventes, ad eundem Ritus Græcum initentur, sed Græci, vel Albanenses ritus Græci

Ne Italo-Græci a Latino Diœcesano Episcopo latine ordinati Plebibus Italo-Græcis præficiantur.

Sed Græci, vel Albanenses, Catholici tamen, sive advenæ, sive indigenæ, Græco ritu viventes præficiantur.

PONT.
A. II.

respective, Catholici tamen, et alioquin idonei, et sufficientes, atque alias qualitates a Sacris Canonibus habentes, sive sint indigenæ, sive, in defectu indigenarum, etiam advenæ, ordinentur, et eorundem Græcorum, seu Albanensium animarum curæ præficiantur.

Presbyteri Latini, nisi vocati, non se immisceant Græcorum functionibus.

XV. Cæterum ad tollendam omnem rituum commixtionem, et confusionem, Presbyteri, et Clerici Latini Ecclesiis Græcorum neque Missas celebrare, neque funeribus, nuptiis, ac Baptismis, et aliis Græcorum actibus publicis, et privatis interesse, aut sese immiscere, nisi ad hæc specialiter per ipsos Græcos vocati fuerint, audeant, vel præsumant.

Presbyteri, et Clerici Græci Missas et Divina Officia in Ecclesiis Latinorum cum solemnitatibus et cantu celebrare prohibentur absque Episcopi licentia.

XVI. Nec Presbyteri, et Clerici Græci in Ecclesiis Latinorum, inconsulto Episcopo, cui illæ subiciuntur, vel ejus in Spiritualibus Vicario Generali, Missas, et alia Divina Officia cum solemnitatibus, et cantu celebrent. Ut autem præfatus Episcopus, sive Vicarius Generalis, præfatum licentiam rite concedere valeant, nulla præcisa necessitas pro causa requiritur, sed satis est, ut aliqua spiritualis utilitas inde speretur.

In præcedentibus Clericorum Latinorum, et Græcorum, non attenditur diversitas ritus, sed tempus Ordinationis vel qualitas Ecclesiasticæ Dignitatis.

XVII. Cum inter Latinos, Græcosque Clericos, in processionibus, sessionibus, aliisque Ecclesiasticis solemnitatibus, quas ex consuetudine, aut proprio arbitrio, et voluntate promiscuo usu peragere solent, lites quandoque, et controversiæ quibus charitas, et mutua animorum concordia violantur, ob præcedentiæ ordinem exoriantur, quia Græci Latinis, et Latini Græcis præcipuum locum dare renuunt; has in posterum dirimere, atque amputare volentes, præcipimus, ut in præcedentiis hujusmodi, nisi consuetudo aliter obtineat, non attendatur ritus Græci, et Latini diversitas, sed tempus Ordinationis prædictorum Clericorum, vel qualitas Ecclesiasticæ digni-

tatis, si aliqui eorum ea insigniti reperiantur, vel cæteræ qualitates, quæ jure suo in præfatis solemnitatibus principem locum sibi vindicari solent.

XVIII. Quia in Ecclesiasticis Græcorum libris nonnulli errores irrepsere, quibus primævam Ecclesiæ Græcæ puritatem fraude potissimum, ac dolo Schismaticorum corruptam esse, Orthodoxi dolent: Ideo Pastoralem Latinorum Ordinariorum, in quorum Diocæsis iidem Græci, et Albanenses degunt, vigilantiam per præsentis nostras literas excitamus, ut omni ope, et studio curent, non aliis Græcos ipsos, seu Albanenses tam Prælatos, ac Presbyteros Sæculares, quam Regulares, Ecclesiasticis libris in Sacramentorum administratione, et Missis, Divinisque Officiis celebrandis uti, nisi iis, qui per Congregationem a Sancta Sede Apostolica emendationi librorum hujusmodi deputatam, correcti, typisque impressi fuerint.

XIX. Ita autem Græcos, seu Albanenses in suo ritu, ut præfertur, permanere, Græcasque cæremonias custodire permittimus, ut Latinorum Episcoporum, in quorum Diocæsi degunt, jurisdictioni subjecti censeantur. Itaque Græci, seu Albanenses ritus Græci, tam Ecclesiastici, et Regulares, quam Laici, in utraque Sicilia, vel aliis Italiæ partibus, Insulisque adjacentibus comorantes, cum suos Ordinarios Græcos non habeant, non obstantibus quibuscumque exemptionibus, aliisque privilegiis dictis Græcis, eorumque Prælati, Rectoribus, Abbatibus, et aliis tam Sancti Basilii, et alterius Ordinis Regularibus, qui privatam vitam ducunt, nec in Congregationem sunt redacti, quam Sæcularibus, ac etiam Laicis Personis quocumque nomine nuncupatis, per fel. rec. Leonem X. Paulum III. Julium etiam III. et forsitan alios Romanos Pontifi-

Non nisi Ecclesiasticis Libris per Congregationem a S. Sede eorundem emendationi deputatam correctis utantur.

De Italo-Græcorum subjectione Episcopis Latinis, in quorum Diocæsi degunt.

PONT.
A. II.

ces, et Sedem Apostolicam, in genere, vel in specie hactenus concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis; ita Latinis Ordinariis Locorum quæ habitant, debent esse subjecti, ut ipsi Locorum Ordinarii quascumque eorundem Græcorum, et Albanensium Ecclesias, Monasteria, Prioratus, et alia pia Loca, tam Sæcularia, quam cujusvis Ordinis Regularia, eorumque Prælatos, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, ac majori dignitate præfulgeant, necnon Abbates, Rectores, Ministros, et quasvis alias ejusdem Nationis Personas in suis Civitatibus, et Diœcesibus consistentia, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam Ordinariam jurisdictionem, plenamque, et omnimodam auctoritatem, in iis, quæ Dei cultum, Sacramentorum administrationem, ac animarum salutem, hæresumque extirpationem concernunt, exercere, et exequi libere, et licite valeant; reliquis ipsorum Græcorum, et Albanensium, in Divinis celebrandis, aliisque ritibus a Sede Apostolica approbatis, necnon privilegiis, et gratiis Apostolicis intactis remanentibus: Nec ipsis Græcis, et Albanensibus Clericis, vel Laicis, eorumque Prælati, Ecclesiis, Cænobiis, aut aliis piis Locis dictas exemptiones, seu privilegia in aliquo suffragari, sed illos omnes, et singulos Locorum, in quibus moram traxerint, Ordinariorum visitationi, correctioni, punitioni, jurisdictioni, et omnimodæ auctoritati in præmissis subesse, illisque

Ubi duo Episcopi sunt ejusdem Loci, Episcopus Latinus Latinorum, Græcus Græcorum dumtaxat jurisdictionem et curam habent.

tanquam Superioribus suis, suarumque animarum Pastoribus humiliter obedire.

XX. Ubi vero duo essent Episcopi ejusdem Loci a Sancta Sede Apostolica deputati, unus Latinus, alter Græcus, (quemadmodum in Calabriae partibus, et in Sicilia olim fuisse perhibentur, et nunc in quibusdam Græciæ insulis existunt); Episcopus Latinus de Personis Ecclesiasticis, et Sæcu-

A N N O
1742.

laribus Græcis, ac de jurisdictione Episcopi Græci, vel aliis quibuscumque ad Episcopum Græcum quomodolibet spectantibus, nullatenus se intronittere præsumat; sed Episcopus Latinus Latinorum, Episcopus vero Græcus Græcorum dumtaxat curam, regimen, et jurisdictionem respective habeant, et exercent. Id, quod de Episcopis Græcis pro ordinatione Italo-Græcorum, Romæ, vel in Calabria per Sedem Apostolicam, ut supra diximus, constitutis, minime intelligendum esse declaramus: cum ii facultatibus Ordinariorum careant, nec quemquam ex iis, qui non sunt Alumni Collegii Græcorum Romæ, et Collegii Italo-Græcorum, seu Albanensium in Calabria, ad primam Tonsuram, aut ullum Ordinem sive Minorem, sive Majorem, nisi cum dimissionis sui Ordinarii, promovere valeant.

XXI. In Diœcesi, ubi Latini, et Græci inhabitant, et solum Archiepiscopum, sive Episcopum Latinum Ordinarium habent, dictus Archiepiscopus, sive Episcopus, circa negotia, et causas dictorum Græcorum, Vicarium Græcum ipsis Græcis gratum, vel per ipsos Græcos eligendum (ex quo Græcus Vir melius Græcos mores novit, quam Latinus) ipsorum stipendio, et salario retinendum deputet; et in causis appellationis ad Metropolitanum, qui forsitan Græcus non esset, dictus Metropolitanus similiter in dictis causis Judicem Græcum deputare teneatur.

XXII. Ordinationes demum, et Instituta Regularia Sanctorum Patrum, de vita et statu Monachorum, ab Abbatibus, et Monachis Græcis, qui in Italia, et Insulis adjacentibus privatim degunt, nec Regulam Monachorum Ordinis Sancti Basilii in Congregationem reductorum sunt professi, præcipimus inviolabiliter observari; eosque omnes, et singulos Jurisdictioni Ordinario

Episcopus Latinus circa causas Græcorum Vicarium Græcum ipsius salario retinendum deputet.

De Monachorum, seu Calogerorum Institutis.

PONT.
A. II.

rum Latinorum subjicimus; mandantes insuper, ut quæcumque supra, circa rituum Græcorum observantiam, præscripta sunt, adamussim exequantur.

Salvis privilegiis a Sede Apostolica concessis Collegio Græcorum de Urbe, Seminario Corsino in Calabria, et Cong. Monachorum S. Basilii in Italia.

XXIII. Salvis tamen, et in suo robore semper remanentibus privilegiis, quæ a Summis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, Gregorio XIII. Sixto V., Clemente VIII., Paulo V., Urbano VIII., Innocentio X., Clemente XII., et forsitan aliis, tam Collegio Pontificio Græcorum de Urbe, et Seminario Corsino in Calabria. quam Congregationi dilectorum Filiorum Monachorum Ordinis Sancti Basilii in Italia, concessa sunt, et indulta, quibus derogare non intendimus.

Quæ in hac Constitutione sunt disposita quoad Italo-Græcos, non præjudicant Constitutionibus Apostolicis, Decretis Synodalibus, et aliis Statutis circa ritus Græcorum in Oriente sub Catholicis Episcopis commorantium, vel aliarum Nationum cujuscumque ritus a Sede approbati, seu permissi.

XXIV. His insuper, quæ superius in quacumque parte Italo-Græcis concessimus, indulsumus, declaravimus, præcepimus, ordinavimus, et interdiximus, seu prohibuimus, Græcorum in Oriente sub propriis Catholicis Episcopis, Archiepiscopis, vel Patriarchis commorantium, et aliarum Christianarum Nationum quorumcumque Rituum a Sancta Sede approbatorum, seu permissorum, juribus qualibuscumque, si quæ illis de jure, vel ex consuetudine, vel aliàs quomodolibet legitime competant: aut Apostolicis Constitutionibus, vel Conciliorum Generalium, aut particularium, seu Congregationum Venerabilium Fratrum Nostorum S. R. E. Cardinalium Decretis, quæ super Ritibus Græcorum, seu aliorum Orientalium emanarunt, ullo pacto præjudicatum, vel præjudicium ullum quantumvis minimum illatum esse non intendimus; idque expresse declaramus, et pro declarato, et in qualibet hujus nostræ Constitutionis, seu dispositionis parte pro repetito haberi volumus, et mandamus.

§. X.

Clausulæ.

DECERNENTES præsentés literas, et in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, seu quopiam alio defectu, notari, seu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, seu invalidari, aut in jus, vel controversiam vocari, aut adversus eas, et ea quodcumque juris, et facti, vel justitiæ, et gratiæ remedium intentari, impetrari, vel concedi ullatenus posse, sed ab omnibus, quos concernunt, et concernent quomodolibet, quacumque dignitate, et honore fulgentibus in futurum inviolabiliter observari debere.

Decretum

irritans,

Sicque et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, ac Commissarios, quavis auctoritate fungentes, ac etiam S. R. E. Cardinales, et de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nihil in-

novetur,

inconsult-

a S. Sede

Mandantes universis, et singulis Venerabilibus Fratribus, Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis Latinis, in quorum Diœcesibus Italo-Græci hujusmodi degunt, ut in suis Synodis, Constitutionibus, statutis, edictis, decretis, seu aliis quibuslibet mandatis, et monitis, circa eorum ritus, observantias, et consuetudines, præter id quod in nostris hisce literis expresse et explicite continetur, nihil aliud, nisi consulta prius S. Sede Apostolica, moneant, edicant, decernant, constituent, præcipiant, seu mandent.

Deroga-

tiones.

Non obstantibus Prædecessorum Nostrorum Literis, aliisque præmissis, necnon Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Consiliis editis generalibus, vel specialibus circa Italo-Græcos hujusmodi, eorumque Ritus,

PONT.
A. II.

observantias, mores, ac consuetudines, Constitutionibus, et Ordinationibus. ac etiam Communitatum. Monasteriorum, et Ecclesiarum prædictorum, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis eisdem Italo-Græcis, illorumque Communitatibus, vel singulis eorum Personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam per modum Statuti perpetui, etiam Motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, etiam iteratis vicibus, ac etiam cum quibusvis derogatoriis derogatoriis. aliisque efficacioribus, et efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, eorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplum
rum Fi-
des.

Volumus autem, quod præsentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur in Judicio, et extra, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostri decreti, constitutionis, declarationis, inhibitionis, prohibitionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ mille-

imo septingentesimo quadragesimo secundo, ANNO
 septimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri 1742.
 anno secundo.

P. Card. Pro-Datarius.

Dat. die
 26. Maji
 1742.

D. Cardinalis Passioneus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✕ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 2. Julii ejusdem anni.

APPROBATIO

LVIII.

Publici cultus ab immemorabili tempore exhibiti B. Joannæ Valesiæ olim Reginæ Franciæ, et Fundatrici Ordinis Sanctissimæ Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXPOXI Nobis nuper fecit dilectus filius Marcus Antonius Gravois Frater expresse professus, ac Diffinitor Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, necnon Postulator Causæ Canonizationis Beatæ Joannæ Valesiæ, quod dudum fel. recordat. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster, postquam Processus auctoritate Ordinaria anno MDCXVII. operacti super fama Sanctitatis, Virtutum, et Miraculorum ejusdem Beatæ Joannæ Valesiæ, dum vixit, Francorum Reginæ, ac Ordinis An-

Summa-
 rium præ-
 cum.
 Acta sub
 Urbano
 VIII.

PONT. nunciatarum Beatæ Mariæ Virginis Fundatricis ,
 A. II. in Congregatione Venerabilium Fratrum tunc
 existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardina-
 lium Sacris Ritibus præpositorum discussi fue-
 rant , per suam Commissionem manu propria
 signatam hujusmodi Causam eidem Congrega-
 tioni Cardinalium cognoscendam , et discutiendam
 demandavit ; cujus commissionis vigore ab
 eadem Congregatione , seu a bo. mem. Carolo ,
 dum pariter vixit , Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præ-
 fatæ Cardinali Pio nuncupato tunc dictæ Con-
 gregationis Præfecto die 13. Jan. MDCXXXII.
 literæ remissoriales pro inquisitione in genere
 tunc itidem existentibus Archiepiscopo Bituri-
 censi , et Episcopis Aurelianensi , et Nivernensi
 directæ , concessæ , et expeditæ fuerunt. Coram
 autem Archiepiscopo , et Episcopis præfatis
 Processu hujusmodi confecto , atque Anno
 MDCXXXIII. memoratæ Congregationi Cardi-
 nali præsentato , nihil amplius tunc tempo-
 ris in eadem Causa actum fuit , ob Decreta
 memorati Urbani Prædecessoris Anno MDCXXV.
 edita , et MDCXXXIV. de novo proposita , su-
 per non exhibendo cultu iis , qui cum Sancti-
 tatis , vel Martyrii fama ab hac vita migrassent ,
 seu super casu ab iisdem excepto.

Item sub §. 1. Præterea successu temporis cum fama
 Alex. VII. Sanctitatis , una cum miraculis , quæ Omnipotens
 Deus ob merita , et ad intercessionem dictæ
 Beatæ Joannæ Valesiæ operari dignabatur , quam-
 plurimum increbuisset , atque in dies increbes-
 ceret , clar. mem. Ludovicus , dum pariter vixit ,
 Rex Christianissimus , et Anna ab Austria Regina
 Mater , iteratis precibus , ac literis datis ,
 a fel. record. Alexandro Papa VII. itidem Præ-
 decessore nostro postularunt , ut ad ejusdem
 Servæ Dei Joannæ Valesiæ Beatificationem , et
 Canonizationem procedi posse benigne indulgere
 dignaretur. Idem Alexander Prædecessor die xx.
 Junii 1664. Commissionem reassumptionis Causæ
 præfatæ subsignavit , ac Anno 1680. dicta Con-
 gregatio Cardinalium remissoriales , et compul-
 soriales

soriales literas concessit, ac ad tunc quoque existentem Archiepiscopum Bituricensem direxit, pro confectione Processus particularis super cultu a tempore immemorabili eidem Joannæ Valesiæ exhibito, et casu excepto a memoratis Urbani Prædecessoris Decretis.

ANNO
1742.

§. 2. Ob legitima pro tempore existentium Archiepiscoporum Bituricensium hujusmodi impedimenta, memoratis literis executionis minime demandatis, quinimo ob temporis cursum perditis, proinde Anno MDCCXXXVIII. illarum Duplicatum ad Venerabilem Fratrem modernum Archiepiscopum Bituricensem fuit directum, cujus vigore idem Archiepiscopus Judex Delegatus super eisdem publico cultu ab immemorabili tempore præfatæ Joannæ Valesiæ exhibito, necnon casu, ut præfertur, excepto sententiam protulit.

Recens
sententia
Archiepi-
scopi Bi-
turicensis
super cul-
tu imme-
morabili.

§. 3. Proposito itaque in eadem Congregatione Cardinalium Dubio: *An sententia supradicta esset confirmanda, in casu, et ad effectum de quo agebatur; ipsa Congregatio Cardinalium edidit Decretum tenoris sequentis, videlicet: Bituricen. Canonizationis Beatæ Joannæ Valesiæ olim Reginae Franciæ, et Fundatricis Ordinis Sanctissimæ Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis sub Regula Sancti Francisci. Proposita ex dispensatione Apostolica per Eminentissimum, et Reverendissimum Dominum Cardinalem de Tencin Ponentem, ad instantiam P. Marci Antonii Gravois Diffinitoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Postulatoris specialiter deputati, in Congregatione Ordinaria absque interventu Consultorum, Causa Canonizationis Beatæ Joannæ Valesiæ prædictæ, atque in ea discussio dubio: An sententia Reverendissimi Archiepiscopi Bituricensis Judicis a Sacra Rituum Congregatione Delegati, lata super publico cultu ab immemorabili tempore prædictæ Beatæ exhibito, sive super casu excepto a Decretis fel. recordat. Urbani Papæ VIII. sit confirmanda in casu, et ad effectum, de quo agitur: Sacri*

Ea con-
firmatur
Decreto
Congre-
gat. Sacro-
rum Ri-
tuum.

PONT. *eadem Congregatio, R. P. D. Ludovico de Va-*
 A. II. *lentibus Fidei Promotore in scriptis, et in voce*
prius audito, rescribendum censuit: Affirmative,
si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Hac
die XIV. Aprilis 1742. Factaque deinde per me
Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino
Nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit
die XXI. ejusdem mensis, et anni.

F. J. A. Cardinalis Guadagni Pro-Præf.

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secr.

Loco ✠ Sigilli.

Confir-
 matio A-
 postolica. §. 4. Quoniam autem dictus Marcus Antonius
 Postulator, quo Decretum hujusmodi firmiter
 subsistat, et servetur exactius, Apostolicæ con-
 firmationis nostræ patrocínio communiri sum-
 mopere desiderat: Nobis propterea humiliter
 supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune
 providere, et ut infra indulgere de benignitate
 Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Marcum
 Antonium Postulatorem specialibus favoribus,
 et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis ex-
 communicationis, suspensionis, et interdicti,
 aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et
 pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione,
 vel causa latis, si quibus quomodolibet inno-
 datus existit, ad effectum præsentium dumtaxat
 consequendum harum serie absolventes, et ab-
 solutum fore censentes, hujusmodi supplicatio-
 nibus inclinati, præinsertum decretum super
 publico cultu ab immemorabili tempore præ-
 dictæ Beatæ Joannæ Valesiæ exhibitò editum,
 auctoritate Apostolica tenore præsentium ap-
 probamus, et confirmamus, illique inviolabilis
 Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva ta-
 men semper in præmissis auctoritate Congrega-
 tionis eorundem Cardinalium.

Clausulæ. §. 5. Decernentes easdem præsentibus literas
 firmas, validas, et efficaces existere, et fore,
 suosque plenarios, et integros effectus sortiri,
 et obtinere, ac illis ad quos spectat, et specta-

bit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

ANNO
1742.

§. 6. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris die XVIII. Junii MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno II.

Exem-
plorum
auctori-
tas.

Dat. die
18. Junii
1742.

Pro D. Card. Passioneo.

Cajetanus Amatus.

mmmm

POST.
A. II.

LIX.

DE RITIBUS

Seu Cæremoniis Sinensibus : Confirmatur Constitutio Clementis Undecimi, incip. *Ex illa die*. Permissiones quædam publicatæ a bon. mem. Carolo Ambrosio Mediobarbo Patriarchâ Alexandrino, reprobantur, et annullantur : Præscribitur nova formula Juramenti a Missionariis præstandi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordi-
um.

Fidei pro-
pagatio ab
Apost. Se-
de promo-
ta in Sina-
rum Im-
perio.

EX quo singulari providentia factum est, ut Orientalium, et Occidentalium Indiarum Regiones Europæ innotescerent, Apostolica Sancta Sedes, quæ ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Evangelicæ veritatis lumen ubique diffundere, et illud ab omni erroris umbra servare maximo studio curavit, in his quoque novissimis temporibus Evangelicos Operarios in antedictas Regiones sedulo misit; ut Idololatria ibi late dominante funditus eradicata, Christianæ Fidei semen opportune spargerent, atque horrentes illos, et incultos campos in fertile florentesque vineas, uberrimos æternæ vitæ fructus daturas, commutarent. Ex Regionibus autem illis, quas Sancta Sedes præ cæteris ante oculos habuit, fuit profecto amplissimum Sinarum Imperium : in quo quidem negari non potest, quin Christiana fides progressus ingentes fecerit, longe etiam majores factura, nisi coorta inter Operarios a Sancta Sede illuc missos dissidia, cursum interciderent.

Dissidia inter Mis- §. I. Occasionem dissidiis ejusmodi dederunt Cæremoniæ quædam, et Ritus, quibus Sinenses,

ad Confucium Philosophum, et Majores suos honoribus prosequendos, uti consueverunt: cum nonnulli ex Missionariis contenderent, eas esse Cæremonias, et Ritus mere civiles, adeoque concedendos iis, qui relicto Idolorum cultu, Christianam Religionem amplectebantur; contra vero alii eos, utpote superstitionem olentes, sine gravi Religionis injuria permitti nullo modo posse assererent. Quæ sane controversia multis annis Apostolicæ Sedis curam, et sollicitudinem ad se traxit; cum id maxime caveat, ne zizania in agro Dominico radices agant, aut, si forte egerint, eæ, quam cito fieri potest, evellantur.

ANNO
1742.
Missionarios
circa Cæremonias
Sinensium, et
præcipue
circa cultum erga
defunctos

§. 2. Primo itaque ad Sanctæ Sedis Tribunal Causam hanc detulerunt ii, qui Cæremonias illas, et Ritus Sinicos superstitione imbutos suspicabantur. Super illis Dubia nonnulla proposita fuerunt Congregationi de Propaganda Fide, quæ anno 1645. comprobavit responsa, ac decisiones Theologorum, qui Cæremonias, et Ritus eosdem superstitione revera infectos judicarunt. Proinde Innocentius Papa X. ad præfatæ Congregationis preces, omnibus et singulis Missionariis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sibi, ac Sanctæ Sedi reservatæ, mandavit, ut responsa, ac decisiones prædictas omnino observarent, easque ad praxim deducerent, donec sibi, et Apostolicæ Sedi aliter visum non esset.

Prima
decisio
Congr. de
Propag.
Fide, sub
Innoc. X.

§. 3. Verum paulo post ab aliis ejusdem Missionis Operariis alia Dubia de iisdem Ritibus, et Cæremoniis ipsimet Congregationi de Propaganda Fide fuerunt exhibita, ex quibus Cæremoniæ ipsæ, Ritusque nullam in se superstitionem habere videbantur. Negotium itaque hujusmodi ab Alexandro Papa VII. Sacræ Inquisitionis Congregationi commissum fuit: quæ, prout varia, diversaque ratione fuerat sibi de eisdem Cæremoniis expositum, alias quidem, tamquam mere civiles, et politicas, esse permittendas, alias vero minime tolerari posse ju-

Alteram
Congreg.
S. Inqui-
sitionis sub
Alexan.
VII.

PONT. dicavit; idemque Alexander Pontifex an. 1656.
A. II. hanc sententiam probavit, et confirmavit.

Alia re- §. 4. Sed ecce tertio ad Sanctam Sedem hæc
solutio e. eadem controversia. Cum plura Dubia Sacræ
jusdem Inquisitionis Congregationi proposita fuissent,
Cong. sub illud quoque ab ea quæsitum fuit, utrum adhuc
Clem. IX. vigeret Innocentii Papæ X. præceptum, quo
sub pœna excommunicationis latæ sententiæ
mandabat observantiam responsionum, ac de-
cisionum, quæ a Congregatione de Propaganda
anno 1645., ut supra dictum est, emanaverant.
Præterea, an, stantibus recens expositis dubiis,
earum praxis retinenda foret: cum præsertim
obstare videretur Decretum Sacræ Inquisitionis;
quod ab ea emanavit anno 1656. super quæsitis
nonnullis, diversa ratione, aliisque circumstan-
tiis propositis ab Operariis Apostolicis in Sina-
rum Regno commorantibus. Respondit ad hæc
Sacra Inquisitionis Congregatio anno 1669, præ-
fatum Congregationis de Propaganda Fide De-
cretum adhuc vigere, habita ratione rerum,
quæ fuerunt in dubiis expositæ; neque illud
fuisse circumscriptum a Decreto Sacræ Inquisi-
tionis, quod anno 1656. emanavit; immo esse
omnino observandum juxta quæsitæ, circum-
stantias, et omnia ea, quæ in antedictis Dubiis
continentur. Declaravit pariter, eodem modo
esse observandum prædictum Sacræ Congrega-
tionis Decretum anni 1656. juxta quæsitæ, cir-
cumstantias, et reliqua in ipsis expressa. Hoc
autem Decretum Clemens Papa IX. comprobavit.

Innoc. §. 6. Cum autem omnia præfata Decreta pro
XII. no- varia rerum expositarum ratione fuerint facta,
vum exa- ac promulgata, tantum abfuit, ut Rituum Sinen-
men Cau- sium controversia finem obtineret, ut magis
sæ in ea- illa vires, et incrementum acquireret. Nam
dem Con- scissis Evangelicis Operariis in partes, adducta
greg. in- res fuit in acriorem animorum, ac sententia-
staurari rum contentionem. Atque hinc, non sine gravi
jubet. scandalo, magnoque Fidei damno, consecuta
est prædicatio non uniformis, et non eadem
ubique Christianorum illorum disciplina, et in-

stitutio. De his autem absurdis certior factus Innocentius Papa XII. Prædecessor noster, id muneris sui omnino esse putavit, ut perniciosis adeo dissidiis finis daretur; proinde exactam, maximeque accuratam totius hujus controversiæ discussionem Sacræ Inquisitionis Congregationi commisit. Cumque nihil intentatum reliquisset, quo sinceram facti notitiam obtineret, firmata quoque fuerunt de illius mandato summa cum diligentia Quæsitæ, quæ per eandem Sacram Congregationem resolverentur.

§. 6. Quæditorum illorum examen Innocentii Papæ XII. mors intercepit. Clemens autem XI. qui successit, Prædecessoris sui zelo plenus, coram se quæditorum eorundem examen fieri voluit. Quamobrem post diuturnam, maturam, et accuratissimam rei discussionem, post auditas ex utraque parte rationes, quibus libere producendis unicuique locus amplissimus datus fuit, idem Clemens Papa Undecimus an. 1704. confirmavit, et Apostolica auctoritate comprobavit præmemoratae Sacræ Congregationis responsiones ad omnia, et singula quæsitæ proposita, quibus Ritus Sinensis, utpote superstitione imbuti, prohibeantur; mandavitque, præfatas responsiones ad Carolum Thomam de Tournon Antiochiæ Patriarcham, Commissarium, et in Sinarum Regno Visitatorem Apostolicum transmitti; ut nimirum exactam earundem observantiam omnibus, et singulis Missionariis, pœnis quoque Canonicis in refractarios indictis præciperet.

§. 7. Promulgavit quidem Patriarcha Antiochenus decisionem Apostolicam, addito Decreto, quo ab universis ejus observantiam exigebat. Cum autem illam tentassent eludere, variisque inanibus rationibus effugere ii, qui Sinenses Ritus tamquam politicos, ac mere civiles propugnauerant, prædictus Pontifex Clemens XI. Decreto, quod per Sacræ Inquisitionis Congregationem emanavit anno MDCCX. præcepit omnia confirmat.

ANNO
1741.

Clemens XI. approbat Responsiones Congregation. easque transmittit ad Patriarcham Antioch. Visitat. Apost.

Qui eas publicat. additis præceptis etc.

Clemens XI. iterum omnia confirmat.

PONT. nimodam, et inviolabilem earumdem responsio-
 A. II. num abs se Apostolica auctoritate confirmata-
 rum observantiam, et alia quæ Decreto ipso
 continentur, quod est tenoris sequentis.

Tenor §. 8. *Decretum super omnimoda, ac inviola-*
 Decreti. *bili observatione Responsorum, aliàs in Causa*
Rituum, seu Cæremoniarum Sinensium a Sacra
Congregatione datorum et a Sanctissimo appro-
batorum cum aliis Ordinationibus.

Mandat Feria V. die XXV. Sept. MDCCX. In Con-
 observari gregatione Generali Sanctæ Romanæ, et Uni-
 Decretum versalis Inquisitionis, habita in Palatio Apos-
 editum a tolico Quirinali coram SS. Domino Nostro Domino
 Card. de Clemente Divina Providentia Papa XI. ac
 Tournion. Eminentissimis, et Reverendissimis Dominis
 Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota
 Republica Christiana contra hæreticam pravitatem
 Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apo-
 stolica specialiter deputatis.

Idem Sanctissimus Dominus Noster in Causa
 Rituum, Cæremoniarum Sinensium, auditis,
 tam in Congregationibus anno præterito non se-
 mel, quam in aliis, mense, et anno præsentibus
 pluries corum Sanctitate Sua habitis, præfatorum
 Eminentissimorum, et Reverendissimorum
 Dominorum Cardinalium, qui rem mature, ac
 diligentissime discussissent, sententiis, decrevit,
 et declaravit, responsa alias in Causa hujus-
 modi ab eadem Congregatione data, et a Sancti-
 tate Sua die 20. Nov. 1704. confirmata, et ap-
 probata, necnon Mandatum, seu Decretum ab
 Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Do-
 mino Cardinali de Tournon, tunc Patriarcha
 Antiocheno, Commissario, et Visitatore Aposto-
 lico Generali in Imperio Sinarum die 25. Jan.
 1707. hac de re editum, ab omnibus, et singulis,
 ad quos spectat, inconcusse, et inviolabiliter;
 sub censuris, et pœnis in Mandato, seu De-
 creto hujusmodi expressis, observanda esse, quovis
 contrafaciendi quæsito colore, seu prætextu pe-
 nitus sublato, ac potissimum non obstante qua-
 cumque appellatione a quibusvis Personis, sive

Rejicit
 appella-
 tiones ad
 S. Sedem
 interposi-
 tas.

Secularibus, sive Regularibus, etiam specifica et individua mentione, et expressione dignis ac quavis Ecclesiastica dignitate fulgentibus, ad Sedem Apostolicam interposita, quam propterea Sanctitas Sua rejiciendam esse decrevit, ac re ipsa rejecit.

ANNO
1742.

Porro cum idem Dominus Cardinalis de Tournon in suo Mandato, seu Decreto supradicto, Apostolicæ decisioni die 20. Novembris 1704. latæ se expresse inhaerere professus fuerit, Sanctitas Sua ulterius declaravit, ipsum Mandatum, seu Decretum, una cum censuris in eo contentis, ad normam eorundem responsorum accipiendum esse, itaut nihil per illud responsis præfatis additum, seu detractum fuisse censendum sit, ac omnia, quæ in eis insunt, etiam in Mandato, seu Decreto prædicto inesse intelligantur.

Declarat.
eo decreto
nihil ad-
ditum,
vel detrac-
tum Re-
sponsio-
nibus da-
tis anno
1704,

Cæterum Sanctitas Sua, tametsi non sine ingenti animi sui mærore acceperit, quod humani generis hostis multiplicia in die zizania in latis- simis illis Regionibus superseminare non cessat; non tamen propterea in eis Catholicæ Religionis propagandæ saluberrimum, ac sanctissimum opus nullatenus deserere volens, sed illud majori, qua potest, animi contentione, ac studio, iisque potissimum dissidiis, quibus inibi Christianæ Fidei seges veluti spinis suffocatur, prorsus submotis, ardentius semper, et enixius promovere cupiens, congruam super præmissis, aliisque ad ea pertinentibus instructionem confici, illamque dicto D. Cardinali de Tournon, quatenus adhuc in illis partibus commoretur, sin minus, illi, qui ejus loco deputatus fuerit, necnon Episcopis, et Vicariis Apostolicis, eorundem partium transmitti mandavit, qua non minus debitæ Apostolicorum Decretorum executioni, quam Missionariorum concordia, Evangelicæ veritatis prædicationi, atque animarum saluti opportune consulatur.

Plenio-
rem In-
structio-
nem con-
fici jubet.

Demum, ut nimicæ illi de his rebus scribendi licentiæ, quæ non sine Fidelium scandalo inter Partes diuturna contentione exasperatas invaluit,

Velat pu-
blicari
scripta su

PONT. A. II. per Rit. Sin. absque licentia S. S. *modus imponatur, Sanctitas Sua dictrictè præcepit omnibus, et singulis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis etiam de necessitate exprimendæ, Regularibus, aliisque quibuscumque secularibus Personis, tam Ecclesiasticis, quam Laicis, cujuscumque tandem status, gradus, conditionis, et dignitatis existant, ut in posterum non audeant sub quovis quæesito colore, vel prætextu, imprimere, vel quoquo modo in lucem edere Libros, Libellos, Relationes, Theses, Folia, seu scripta quæcumque, in quibus ex professo, vel incidenter de Ritibus Sinicis hujusmodi, vel de controversiis desuper, seu illorum occasione exortis quomodolibet tractetur, sine expressa, et speciali licentia a Sanctitate Sua, seu pro tempore existente Romano Pontifice in Congregatione supradictæ Sanctæ, et universalis Inquisitionis obtinendæ. Ut autem ejusmodi prohibitio inviolabiliter observetur, eadem Sanctitas sua voluit, et declaravit, contravenientes quoscumque excommunicationis latæ sententiæ, Regulares vero etiam privationis vocis activæ, et passivæ pœnas ipso facto absque alia declaratione incurrere; et nihilominus aliis etiam pœnis Sanctitatis Suæ, et Successorum suorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subjacere. Libros porro, Libellos, Relationes, Theses, Folia, ac Scripta quæcumque, quæ in futurum contra præsentis prohibitionis tenorem edi contigerit (citra ullam aliorum hactenus editorum approbationem, super quibus opportune providebitur,) pro expresse prohibitis haberi voluit, absque alia declaratione, sub pœnis, et censuris in Regulis Indicis Librorum prohibitorum contentis. Impressores vero, præter Scriptorum sic impressorum amissionem, pecuniariis, aliisque corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, teneri mandavit. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.*

Publicata vero prohibet, sub pœnis etc.

*Joseph Bartolus, Sanctæ Romanæ et
Universalis Inquisitionis Not.*



§. 9. At vero, nec Decretum hujusmodi ad ANNO
difficiles animos subjiciendos valuit. Itaque Cle- 1742.
mens idem Papa XI. quo illos tandem aliquando Idem
frænaret, Constitutionem anno 1715. evulga- Clemens
vit, qua solemniter iterum confirmavit antedi- XI. præ-
ctas Sacræ Inquisitionis responsiones, easque fatas Re-
exacte, et ad amussim observari mandavit, sponsio-
præclusis omnibus iis effugiis, quibus perfectam nes edita
earum observantiam contumaces homines aliquo Constitu-
pacto evadere potuissent: et est tenoris, qui tione con-
sequitur: firmat.,
sequitur:

§. 10. *Clemens Papa XI. Præceptum super Tenor
omnimoda, absoluta, integra, et inviolabili Constitu-
servatione eorum, quæ aliàs a Sanctitate Sua in tionis EX
Causa Rituum, seu Cæremoniarum Sinensium ILLA DIE.
decreta fuerunt: cum rejectione quarumcumque
rationum, seu excusationum ad ejusmodi Decre-
torum executionem declinandam allatarum, ac
præscriptione Formulæ Juramenti per Missiona-
rios illarum partium præsentis, et futuros hac in
re præstandi.*

*Clemens Papa XI. Ad futuram rei memoriam. Exordi-
Ex illa die, qua, nullo licet meritorum nostro- um.
rum suffragio, Catholicæ Ecclesiæ gubernacula, Pontificis
hoc est, munus sua amplitudine gravissimum, studium
ac temporum iniquitate molestissimum, Deo sic dirimendi
disponente, suscepimus, nihil Nobis manum clavo controver-
adnoventibus antiquius fuit, quam acerrimas sias super
contentiones jampridem in Imperio Sinarum inter Ritibus
Apostolicos illarum partium Missionarios exortas, Sinen.
semperque in dies magis invalescentes, tam circa
quasdam voces Sinicas, ad sanctum, et ineffä-
bile Dei nomen exprimendum inibi usurpatas,
quam circa nonnullos earum gentium Ritus,
veluti supersticiosos a quibusdam ex Missionariis
prædictis reprobatos; ab aliis vero, utpote eos
civiles tantum asserentibus, permisos, Apostolici
Judicii censura opportune dirimere: ut, sub-
latis dissidiis, Christianæ Religionis, Catholi-
cæque Fidei propagationem turbantibus, omnes
tandem id ipsum dicerent in eodem sensu, et in*

PONT. eadem sententia, unoque ore glorificaretur Deus;
 A. II. ab iis, qui sanctificati sunt in Christo Jesu.

In eum Hoc consilio responsa illa, quæ ad varias
 finem ap- quæstiones super hujusmodi rebus excitatas, præ-
 probavit vio diuturno examine, dudum, videlicet tempore
 Respon- fel. rec. Innocentii Papæ XII. Prædecessoris
 siones, de nostri inchoato, ac deinde jussu nostro per plures
 quibus- annos continuato, auditisque utriusque Partis ra-
 pra. tionibus, necnon complurium Theologorum, et
 Qualificatorum sententiis, ac Congregatione Ve-
 nerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ
 Ecclesiæ Cardinalium in tota Republica Chri-
 stiana Generalium Inquisitorum adversus hære-
 ticam pravitatem auctoritate Apostolica deputato-
 rum data fuerunt, Nos die 20. Novembris 1704.
 eadem auctoritate confirmavimus, et approbavi-
 mus.

Tenor Ea autem, quæ in responsis hujusmodi de-
 Respon- creta fuerunt, sunt quæ sequuntur. » Cum Deus
 sionum. » Optimus Maximus congrue apud Sinas voca-
 De Dei no » bulis Europæis exprimi nequeat, ad eundem
 mine. » verum Deum significandum, vocabulum *Tien*
 » *Chù*, hoc est, Cœli Dominus, quod a Si-
 » nensibus Missionariis, et Fidelibus longo, ac
 » probato usu receptum esse dignoscitur, ad-
 » mittendum esse: nomina vero *Tien* Cœlum,
 » et *Xang Ti* Supremus Imperator, penitus
 » rejicienda.

Ejusque » Idcirco Tabellas cum inscriptione Sinica
 inscriptio » *King Tien*, Cœlum colito, in Ecclesiis Chri-
 ne. » stianorum appendi, seu jam appensas in
 » posterum inibi retineri permittendum non
 » esse.

De cultu, » Ad hæc nullatenus, nullaque de causa per-
 Confucii. » mittendum esse Christifidelibus, quod præ-
 » sint, ministrent, aut intersint solemnibus
 » Sacrificiis, seu Oblationibus, quæ a Sinensi-
 » bus in utroque æquinotio ejuscumque anni
 » Confucio, et Progenitoribus defunctis fieri
 » solent, tamquam superstitione imbutis. Si-
 » militer, nec esse permittendum, quod in
 » Ædibus Confucii, quæ Sinico nomine *Miao*

» appellantur, iidem Christifideles exercent,
 » ac peragant Cæremonias, Ritus, et Oblatio-
 » nes, quæ in honorem ejusdem Confucii sunt
 » tum singulis mensibus in Novilunio et Pleni-
 » lunio a Mandarinis, seu primariis Magistra-
 » tibus, aliisque Officialibus, et Literatis; tum
 » ab eisdem Mandarinis, seu Gubernatoribus,
 » ac Magistratibus, antequam dignitatem ad-
 » eant, seu saltem post ejus possessionem ade-
 » ptam; tum denique a Literatis, qui postquam
 » ad gradus sunt admissi, e vestigio ad Tem-
 » plum, seu Ædem Confucii se conferunt.

» Præterea non esse permittendum Christia-
 » nis, in Templis, seu Ædibus Progenitoribus
 » dicatis Oblationes minus solemnes eisdem fa-
 » cere, nec in illis ministrare, aut quomodoli-
 » bet inservire, vel alios Ritus, et Cæremonias
 » peragere.

» Item, nec esse permittendum præfatis Chri-
 » stianis, Oblationes, Ritus, et Cæremonias
 » hujusmodi coram Progenitorum Tabellis, in
 » privatis domibus, sive in eorundem Proge-
 » nitorum Sepulchris, sive antequam defuncti
 » sepulturæ tradantur, in eorum honorem fieri
 » consuetas, una cum Gentilibus, vel seorsim
 » ab illis peragere, eisque ministrare, aut in-
 » teresse; imo prædicta omnia, utpote quæ,
 » perpensis hinc inde deductis, ne non diligen-
 » ter ac mature discussis omnibus, ita peragi
 » comperta sunt, ut a superstitione separari
 » nequeant, Christianæ Legis cultoribus ne
 » quidem permittenda esse, præmissa publica,
 » vel secreta protestatione, se, non religioso,
 » sed civili, ac politico tantum cultu erga de-
 » functos illa præstare, nec ab eis quidquam
 » petere, aut sperare.

» Non tamen per hæc censendam esse dam-
 » natam præsentiam illam, seu assistentiam
 » mere materialem, quam cum Gentilibus su-
 » perstitiosa peragentibus, citra ullam sive
 » expressam, sive tacitam gestorum approbatio-
 » nem, ac quovis ministerio penitus secluso,

ANNO
1742.

De cultu
Majorum
Defuncto-
rum in
Templis.

Et in do-
mibus, in
sepul-
chris, et
super eor-
um Ca-
daveribus

Præsentia
materia-
lis non
damnatur
in qui-
busdam
casibus
etc.

- PONT. » eisdem superstitiosis actibus quandoque præ-
 A. II. » stari contingat a Christianis, cum aliter odia,
 » et inimiciæ vitari non possunt: facta tamen
 » prius, si commode fieri poterit, Fidei pro-
 » testatione, ac cessante periculo subversionis.
 » Demum permittendum non esse Christifi-
 De Tabel- » delibus, Tabellas defunctorum Progenitorum
 lis Pro- » in suis privatis domibus retinere, juxta illa-
 genitic- » rum partium morem, hoc est cum inscriptione
 rum do- » Sinica, qua Thronus, seu Sedes Spiritus, vel
 mi reti- » Animæ N. significetur; imo nec cum alia,
 nendis. » qua Sedes, seu Thronus, adeoque idem, ac
 » priori, licet magis contracta, inscriptione,
 » designari videatur. Quo vero, ad Tabellas
 » solo defuncti nomine inscriptas, tolerari posse
 » illarum usum, dummodo in eis conficiendi
 » omnia, quæ superstitionem redolent, et se-
 » cluso scandalo, hoc est, dummodo qui Chri-
 » stiani non sunt, arbitrari non possint, Ta-
 » bellas hujusmodi a Christianis retineri ea
 » mente, qua ipsi illas retinent, necnon adjecta
 » insuper declaratione ad latus ipsarum Tabel-
 » larum apponenda, qua, et quæ sit Christia-
 » norum de defunctis fide, et qualis Filiorum,
 » ac Nepotum in Progenitores pietas esse debeat,
 » enunciatur.
- Pietatis » Per præmissa nihilominus non vetari, quo-
 officia non » minus erga defunctos peragi possint alia, si
 supersti- » quæ sint, ab iis gentibus peragi consueta,
 tiosa neu- » quæ vere superstitiosa non sint, nec super-
 tiquam » stitionis speciem præferant, sed intra limi-
 prohiben- » tes civilium, et politicorum Rituum conti-
 tur. » neantur. Porro quænam hæc sint, et quibus
 Eorum » adhibitis cautelis tolerari valeant, tum pro
 examen » tempore existentis Commissarii, et Visitatoris
 Visitatori » Generalis Apostolici, seu ejus vices exercen-
 Apostoli- » tis in Imperio Sinarum, tum Episcoporum,
 co, Epi- » et Vicariorum Apostolicorum illarum partium
 scopis, et » judicio relinquendum esse: qui tamen in-
 Vicariis » terea omni, quo poterunt, studio, ac dili-
 Apost. re- » gentia curare debebunt, ut Gentium Cære-
 linquitur. » moniis penitus sublatis, illi sensim a Christia-

nis, et pro Christianis hac in re usu recipiantur Ritus, quos Catholica Ecclesia pro defunctis pie præscripsit.

ANNO
1742.

Post hæc vero, labente fere sexennio, nempe die 25. Septemb. 1710. auditis iterum dictorum Cardinalium, qui rem mature, ac diligentissime discussissent, suffragiis, eadem responsa, necnon Mandatum, seu Decretum, quod illis expresse inhærendo, a piæ recordationis Carolo Thoma, dum vixit, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali de Tournon nuncupato, tunc Patriarcha Antiocheno, Commissario, et Visitatore Apostolico Generali in præfato Imperio Sinarum, die 25. Januari 1707. editum fuit, ab omnibus et singulis, ad quos spectabat, inconcusse, et inviolabiliter, sub censuris, et pænis in Mandato, seu Decreto hujusmodi expressis, observanda esse decrevimus, et declaravimus, quovis contrafaciendi quæsito colore, seu prætextu penitus sublato, ac potissimum non obstante quacunque appellatione a quibusvis Personis ad Nos, et Sedem Apostolicam interposita, quam propterea prorsus rejiciendam esse similiter decrevimus, ac reipsa rejecimus, prout in Decreto hac de re edito fusius continetur.

Refertur
Decretum
supra in-
sertum
§. 8.

Hæc omnia plene, et abunde sufficere debuissent, ut ea, quæ inimicus homo superseminaverat, zizania ex agro illo radicitus evellerentur, Fidelesque omnes nostris et hujus S. Sedis mandatis, ea, qua par erat, humilitate, et obedientia obsequerentur: præsertim cum in calce responsorum prædictorum a Nobis, sicut præmittitur, confirmatorum, et approbatorum, Causam jam finitam esse, apertis, et perspicuis verbis pronunciatum fuerit.

Verum, cum, sicuti ex eisdem partibus non sine intimo animi nostri dolore ad nostri pervenit Apostolatus auditum, tam enixe a Nobis præscripta responsorum hujusmodi executio male a plerisque, sive vano falsoque obtentu, quod illa a Nobis suspensa fuerint, vel minus legitime promulgata, sive conditionum, ut perperam

Ejus ob-
servantia
variis effu-
giis retar-
data.

PONT. *asseritur, in eis insitarum, et ante executionem*
 A. II. *ipsam verificandarum, factorumve, super quibus ipsa emanarunt, non justificatorum ratione, sive ulteriorum a Nobis ea in re edendarum declarationum colore, sive gravium, quæ tam Missionariis, quam Missioni ipsi ex demandata executione obvenire possent, periculorum formidine, sive demum Decreti dudum, nempe die 25. Martii 1656. super ejusmodi Ritibus, seu Cæremoniis Sinicis a præfata Congregatione Cardinalium editi, ut a recol. mem. Alexandro Papa VII etiam Prædecessore nostro approbati prætextu, necnon sine gravi Pontificiæ nostræ authoritatis injuria, Christifidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento, satis diu, multumque eludatur, aut saltem nimium retardetur.*

Præceptum arctissimum, sub censuris, et pœnis, pro ejusdem Decreti executione.

Hinc est, quod Nos, ex commissæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, difficultates, tergiversationes, subterfugia, et prætextus hujusmodi penitus, et omnino e medio tollere, ac rejicere, necnon Christifidelium quieti, animarumque saluti, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, de eorundem Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus et singulis Archiepiscopis, et Episcopis in supradicto Sinarum Imperio, aliisque ei conterminis, sive adjacentibus Regnis, ac Provinciis nunc, et pro tempore quancumque existentibus, sub suspensionis ab exercitio Pontificalium, et Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, eorum vero Officialibus, ac Vicariis in Spiritualibus Generalibus, aliisque illorum locorum Ordinariis, ac etiam Vicariis Apostolicis, qui Episcopi non sint, eorumve Provicariis, necnon Missionariis, tam secularibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam Jesu, Regularibus, sub excommunicationis lætæ sententiæ, a qua nemo a quoquam, præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.

et quoad Regulares, etiam privationis vocis activæ, et passivæ pœnis per contrasfacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendis, tenore præsentium præcipimus, ac in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut responsa præinserta, omniæque, et singula in eis contenta, exacte, integre, absolute, inviolabiliter, et inconcusse observent; ac ab eis, quorum cura ad illos spectat, similiter observari, quantum in ipsis est, curent, et faciant: neque illis, sive ullo ex superius expressis, sive alio quovis titulo, causa, occasione, colore, vel prætextu, contravenire quoque modo audeant, vel præsumant.

ANNO
1742.

Præterea motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, harum serie statuimus, et sub eisdem excommunicationis reservatæ, ac privationis vocis activæ, et passivæ pœnis ordinamus, ut omnes, et singuli Ecclesiastici tam sæculares, quam prædictorum Ordinum, Congregationum, Institutorum, et Societatum, etiam Jesu, Regulares, ad Sinas, aliave præfata Regna, et Provincias, sive ab hac Sancta Sede, sive etiam ab eorum Superioribus missi, et quandocumque in posterum mittendi, cujusvis tandem tituli, aut facultatis vigore illic existant, vel in futurum extiterint; missi scilicet, statim, ac præsentis Literæ eis innotuerint; mittendi vero, antequam ibidem aliquod Missionarii munus exercere incipiant; Juramentum de fideliter, integre, ac inviolabiliter observando ejusmodi Præcepto, ac Mandato nostro, juxta formulam in præsentium Literarum calce annotandam, in manibus Commissarii, et Visitoris Apostolici in præfato Imperio Sinarum pro tempore existentis, vel alterius ab illo deputati, sive, eo deficiente, in manibus Episcoporum, vel Vicariorum Apostolicorum dictarum partium, in quorum respective jurisdictione commorantur, vel commorabuntur, aut aliorum ab eis deputatorum, Regulares vero in manibus insuper Superiorum suæ Religionis, vel ab illis deputatorum in eisdem partibus existentium, præstare omnino debeant,

De qua
omnes
Missionarii
juramentum
præstare
jubentur.

Et donec
illud præ-

PONT. ac teneantur : ita ut ante præstationem Juramenti
 A. II. hujusmodi, et subscriptionem sub eadem formula
 stiterint, ab unoquoque, qui juramentum ipsum præstite-
 eisdem rint, propria manu faciendam, nullum Missio-
 suspen- narii munus continuare, aut exercere, immo nec
 duntur fa tanquam deputati ab Episcopis, seu Ordinariis
 cultates. Locorum, aut tanquam simplices sucæ Religionis
 Presbyteri, sive alio quovis titulo, causa, seu
 privilegio, de quibus expressa, et specialissima
 esset facienda mentio, Christifidelium Confes-
 siones audire, concionari, aut Sacramenta quo-
 modolibet administrare ullo modo valeant, nul-
 lisque omnino facultatibus, sive sibi speciatim,
 sive suis respective Ordinibus, Congregationibus,
 Institutis, et Societatibus, etiam Jesu, hujus-
 modi generaliter a Sede præfata concessis, uti
 possint: sed quoad eos, præter, et ultra supe-
 rius expressas pœnas, omnes et singulæ facul-
 tates prædictæ omnino cessent, nulliusque roboris
 sint, et esse censeantur.

Juramen- Omnia autem Juramenta hujusmodi per quos-
 ti præsti- cumque Missionarios tam Sæculares, quam Re-
 tiexempla gulares, in memoratorum sive Commissarii, et
 authentica Visitatoris Apostolici pro tempore existentis, sive
 ca ad S. Episcoporum, aut Vicariorum Apostolicorum ma-
 Sedem nibus, sicut præmittitur, præstanda, postquam
 transmittantur. subscriptione munita fuerint, vel saltem authen-
 tica illorum exempla, per eosdem Commissarium,
 et Visitatorem Apostolicum pro tempore existen-
 tem, Episcopos, et Vicarios Apostolicos, ad præ-
 fatam Congregationem Cardinalium, quando ci-
 tius fieri poterit, transmittantur.

Superiores vero Regulares cujusvis Ordinis,
 Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam
 Jesu, illic nunc, et pro tempore existentes, sub
 præmissis eisdem pœnis, teneantur non solum idem Jura-
 rum exe- mentum in præfatorum, sive Commissarii, et Vi-
 cutionem sitatoris Apostolici pro tempore existentis, sive
 Episcoporum, aut Vicariorum Apostolicorum ma-
 nibus, juxta modum supra præscriptum, præ-
 stare, ejusque formulæ subscribere, sed etiam
 illius præstationem a suis respective Subditis exi-

tere, ac authentica ea super re documenta quam ANNO
 primum transmittere ad suos respective Superiores 1742.
 Generales, qui illa memoratæ Congregationi Card.
 statim tradere debebunt.

Decernentes, easdem præsentés Literas, et in Clausulæ
 eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præ- pro omni
 dicti, et alii quicumque in præmissis interesse moda Li-
 habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, terarum
 cujusvis status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, observan-
 et dignitatis existant, seu aliàs specifica, et in- tia.
 dividua mentione, et expressione digni, illis non
 consenserint, nec ad eâ vocati, et auditi, cau-
 sæque, propter quas præsentés emanarint, suffi-
 cienter adductæ, verificatæ, et justificatæ non
 fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis
 juridica, et privilegiata causa, colore, prætextu,
 et capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam
 enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, nullo
 unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis,
 aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel
 interesse habentium consensus, aliove quolibet,
 etiam quantumvis magno, et substantiali, ac inex-
 cogitato, et inexcogitabili, individuumque expressio-
 nem requirente defectu, notari, impugnari, infrin-
 gi, invalidari, retractari, in controversiam vocari,
 aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas
 aperiitionis Oris, restitutionis in integrum, aliudve
 quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium
 intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam
 motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus
 concesso, vel emanato, quempiam in Judicio,
 vel extra illud, uti, seu se juvare ullo modo
 posse; sed ipsas præsentés Literas semper firmas,
 validas, et efficaces existere, et fore, quibus-
 cumque juris, seu facti defectibus, qui adversus
 illas, etiam quorumvis a Sede præfata conces-
 sorum privilegiorum prætextu, ad effectum impe-
 diendi, seu retardandi earum executionem, quo-
 vis modo, seu quavis ex causa opponi, seu
 objici possent, minime refragantibus, suos plena-
 rios, et integros effectus sortiri, et obtinere, eas-
 que propterea, omnibus, et singulis quomodolibet

PONT. *allatis, seu afferendis impedimentis penitus, et*
 A. II. *omnino rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis,*
 Decreta *spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari;*
 irritantia. *sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque*
Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum
Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ
Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, et præfatis
Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præ-
minentia, et potestate fungentes, et functuros, sub-
lata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judican-
di, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari,
et desiniri debere; ac irritum, et inane, si secus super his
a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter
contigerit attentari.

Derogationes amplissimæ. *Non obstantibus præmissis, et quatenus opus*
sit, nostra, et Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure
quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in
Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus
Conciliis editis generalibus, vel specialibus
Constitutionibus, et Ordinationibus necnon quorumcumque
Ordinum, Congregationum, Institutorum, et Societatum,
etiam Jesu, ac quarumvis Ecclesiarum, et aliis quibuslibet
etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis
firmitate alia roboratis, Statutis, et consuetudinibus,
ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, et
immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et
Literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus,
Institutis, et Societatibus, etiam Jesu, ac Ecclesiis
prædictis, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis
sublimibus, et specialissima mentione dignis, a Sede
prædicta ex quacumque causa, etiam per viam contractus,
et remunerationis, sub quibuscumque verborum
tenoribus, et formis, ac cum quibusvis, etiam
derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus,
efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque,
et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis
plenitudine similibus, seu ad quancumque personarum,
etiam

ANNO
1742.

Imperiali, Regali, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

» *Formula autem Juramenti, sicut præmitti-* Formula
 » *tur, præstandi, est, quæ sequitur, videlicet:* Juramen-
 » Ego N. Missionarius ad Sinas, vel ad Regnum ti a Mis-
 » N., vel ad Provinciam N. a Sede Apostolica, sionariis
 » vel a Superioribus meis, juxta facultates eis præstandi
 » a Sede Apostolica concessas, missus, vel de-
 » stinatus, Præcepto, ac Mandato Apostolico
 » super Ritibus, et Cæremoniis Sinensibus in
 » Constitutione Sanctissimi Domini Nostri Do-
 » mini Clementis Divina Providentia Papæ XI.
 » hac de re edita, qua præsentis Juramenti
 » formula præscripta est, contento, ac mihi
 » per integram ejusdem Constitutionis lecturam
 » optime noto, plene ac fideliter parebo, il-
 » ludque exacte, absolute, ac inviolabiliter
 » observabo, et absque ulla tergiversatione
 » adimplebo. Si autem (quod Deus avertat)
 » quoquo modo contravenerim, toties quoties
 » id evenerit, pœnis per prædictam Constitu-
 » tionem impositis me subjectum agnosco, et

PONT. » declaro. Ita, tactis Sacrosanctis Evangeliiis,
 A. II. » promitto, voveo, et juro. Sic me Deus ad-
 » juvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.

» Ego N. manu propria.

Præcep- Cæterum volumus, et expresse mandamus, ut
 tum de Li eadem præsentis Literæ, seu earum exempla,
 terarum etiam impressa, notificentur, et intimentur omni-
 intimatio bus, et singulis memoratorum Ordinum, Con-
 ne, trans- gregationum, Institutorum, et Societatum, etiam
 missio- Jesu, Superioribus Generalibus, et Procuratori-
 ne, et exe- bus Generalibus, ad hoc ut tam suo, quam præ-
 cutione. dictorum eis respective Subditorum, seu inferio-
 rum nomine, ipsas Literas fideliter exequi, et
 observare spondeant, actumque sponsionis hujus-
 modi in scriptis reddant, earum vero exempla
 prædicta pluribus viis, quanto citius fieri pote-
 rit, transmittant ad eosdem suos Subditos, seu
 inferiores in Sinis, aliisque Regnis, et Provin-
 ciis supradictis degentes, cum accuratissimis præ-
 ceptis easdem Literas, et in eis contenta quæ-
 cumque plenarie, et integre, ac vere, realiter,
 et cum effectu in omnibus, et per omnia simili-
 ter exequendi, et observandi.

Exem- Quia vero difficile foret, Literas hujusmodi ori-
 plorum au ginales ubique ostendi, et publicari, volumus pa-
 ctoritas. riter, et decernimus, illarum transumptis, seu
 exemplis, etiam impressis, manu alicujus No-
 tarii publici subscriptis, et sigillo Personæ in Ec-
 clesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem
 prorsus fidem tam in Judicio, quam extra illud
 ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præ-
 sentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majori-
 rem sub Annulo Piscatoris die 19. Martii 1715.
 Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

F. Oliverius.

Ejus quo-
 que Con-
 stitutio-
 nis obser-
 vantia elu-
 ditur.

§. 11. Per Constitutionem Apostolicam adeo
 solemnem, qua Clemens Papa XI. se huic con-
 troversię finem dedisse testatur, justum et
 æquum videbatur, eos, qui Sanctæ Sedis au-

toritatem sese quam maxime revereri proficerentur, humili, et obsequenti animo illius Judio semet omnino subicere, nec ulterius quicquam cavillari. Nihilominus inobedientes, et captiosi homines exactam ejusdem Constitutionis observantiam se effugere posse putarunt, ea ratione, quod illa Præcepti titulum præfert, quasi vero non indissolubilis Legis, sed Præcepti mere Ecclesiastici vim haberet; tum etiam, quod illam debilitatam existimarent ex Permissionibus quibusdam, quas super iisdem Sinensibus Ritibus publicavit Carolus Ambrosius Mediobardus Patriarcha Alexandrinus, cum Commissarium, et-Visitatorem Generalem Apostolicum in iis Regionibus ageret.

§. 12. Nos igitur animadvertentes, prædictam Constitutionem Christiani Cultus puritatem respicere, quem illa ab omni superstitionis labe immunem servare contendit, nullo modo ferre possumus, quemquam existere, qui eidem repugnare temere audeat, aut contemnere, perinde ac ipsa Supremam Apostolicæ Sedis decisionem non contineret, et id, de quo agitur, non ad Religionem spectaret, sed quid per se indifferens foret, aut quædam variabilis disciplinæ ratio: Proinde auctoritate ab Omnipotenti Deo Nobis tradita uti volentes ad illam in suo robore omnino servandam, de auctoritatis ejusdem plenitudine, non modo eam approbamus, et confirmamus, sed etiam, quantum possumus, omnem vim, et firmitatem, ad illam magis, magisque roborandam, ac stabilendam, adjicimus, eamque in se plenam, ac omnimodam Apostolicæ Constitutionis auctoritatem habere dicimus, et declaramus.

§. 13. Permissiones autem, quarum obtentu aliqui prædictæ Constitutionis robur infringere conantur, originem duxerunt a Responcionibus quibusdam, quas duo viri, qui jam pridem in Sinarum Regno fuerant, ad quæsitam nonnulla dederunt, quæ super ejusdem Constitutionis Apostolicæ executione, ac praxi, Missionarii qui-

A N N O
1742.

Præsertim ob permissiones publicatas a Patriarcha Alexandrino.

Pontifex præinsertam Constitutionem amplissime confirmat

Expouit quid causam dedit memoratis permissionibus.

PONT. dam proposuerunt. Responsiones itaque hujus-
 A. II. modi, una cum dubiis illis, nullo tamen Romani
 Pontificis, sive approbantis, sive aliquid de suo
 addentis indicio, transmissæ fuerunt ad præfa-
 tum Patriarcham Alexandrinum, ejus animi in-
 struendi causa, utque illis uteretur, prout cir-
 cumstantiæ rerum, ac temporis postularent :
 integro tamen remanente Apostolicæ Sedis Jure
 eas comprobandi, vel etiam revocandi, si quando
 conformes, aut repugnantes Constitutionis præ-
 fatae decretis ullo modo compertæ forent.

Factum §. 14. Vix Sinarum Regnum Patriarcha Alexan-
 Patriar- drinus ingressus, in iis angustiis se positum
 chæ Ale- intellexit, ut coactus fuerit in publicum emit-
 xandrini. tere, non quidem Responsiones, quas præme-
 morati duo Viri ad proposita quæsitæ dederant,
 bene vero Permissiones octo, quæ ab illis fue-
 rant deductæ, atque inde ab eodem Patriarcha
 in Pastoralis sua Epistola insertæ, cujus tenor
 est, ut sequitur :

Tenor §. 15. *Carolus Ambrosius Mediobarbus, Dei,*
 Epistolæ *et Apostolicæ Sedis gratia Patriarcha Alexan-*
 Pastoralis *drinus, necnon in Indiis Orientalibus, ac Si-*
narum Imperio, finitimisque Regnis, et Insulis
Commissarius, et Visitor Generalis Apostolicus
cum facultate Legati de Latere etc. Omnibus
Episcopis, Vicariis Apostolicis, ac Missionariis,
qui in prædictis partibus degunt, salutem in eo,
qui est omnium vera salus.

Exordi- *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu*
 um. *Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius*
consolationis, qui consolatur nos in omni tribu-
latione nostra, ut possimus, et ipsi consolari eos,
qui in omni pressura sunt, per exhortationem,
qua exhortamur et ipsi a Deo. Nil etenim Nobis
magis in animo fuit, ex quo in Sinarum Impe-
rium, Deo favente, pervenimus, quam cum iis
omnibus, qui in hac Evangelica Vineâ laborant,
os ad os loqui. Desideravimus enim videre vos,
ut aliquid impertiremur vobis gratiæ spiritualis
ad confirmandum vos, idest simul consolari in
vobis per eam, quæ in invicem est, fidem vestram
 atque

atque meam. Verum, quia non sapientiam huius sæculi loquuti fuimus, in timore, et tremore multo fuimus apud vos, satiusque duximus, ad sedandam tempestatem adversus Evangelicos Operarios ingruentem, Nos in mare projicere, ut vos jactari sinatis. Adjutor noster nunc et erit ille Deus, qui dedit Nobis in mari viam, et in aquis torrentibus semitam. Veritatem dicimus in Christo, non mentimur, testimonium Nobis perhibente conscientia nostra in Spiritu Sancto; quoniam tristitia Nobis magna est, et continuus dolor adheret cordi nostro, quod præsentem non potuerimus solari vos, ut fructum aliquem haberemus, et in vobis et in cæteris gentibus.

At vero, quod non licuit per præsentiam agere, saltem per epistolam non impedimur. Primum quidem gratias agimus Deo nostro per Jesum Christum pro omnibus vobis, qui Spiritu Sancto ferventes, et fortes, Sanctæ Sedis mandatis rationabile exhibetis ministerium vestrum, jactantes cogitatum in eum, cui a Domino dictum est: Pasce oves meas; cui traditæ sunt claves Domus David; si aperit, non est qui claudat; si claudit, non est qui aperiat. Quotquot estis, macte animis, vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini, quia merces vestra magna est in Cælis. Ministerium vestrum implete, attendite vobis, et doctrinæ. Lucernæ estote, non minus lucentes exemplo, ac zelo prædicationis ardentem. Si qui vero adhuc essent hæsitantes, et in opere non efficaces, obsecramus vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis Schismata, sitis perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. Non amplius invicem judicemus. Unusquisque vestrum pari humilitate, ac obedientia Sanctæ Sedis mandatis obsequatur, ut vestra obedientia in omnem locum divulgetur.

Non enim opus est, ut aliquem actum faciamus, ut Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XI. mandata jam promulgata vobis innotescant, vimque habeant, ut absque ulla ter-

ANNO
1742.

Excitat
Missionarios ad eorum munus implendum.

Profite-
tur se nihil innovare circa
Constitu-

PONT. *giversatione executioni mandentur. Nihil proinde*
 A. II. *innovamus: sed relinquimus res, prout sunt; hoc*
 tionem *est, nullatenus Constitutionem super Ritibus Si-*
 EX ILLA *nicis a Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papa*
 DIE. *XI. die 19. Martii 1715. emanatam suspendi-*
mus, aut, quæ in ea vetantur, permittimus.

Ratio
 edenda-
 rum per-
 missio-
 num.

Ob aliqua tamen quibusdam Missionariis circa
quasdam Ceremonias peragi consuetas suborta du-
bia, ut quilibet in Vineâ Domini strenue, ac
viriliter laborare queat, nonnulla adnotamus,
quæ permitti poterunt: quæ et separatim uni-
cuique secundum quæsita dedissemus, nisi com-
pertum Nobis esset, una cum incertis nuntiis jam
disseminata, proborum animos, et Christifideles
bonæ voluntatis non parum perturbasse. Omni
igitur, quo poteritis, studio, ac diligentia curare
debetis, ut Gentium Ceremoniis penitus sublatis,
illi sensim a Christianis, et pro Christianis usu
recipiantur Ritus, quos Catholica Ecclesia pie
præscripsit.

Permis-
 siones.

I. *Primo. Permittitur Christianis Sinensibus in*
suis privatis domibus uti Tabellis defunctorum
inscriptis solo nomine defuncti, apposita ad latus
declaratione debita, et ommissa quacumque super-
stitione in earum constructione, necnon secluso
omni scandalo.

II. *Secundo. Permittuntur omnes Ceremoniæ Na-*
tionis Sinicæ erga defunctos, quæ non sint aut
superstitiosæ, aut suspectæ, sed civiles.

III. *Tertio. Permittitur Confucii Cultus ille, qui*
civilis est, et etiam ejusdem Tabellæ purgatæ et
literis, et superstitione inscriptione, et adjuncta
declaratione debita; sicuti permittitur ante ejus
Tabellam correctam accendi candelas, uri odores,
aponi comestibilia.

IV. *Quarto. Permittuntur pro usu, et expensis fu-*
nerum offerri candelas, odores, adjuncta in sche-
dula debita declaratione.

V. *Quinto. Permittuntur reverentiæ genuflexio-*
num, et prostrationum erga Tabellam correctam,
aut etiam erga feretrum, aut defunctum.

Sexto. *Permittitur præparari mensas cum dulciariis, fructibus, carne, et cibis usualibus circa, aut coram feretro, ubi sit Tabella correcta, cum debita declaratione, et omissis superstitiosis, pro quadam honestate tantum, et pietate erga defunctos.*

ANNO

1742.

VI.

Septimo. *Permittitur coram Tabella correcta reverentia dicta Ko teu, tum in anno novo Sinico, tum in aliis anni temporibus.*

VII.

Octavo. *Permittitur coram Tabellis reformatis accendi candelas, uri odores cum debitis cautelis, sicuti etiam ante tumulum, ubi pariter collocari possunt cibi, ut supra dictum est, adhibitis cautelis, ut in superioribus.*

VIII.

Apostolici ergo viri Ecclesiam adhibentes non habentem maculam, neque rugam, ponant manum suam ad aratrum, nec respiciant retro. Videte, fratres, vocationem vestram; non enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Obsecramus itaque vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Ne diutius agamus secundum potestatem, paterne vos commovere volumus per Epistolam. Amabilem illum Patremfamilias, qui exiit primo mane conducere Operarios in Vineam suam, audite: Quid hic statis tota die otiosi? Ite et vos in Vineam meam. Vocem Patris perpendite, et illam Judicis timete. Ipsi vos probate; virtus enim Dei erit vobis in auxilium, ac plenam ministerio Verbi Dei functi recipietis mercedem, inmarcescibilem nimirum a Pastorum Principe gloriæ coronam. Ne quis vos seducat inanibus verbis, obedire veritati. Scitote, quod obedientes voci ejus, qui misit vos, rationem non eritis reddituri pro animabus, sed unusquisque vestrum pro se rationem reddet Deo. Quicumque sub diversis prætextibus cessandum sibi putat a ministerio Missionarii, ledit animam suam, et de alienis æterno Judici rationem reddet. Quam dabit homo commutationem pro anima sua, et pro alienis? Deus est vitis vera, vos palmites. Qui

Operarios
ad labo-
rem eni-
xius hor-
tatur.

PONT. non ferent fructus in eum, arescent tamquam
 A. II. palmites; et collecti, et alligati in fasciculos ad
 comburendum mittentur in caminum ignis inextinguibilis. Respicite Dominum nostrum Jesum Christum secus viam ambulans, qui in fici arbore nihil invenit, nisi folia tantum, et ait illi: Numquam ex te nascentur fructus in sempiternum. Si aliqui palmites jamdiu conversi in amaritudinem, qui expectabantur ut tandem facerent uvas, spinas super spinas adjecissent, vae, vae a die irae, a die furoris, et indignationis Domini! Attendite ad verba, quae mandat vobis per Seruum suum Dominus adhuc misericors. Revertimini ad Deum vestrum, manete in eo, qui manens in vobis purgabit vos, et desideratos cunctis gentibus fructus afferetis. Apostolico satisfacisse nos muneri judicamus; non enim subterfugimus, quominus annuntiaremus omne consilium Dei vobis, ut nullam excusationem habeatis de peccatis vestris. De cætero quotquot eritis obedientes, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis, et dilectionis erit vobiscum.

Prohibet
 versio-
 nem et
 publica-
 tionem
 Epistolæ,
 sub censu
 ris et pœ-
 nis, addi-
 ta causa,
 et præ-
 scripto
 prudenti
 permis-
 sionum
 usu.

Cum vero ad promovendam in Neophitis debitam Decretis Apostolicis obedientiam, præsentium nostrarum Literarum notitiam iisdem Neophitis minime necessariam esse, sed satis esse eos in viam salutis dirigere, juxta Pontificiæ Constitutionis præscripta, compertum sit; ne quis eorum, ad quos præsentis Litteræ directæ sunt, cujuscumque Ordinis, aut Instituti, aut Congregationis fuerit, aut Societatis etiam Jesu, præsentis Literas, aut quæ in eis continentur (exceptis Permissionibus, quæ quidem caute, et ubi necessitas tantum, aut utilitas postulaverit, patefaciendæ erunt) sive directe, sive indirecte per se, vel per alium voce tenus, aut scripto in Linguam Tartaram, aut Sinicam vertant, aut quocumque modo cuilibet, qui Missionarius non sit, nota faciat, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, a qua non nisi a Nobis, aut a Summo Pontifice (præterquam in articulo mortis consti-

tatus) absolvi possit, et quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, et passivæ, pœnis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendis, tenore præsentium vetamus, et in virtute sanctæ obedientiæ prohibemus. Datum Macai in Palatio nostræ Residentiæ die 4. Novembris anno 1721.

ANNO
1712.

Dat. Macai die 4.
Nov. 1721

§. 16. Cum autem Patriarcha Alexandrinus in præallata Pastoralis mentem suam satis prudenter explicuisset, nimirum Pastoralis hujus suæ Epistolæ notitia opus non esse ad promovendam in Neophitis erga Pontificia Decreta venerationem, et observantiam, cum satis esset, ut juxta Constitutionis Pontificiæ mandata in via salutis dirigerentur; præterea cum omnibus, et quibuscumque interdictum voluisset, sub pœna quoque excommunicationis latæ sententiæ, ne quis illam in Sinensem, aut in Tartaricum sermonem verteret, aut cuiquam, qui Missionarius non esset, eam palam faceret; de Permissionibus autem cum statuisset, nonnisi caute, et ubi tantum utilitas, vel necessitas id postularet, esse divulgandas: profecto omnis, ad quem Pastoralis illa dirigebatur, ex tali procedendi modo haud obscure inferre debebat, quantis ille animi angustiis obsessus, et quam anceps, ac perplexus in Permissionibus hujusmodi proponendis extitisset; adeo ut œconomia quadam usus fuisset ad loci, et temporis circumstantias prorsus necessaria: a qua putandum est eum recessurum fuisse, si libertas sibi data esset rem discutiendi cum Episcopis, aliisque doctis Viris, qui nihil aliud, quam Christiani cultus puritatem, et Apostolicæ Constitutionis observantiam ante oculos haberent.

Quid sentiendum de facto Patriarchæ Alex. ex ipsius pastoralis sensu.

§. 17. At Permissiones illæ contra expressam adeo Patriarchæ ipsius voluntatem, evulgatæ, et quod miram, Pekini Episcopus per binas suas Pastorales mandavit, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, universis Diœcesis suæ Missionariis, ut observarent, et observari præciperent Constitutionem: *Ex illa die*, juxta Per-

Permissionum abusus, earumque divulgatio ab Episcopo Pekinensi facta.

PONT. missiones, quas ipse contendebat, ad ea pot-
 A. II. tissimum referri, quæ in præcitata Constitu-
 tione fuerant solemniter interdicta. Præcepit
 insuper, ut Christifideles quater singulis annis
 in diebus omnium celeberrimis distincte instrue-
 rentur cum iis, quæ Constitutione Apostolica
 prohibentur, tum in iis, quæ a Patriarchæ Alex-
 andrini Pastoralis permittuntur.

Quædam §. 18. Enimvero Clemens Papa XII. Præde-
 natur a cessor noster, tam audax Episcopi Pekinensis
 Clemente factum æquo animo ferre haud potens, muneri
 XII. suo maxime interesse judicavit binas illas Epi-
 stolas damnare, ac penitus reprobare Aposto-
 lico Brevi, quod anno 1735. promulgavit: in
 quo sibi, ac Sanctæ Sedi facultatem reservavit,
 declarandi Sinensibus Christianis mentem suam,
 et ejusdem Sanctæ Sedis sententiam in iis, aliis-
 que, quæ ad materiam hujusmodi spectarent.
 Præfatum autem Breve est tenoris sequentis.

Tenor Bre §. 19. *CLEMENTIS PAPÆ XII. Revoca-*
 vis hac de *tio, annullatio, et cassatio duarum Epistolarum*
 re editi. *Pastoralium bonæ memoriæ Francisci Episcopi*
Pekinensis nuper defuncti, die VI. Julii, et die
XXIII. Decembris MDCCXXXIII. circa Ritus
Sinenses editarum.

Procemi- *CLEMENS PAPA XII. ad perpetuam rei*
 um. *memoriam. Apostolicæ solitudinis Nobis divi-*
nitus commissæ ratio Nos admonet, ut ea, quæ
Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei pro-
pagationi, ac incrementis quacumque ratione ob-
sistere posse dignoscuntur, quantum Nobis ex alto
conceditur, recidere, ac e medio tollere studea-
mus. Cum itaque, sicut ad Apostolatus nostri
notitiam pervenit, occasione binarum Epistola-
rum, quas Pastorales vocant, bon. mem. Fran-
 Epistola- *cisci, dum viveret, Episcopi Pekinen. nuper*
 rum Epi- *defuncti, die 6. Julii, et 23. Decembris anni 1733.*
 scopi Pe- *circa Ritus Sinenses editarum, graves in Imperio*
 kinen. per *Sinarum inter Apostolicos illarum partium Mis-*
 niciosus *sionarios exortæ fuerint dissensiones, quæ uberes*
 effectus. *fructus, quos Sancta Mater Ecclesia ex assiduo*
Operariorum in illam Agri Dominici partem mis-

ANNO
1742.

eorum labore præstolatur, impedire, aut morari possent; Nos, ut pristina inter eos Missionarios pax, et animorum concordia, sublatis quibusvis dissidiis, restituatur, de opportuno in præmissis remedio providere volentes, ac Epistolarum prædictarum tenores, et alia quæcumque etiam specificam, et individuum mentionem, et expressionem requirentia, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exacte specificatis habentes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui jussu nostro Epistolas ipsas seculo, ac diligenter examinarunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, binas memorati Francisci Episcopi Pekinensis Epistolas Pastorales præfatas, ac pœnas, et alia quæcumque in eis contenta, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsitan quæcumque secuturis, penitus, et omnino nulla, invalida, et irrita, nulliusque prorsus roboris, et momenti esse, et perpetuo fore, tenore præsentium declaramus: et nihilominus, ad majorem cautelam, et quatenus opus, illa omnia, et singula motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, et abolemus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuumus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuis semper haberi volumus: Nobis insuper, et Apostolicæ Sedi reservantes facultatem Christi-fidelibus in eodem Regno degentibus aperiendi nostram, et dictæ Sedis mentem, post maturam itidem habitam deliberationem, super aliis rebus, quæ hujusmodi materiam respiciunt.

Eadem
cassantur
et irritantur.

Reservatur facultas aperiendi sensum Apostolicæ Sedis.

Clausuræ, et decreta

Decernentes ipsas præsentis Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis, ad quos quomodolibet spectat, et pro tempore quæcumque spectabit; præsertim vero Archiepiscopis,

PONT. *Episcopis, Vicariis, Pro-Vicariis, et Missionariis Apostolicis tam sæcularibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam Jesu, Regularibus in supradicto Sinarum Regno nunc, et pro tempore existentibus, inviolabiliter, et inconcusse observari; sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sedis præfatæ Nuncios, aliosvè quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et desiniri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, et extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

Dat. die *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Septemb. 1735. MDCCXXXV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.*

F. Card. Oliverius.

Idem Clemens XII. §. 20. Id vero quod idem Pontifex Clemens XII. sibi, ac Sanctæ Sedi Christianis Sinensibus declarandum reservavit, erat profecto materia Permissionum, de quibus certior jam factus fuerat, deque maxima inde secuta inter Missionarios dissensione; cum alii contenderent, Constitutionem: *Ex illa die: omnem vim suam amittere, si Permissiones illæ in praxi consistant; alii vero factis palam ostenderent, Permissionum colore se ad prædictæ Constitutionis observantiam minime teneri, juxta illa, quæ*

A N N O
1742.

in ipsa Constitutione præscribuntur. Itaque præfatus Prædecessor noster, quo Christianæ Religionis puritatem, quæ in iis Regionibus per exactam præmemorata Constitutionis observantiam servanda erat, assereret, et controversiis istiusmodi finem aliquando imponeret, examini perquam diligenti totum Permissionum negotium commisit, ita ut a Theologis, tum etiam a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Sacræ Inquisitionis præpositis, mature serioque discuteretur. Antequam vero supremam de illis sententiam pronuntiaret, ad pleniorum facti notitiam obtinendam, omnes, et singulos, quotquot in Urbe existerent, Sinarum Missionarios, tum etiam complures Juvenes, qui ex iis Regionibus in Europam, educationis, et Christianæ rei addiscendæ causa, venerant, ad examen super his, servato juris ordine, vocari jussit.

§. 21. Nos igitur Prædecessoris nostri vestigiis insistentes, eodemque Religionis zelo, quo ille, incensi, ut tanti momenti opus, quod ipse morte præoccupatus absolvere minime potuit, aliquando tandem, Deo auxiliante, perficeremus. Permissiones illas, et quidem singulas, coram Nobis summo studio, ac diligentia examinari curavimus; neque laborem nostrum tantum, sed Cardinalium quoque, et Sacræ Inquisitionis Consultorum doctrinam, et consilium exquisivimus; ac tandem satis aperte compertum habemus, antedictas Permissiones nunquam a Sancta Sede probatas, Apostolicæ Clementis Papæ XI. Constitutioni repugnare, atque adversari, utpote quæ partim Cæremonias, Ritusque Sinenses a prædicta Constitutione proscriptos admittant, ac veluti probatos atque utendos concedant, partim regulis in ipsa traditis ad vitandum superstitionis periculum opponantur.

§. 22. Nolentes, itaque, quemquam, ad Constitutionem ipsam summo Christianæ Religionis damno malitiose evertendam, Permissionibus ejusmodi uti; definimus, ac declaramus, præ-

Pontifex
examen
hujusmo-
di coram
se, ac resp.
per se ip-
sum ab-
solvit.

Declarat
Permissiones nunquam a
S. Sede approbatas
fuisse, im-
mo ejus
Decisionibus adver-
sari.

Easdem
Permissiones repro-

PONT. A. II. *fatatas Permissiones ita esse habendas, ac si nunquam extitissent, earumque praxim tamquam superstitiosam omnino damnamus, et execramur. Itaque præsentis hujus nostræ Constitutionis perpetuo valituræ vi revocamus, rescindimus, abrogamus, atque omni vigore, et effectu vacuas esse volumus omnes illas, et singulas Permissiones; easque semper uti cassas, irritas, invalidas, et nullius prorsus roboris, aut vigoris habendas esse dicimus ac pronunciamus.*

Quæcumque a Clemente XI. interdicta fuerunt, iterum expresse interdicit. §. 23. Præterea cum Clemens Papa XI. in Constitutione: *Ex illa die*, apposuerit hæc verba: *Per præmissa nihilominus non vetari, quominus erga defunctos peragi possint alia, si quæ sint, quæ vere superstitiosa non sint etc.* Nos dicimus, et declaramus ea verba: *Alia si quæ sint*: intelligenda esse de usibus, et Cæremoniis diversis ab illis, quas idem Pontifex Apostolica Constitutione jam interdixerat, et quas Nos pariter eadem auctoritate configimus, atque interdiciamus, ne antedictis Permissionibus, quas omnino damnatas volumus, ullus in posterum locus pateat.

Permissionum usum omnibus prohibet. §. 24. Districte itaque prohibemus, ne quis Archiepiscopus, aut Episcopus, aut Vicarius, aut Delegatus Apostolicus, aut Missionarius, tam Sæcularis, quam Regularis, cujuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, etiam Societatis Jesu, aliorumque, de quibus expressa, et

Constitutionem Clementis XI. aliter explicari vetat. individua mentio fieri debeat, Permissionibus prædictis ullo pacto uti valeat, sive publice, sive privatim, sive palam, sive clam; neque audeat, vel præsumat Constitutionis paulo antecitata verba aliter, ac Nos supra declaravimus, alicui explicare, aut interpretari.

Præsentium observantiam et executionem omnibus et singulis in- §. 25. Quare ex prædictorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, motu quoque proprio, ac certa scientia, maturaque deliberatione, tum etiam de plenitudine Apostolicæ potestatis, Constitutionis præsentis tenore, et in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, et ex- presse mandamus omnibus, et singulis Archie-

piscopis, et Episcopis in Sinarum Imperio aliisque Regnis, et Provinciis, sive finitimis, sive adjacentibus, nunc existentibus, aut olim pro tempore futuris, sub pœnis suspensionis a Pontificalium exercitio, et ab Ecclesiæ ingressu Interdicti, eorum vero Officialibus, et Vicariis in Spiritualibus Generalibus, aliisque eorundem Locorum Ordinariis, Vicariis quoque, aut Delegatis Apostolicis, qui Episcopi non sunt, tum etiam eorum Provicariis, et insuper Missionariis universis tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, etiam Societatis Jesu, sub pœnis privationis quarumcumque, quibus gaudent, facultatum, et suspensionis ab exercitio curæ animarum, tum etiam suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ absque alia declaratione, demum excommunicationis latæ sententiæ, a qua non possint nisi a Nobis, et a Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, præterquam in articulo mortis constituti, addita quoad Regulares etiam vocis activæ et passivæ privationis pœna, præcipimus, et districte mandamus, ut omnia, et singula, quæ in hac nostra Constitutione continentur, exacte, integre, absolute, inviolabiliter, atque immobiliter non modo ipsi observent, sed etiam omni conatu, ac studio ea ipsa observari curent a singulis, et universis, qui quoquo modo ad eorum curam, et regimen spectant; nec colore, causa, occasione, seu prætextu aliquo, huic nostræ Constitutioni ulla in parte contraire, aut adversari audeant, vel præsumant.

§. 26. Præterea quoad Missionarios Regulares cujuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, ac Societatis quoque Jesu, si quis eorum (quod Deus avertat) exactam, integram, absolutam, inviolabilem, strictamque obedientiam denegaverit iis, quæ a Nobis præsentis hujus Constitutionis tenore statuuntur, ac præcipiuntur; eorum Superioribus tam Provincialibus, quam Generalibus, in virtute sanctæ obedientiæ ex-

ANNO
1742.
jungit, at-
que de-
mandat
adjectis
pœnis.

Missionarios in-
obedien-
tes in Eu-
ropam re-
vocari ju-
bet.

PONT. presse mandamus, ut homines hujusmodi contumaces, perditos, ac refractarios à Missionibus absque ulla mora dimoveant, eosque in Europam statim revocent, ac de illis notitiam Nobis exhibeant, ut reos pro gravitate criminis punire valeamus. Quod si prædicti Superiores Provinciales, aut Generales huic nostro præcepto minus obtemperaverint, aut in eo desides fuerint, Nos contra ipsos quoque procedere non recusabimus, atque inter cætera mittendi aliquem ex ipsorum Ordine in earum Regionum Missiones privilegio, seu facultate, eos perpetuo privabimus.

Communitatis pœnis in Superioribus Ordinibus. Præscribit novam Juramenti Formulam.

§. 27. Postremo, ut hæc nostra Constitutio in suo robore semper integra, et firma maneat, volumus quoque, ut ad Formulam Juramenti a Clemente Papa XI. in sua Constitutione præscriptam nonnulla adjiciantur, quæ maxime necessaria putavimus. Idcirco omnes, qui præfatæ Constitutionis vigore, sub pœnis in ea contentis, Juramentum præstare debebunt, in posterum sequenti Formula utentur, videlicet: *Ego N. Missionarius ad Sinas, vel ad Regnum N., vel ad Provinciam N. a Sede Apostolica, vel a Superioribus meis, juxta facultates eis a Sede Apostolica concessas, missus, vel destinatus, Præcepto, ac Mandato Apostolico super Ritibus, ac Cæremoniis Sinensibus in Constitutione Clementis Papæ XI. hac de re edita, qua præsentis Juramenti formula præscripta est contento, ac mihi per integram ejusdem Constitutionis lecturam apprime noto, plene, ac fideliter parebo, illudque exacte, absolute, ac inviolabiliter observabo, et absque ulla tergiversatione adimplebo, atque pro virili enitar, ut a Christianis Sinensibus, quorum spiritualem directionem quoquomodo me habere contigerit, similis obedientia eidem præstetur. Ac insuper, quantum in me est: numquam patiar, ut Ritus, et Cæremonie Sinenses in Literis Pastoralibus Patriarchæ Alexandrini Macai datis die 4. Novembris 1721. permissæ, ac a Sanctissimo Domino Nostro*

BENEDICTO PP. XIV. damnatæ, ab eisdem Christianis ad praxim deducantur. Si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, toties quoties id evenerit, pœnis per prædictas Constitutiones impositis me subjectum agnosco, et declaro. Ita, tactis Sacrosanctis Evangeliiis, promitto, voveo, et juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.

ANNO
1742.

Ego N. manu propria.

§. 28. Confidimus igitur fore, ut Princeps Apostolica exhortatio ad Evangelicos Operarios. Pastorum Jesus Christus laboribus a Nobis, qui ejus vices in terris gerimus, in hoc gravissimo negotio diu impensis benedicat, ut in amplissimis illis Regionibus Evangelica lux clare, nitideque effulgeat, ac præpotenti manu sua sic pia nostra consilia promoveat, ut Regionum earundem Pastores intelligant, planeque sibi persuadeant obligationem, qua ipsi tenentur vocem nostram audire, et sequi. Confidimus quoque, Deo favente, ex eorum cordibus inanem illum metum sublaturum iri, ne videlicet per exactam Pontificiorum. Decretorum observantiam infidelium conversio retardetur. Nam hæc a Divina Gratia sperari potissimum debet: quæ quidem ab eorum ministerio longe non aberit, si Christianæ Religionis veritatem impavide prædicaverint, atque ea puritate, qua ipsis ab Apostolica hac Sancta Sede tradita est, parati quoque ad eam propugnandam sanguinem effundere, exemplo Sanctorum Apostolorum, aliorumque Christianæ Fidei clarissimorum propugnatorum, quorum sanguis tantum abfuit, ut Evangelii cursum interciperet, aut retardaret, ut potius Vineam Domini florentem magis, et fidelium animarum copiosiore effecerit. Nos quidem pro viribus nostris Deum obsecrabimus, ut invictam illis hanc animi firmitatem, et Apostolici zeli robur concedat. Verum ad eorum ræmoriã deducimus, ut, quando ad Sacras Missiones destinantur, se tamquam veros Jesu Christi discipulos cogitent, et ab eodem se missos fuisse,

PONT. non ad gaudia temporalia, sed ad magna certamina, non ad honores, sed ad despectiones, non ad otium, sed ad labores, non ad requiem, sed ad afferendum fructum multum in patientia.

Exemplorum auctoritas.

§. 29. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio Constitutionis.

§. 30. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, innovationis, revocationis, rescissionis, abolitionis, cassationis, annulationis, damnationis, ac ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, quinto Idus Julii, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragésimo secundo, Pontificatus Nostri Anno II.

Dat. die
11. Julii
1742.

P. Pro-Datarius.

D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 9. Augusti ejusdem Anni.

SPECTACULA

LX.

Inverecunda, Festis potissimum diebus frequen-
tari solita, prohibentur.

*Venerabilibus Fratribus, Episcopis Provin-
ciarum Maritimæ, et Campaniæ, alio-
rumque locorum etc.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Nihil profecto Nobis ad vigilias Dominici Gre- Pontifex
gis assiduè excubantibus accidere potuit acer- dolet, ve-
bius, nihilque quod minus hac tempestate opi- terum lu-
naremur, quam ut deformes, et inverecundi dos, jam
Ethnicorum mores, a quibus Christiani hominis dudum
pudor, et modestia semper abhorruit, denuo damnatos, in
isthic invecti essent, ac veluti postliminio resti- usum re-
tuti. Quamvis enim minime Nos lateret, sce- vocatos.
lestos olim Lupercalium Administros, Sacra
Fauno, vel Pani per ludum, atque lasciviam
persolventes, nudos huc illuc per Urbem dis-
currisse; Sanctumque Pontificem Gelasium
Prædecessorem nostrum tanta commotum im-
pudentia, ac obscœnum morem execrantem,
litteras dedisse Andronico Senatori, Populoque
Romano acri nefarii ritus assertori; Nihilo ta-
men minus memoriæ proditum est, quinto post
Christum sæculo exeunte, Theodorico Italiæ
Rege, et Anastasio Orientis Imperatore, pestem
illam penitus fuisse sublatam, et extinctam. Nunc
vero multorum relatu, (quod dolentes dicimus),
certisque indiciis admonemur, profanum morem,
perpetua involvendum caligine, e tenebris an-

PONT. tiquitatis rursus emergere, ac in Vestris Dioc-
 A. II. cesibus fœdè revocari, cum ad Sanctorum Pa-
 tronorum Festa solemniter recolenda, Pueri,
 ac interdum Adolescentes, cursu in spem Bravii
 nudi contendere jubeantur, maxima utriusque
 sexus, ac omnium ætatum spectante frequentia.

Præser- Quæ quidem spectacula eo nequitix magis, ac
 tim die- improbitatis præseferunt, quo magis non im-
 bus festis. puro alicui, ut antea, Numini, sed piæ, castæ-
 que Sanctorum memoriæ nuncupantur.

Explicat §. 1. Qua igitur corporis nuditate impuden-
 Ecclesiæ tissime habita sunt apud veteres Lupercalia,
 mentem eadem Festi Christianorum Dies istic celebran-
 quoad ce- tur; nec minus injuriæ in illis verecundia passa
 lebratio- est, quam in his hodie morum honestas ha-
 nem Chri- beat detrimenti. Dies Festi non ad id instituti
 stiana- sunt, ut Christianus Populus epulis, ebrietati-
 rum so- bus, ludis, spectaculis, aliæque id genus licen-
 lemnita- tiæ liberius vacet; Sed ut Fideles in precibus,
 tum. divinisque laudibus frequentes, et assidui sint,
 ut Ecclesiis intersint, Sacramenta ad animæ
 vulnerum curationem instituta adhibeant se-
 duloque se exercent in his operibus, quæ ve-
 ram pietatem continent, et ut demum Sanctos
 una cum Christo Regnantes, tamquam Patro-
 nos, congruis officiis, et honoribus prosequantur.

Invere- §. 2. Dedecet præterea membrorum nuditas,
 cundam atque ita dedecet, ut vetuerit Ecclesiastica Di-
 membro- sciplina Salvatoris Imagines nudo penitus cor-
 rum nu- pore in Tabulis, vel Simulacris expressas; Et
 ditatem quamvis nudo corpore Christum Cruci suæ af-
 abomina- fixum, et illorum temporum mores, et gravium
 tur. Scriptorum auctoritas suadeant; adhuc Chris-
 tianorum Pietas a tali spectaculo semper abhor-
 ruit. Athletarum pugnx (ut literis consignatum
 est) in Stadio apud Græcos, in Circo apud
 Romanos in usu fuere, atque in illis Disco,
 Lucta, et Cœstu strenue certatum est; utque
 Veterum testantur monumenta, interdum nudi,
 interdum etiam fascia tecti homines dimi-
 carunt. In vestris igitur Diocesisibus, Vene-
 rabiles Fratres, nonnihil prisæ licentiæ ad-

huc remanet : Et cum in Plateis seminudi his luctationibus vacent homines ; cumque ex industria sæpius , sæpius vero ex violento motu nudi penitus circumagantur : facile quisque conjicere potest , quam absonum , et indecorum sit , his ludis aditum non intercludere.

§. 3. Quapropter ne injuncto Nobis Apostolicæ servitutis officio deesse videamur , districte per hæc scripta mandamus , ut turpes , et obscenæ hujusmodi exercitationes , Puerorum , et Adolescentum nudorum cursus , luctæque , quocumque nomine , vel occasione exhibendæ , a vestris Diocesisibus eliminentur. Et quia inobedienciæ delictum , mixti , ut ajunt , Fori videri potest ; curabimus diligenter , ut si qui legum vestrarum rationi fuerint refragati , in eos , etiam qui nostro nomine Civitatibus temporaliter præsumunt , rigide , et condigne animadvertant ; sicque fore speramus , ut foeda hæc corruptela , utroque percussa gladio radicitus evellatur.

§. 4. Verum quia impioribus etiam Causis Vindices non desunt , et perpugnaces Assertores , si qui forte sint , qui impudenter exprobrent , hujusmodi ludos Pontificum Antecessorum tolerantia , ac diuturno usu invaluisse : hi probe sciant , nullum ex temporis lapsu deploratæ Causæ comparari præsidium. Et ne longa a vestris Diocesisibus petantur exempla , in memoriam revocent , choreas etiam quasdam Mulierum , et Virorum publice eo die haberi solitas , quo S. Xisti Pontificis , et Martyris Alatrinx Civitatis Patroni recolebatur , jussu Episcopi provide veritas fuisse ; et Edictum Episcopi , licet acri calamo Romanæ Curix Advocatorum impetitur , die 2. Aprilis 1694. a Congregatione Negotiis Episcoporum , et Regularium præposita , strenue fuisse propugnatum. Cæterum cum Sancto etiam Gelasio objiceretur , antiqui moris fuisse Lupercalia ; Sanctissimus Pontifex consuetudinem pudori inimicam , et honestati detrahentem reprobavit , ratus Prædecessorum suorum leges saluberrime institutas non defuisse , sed homi-

ANNO
1742.

Præcipit
Episcopis
prohibere
ejusmodi
cursus ,
luctasetc.

Idem Lo-
corum Gu-
bernato-
ribus de-
mandat.

Invetera-
tam con-
suetudi-
nem non
obstare
decernit.

Refert
Decretum
Congrega-
tionis E-
pisc. , et
Reg.

FONT. num fraude, et malitia leges ipsas fuisse con-
 A. II. temptas.

Adbortatio ad E- §. 5. Quemadmodum itaque Nos de perspecta
 pisc. Prædecessorum nostrorum vigilantia egregie, ut
 par est, sentimus, et abusum non illorum in-
 curiæ, sed Subditorum inobedienciæ ducimus
 referendum; Sic a Vobis spectabiles Ecclesiarum
 vestrarum Antistites a quavis negligentia nota
 vindicentur. Quanti Dei honorem, Sanctorum
 cultum, et animarum salutem facitis, Venera-
 biles Fratres, vos hortamur, et obtestamur, ut
 corrupti hujusmodi mores, specie quadam læ-
 titiæ invecti, reformatur, utque creditæ Vobis
 Oves ab impuro, profanoque Ritu declinantes,
 ad piam, et fructuosam Festos dies celebrandi
 rationem traducantur. Nos interea, in optati
 eventus auspiciis, Apostolicam Benedictionem
 Dat. die ex animo Vobis impertimur. Datum Romæ apud
 12. Aug. S. Mariam Majorem die XII. Augusti MDCCXLII.
 1742. Pontificatus Nostri Anno Secundo.



ELECTIO

LXI.

Hieronymi de Bock in Episcopum Harlemensem nulla et illicita declaratur; eidemque inhibetur, ne Consecrationis munus audeat suscipere.

Dilectis Filiis, Universis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecti Filii, salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

QUAMQUAM inhærens altis radicibus fideli animo vestro Catholica Religio satis habeat in se virtutis ad præcavendam execrandi schismatis luem, quæ magis, magisque serpere apud vos nititur; adeo tamen solliciti sumus de incolumi vestra salute, ut noster erga vos amor vere singularis quiescere nequeat, nisi et Nos pro commisso tenuitati nostræ Apostolico Ministerio accuramus ad acuendam vestram vigilantiam, avertendumque venenatæ fraudis periculum, cui devitando nihil salubrius, ac illud, præmonitum fuisse.

Præmi-
um.

§. 1. Quartus jam labitur annus, cum pauci turbulento, ut nostis, ingenio, et a sincera Fide abhorrentes, adscito simulatorum Canonicorum nomine, Petrum Joannem Meindarts in Pseudo-Archiepiscopum Ultrajectensem incredibili temeritate coöptarunt. Sed hujusmodi Electionem statim san. mem. Decessor Noster Clemens XII. vi suarum Literarum in forma Brevis 6. Octobris 1739. nefandam, irritam, inanem declaravit, delevit, abjudicavit. Eundem vero Petrum

Refertur
electio
Pseudo-
Archiepi-
scopi Ul-
trajecten-
sis, ejus-
que dam-
natio.

PONT. Joannem, et quotquot falso Canonicorum Ultra-
 A. III. trajectensium nomine in ipsum suffragia contulerunt, illique adhærentes favorem, opem, consilium, consensum præstiterunt, excommunicavit, anathematizavit, atque ab Ecclesiæ communi-
 one segregatos, ac prorsus Schismaticos habendos, et vitandos, esse declaravit. Quin etiam sub eadem pœna excommunicationis ipso

Et inhibitiones ipsi factæ ne jurisdictionem ullam exercerent.

facto, et sine ulla alia declaratione incurrendæ mandavit, ac severe indixit, ne Jurisdictionem Episcopalem, quam nullam adeptus fuerat, aut pro animarum regimine auctoritatem sibi arrogaret, atque exercere auderet; ne pro suscipiendis ordinibus Dimissorias Literas daret; ne Pastores; ne Missionarios; ne Ministros, Deservitores, aut alios, quocumque nomine nuncupentur, ad animarum curam, et Sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis prætextu, constitueret, ac deputaret. Hinc etiam palam edixit, et declaravit, omnes et singulas antedictorum Officiorumdeputationes pro animarum regimine quocumque nomine jam factas, aut fortasse faciendas, cum omnibus inde sequutis, prorsus irritas esse, nulliusque roboris, ac momenti. Qui vero per ipsius Literas Dimissorias fuisset Ecclesiasticis Ordinibus initiatus, denunciavit eum suspensionis vinculo obstrictum esse, atque irregularitati propterea obnoxium, si susceptos ordines exercuisset.

Neve consecrationis munus susciperet.

Præterea sub pœnis canonicis, suæque indignationis, interdixit omnibus cujusque Catholicæ Ecclesiæ Archiepiscopis et Episcopis, ne antedictum Petrum Joannem frustra electum Archiepiscopum consecrare auderent; sub eisdemque pœnis ipsi Petro Joanni mandavit, ne se cuiquam Archiepiscopo et Episcopo consecrandum præberet: qua illicita, ac nefaria consecratione tot reliquas subiret pœnas, et nihilominus ab omni suscepti Episcopalis Ordinis exercitio suspensus maneret.

Item refertur ip-

§. 2. Quis sanæ mentis homo tam terribili percussus fulmine non cohorruiisset? non is ta-

men sese cohibuit, quem veluti ad perficiendum scelus furia quaedam agitare videbantur; sed reperiens, qui suo temerario consilio nequiter obsecundarent, pristinum inanis electionis novo detestandæ consecrationis crimine cumulavit. Exarsimus ad immane scelus, atque hominem perditum nulliusque pudoris, Satanæ in interitum tradidimus Censuris omnibus illigatum, ni resipisceret; nefariam illius consecrationem, illicitam, illegitimam, sacrilegam, ac contra Supremæ Sedis mandata et sacerorum Canonum sanctiones factam declaravimus; Palam denunciavimus, eundem Petrum Joannem, non solum ab iis, quæ sunt Jurisdictionis, esse suspensum, sed etiam ab iis, quæ sunt Ordinis. Mandavimus propterea, sub pœna excommunicationis ipso facto, et sine alia declaratione incurrendæ, ne ullo pacto Chrisma conficeret, Clericos ordinaret, Virgines consecraret; aut alia Episcopalis Ordinis exercere auderet; Decernentes insuper vacuos, inanes, nulliusque prorsus roboris ac momenti omnes et singulos alios actus, quos attentare præsumperit; ac proinde denunciavimus, si qui ab ipso Ecclesiasticis Ordinibus fuissent initiati, suspensionis vinculo obstrictos esse, atque irregularitati propterea obnoxios, si susceptos ordines exercuissent. Hæc omnia decrevimus ad apertissimum Schisma delendum: quorum vos participes fecimus nostris Literis in forma Brevis 24. Junii 1741. ne subdolis artibus ad ejus suorumque assecularum communionem subornari possetis.

§. 3. Tantum vero abfuit, ut homo ille Ecclesiasticæ pacis inimicus, aut a supremo Patrefamilias minitando rogandoque revocatus, aut ingenua constrictus verecundia, aut publica execratione deterritus, deflexerit a via iniquitatis; ut immo, quam semel ingressus fuit, insistat viam, pergatque audacius: cum dudum non erubuerit quemdam Hieronymum de Bock Harlemensi donare Episcopatu jam diu exolcto,

ANNO
1742.
suis sacri-
lega Con-
secratio.

Censuræ
in ipsum
denuò la-
tæ.

Ejusdem.
que sus-
pensio ab
exercitio
Ordinis.

Is tamen,
deplorau-
do ausu,
Hieron.
de Bock
Pseudo-
Episco-
pum Har-
lemen.
elegit.

PONT. et ab se nunc restituto ea potestate, quam sibi
 A.III. ex ingenio fingit. Illum cum suo commentitio
 Ultrajectensi Capitulo ad hoc etiam temeritatis
 devenisse, ac tot jam flagitiis utrumque iniqui-
 natum tam diro ac prope incredibili scelere se
 sordidasse, ingenti sane luctu comperimus: Non
 quod perterrefacti simus schismate ad extrema
 præcipitante: et Sectatores per summum nefas
 malumque dolum ad sui præsidium illiciente.
 Confidimus enim fore neminem compotem men-
 tis, nedum Catholica veritate imbutum, qui
 non sit irrisurus perniciosam hujusmodi novi-
 tatem, et surgentem, Petro Joanne Meindarts
 conditore, inopinatam Ecclesiam, ipsi, veluti
 suo Capiti, conjunctam, ab eaque divisam,
 quam Nos, licet indigni, Deo auctore mode-
 randam suscepimus. Sed hinc præcipue vehe-
 menter angimur, quod renovari hoc tempore
 vidimus veterem aliquot Schismaticorum insa-
 niam, Episcopales Cathedras, ubicumque libe-
 ret, excitantium; Quamquam ut illa suo con-
 sumpta furore, ludibrioque habita tandem de-
 periit; hujus etiam parem exitum fore non
 dubitamus. Quod ad Nos attinet, id primum
 supplices oramus a Patre misericordiarum, ut
 obstinatam hanc perduellionem sedare velit;
 Deinde, ut, si qui ea involuti ob impletam
 iniquitatis mensuram in profundum demergun-
 tur, nec ullam afferunt emergendi spem, in
 iis sistat nefandum ulcus, ne quid ultra sani
 Gregis inficiat.

Quod nul- §. 4. Cui quidem sistendo pestilenti ulceri,
 liter et aut, si fieri possit, curando, Nos haud negli-
 illegitime gimus e Sacrorum Canonum disciplina remedium
 factum de adhibere. Quapropter Prædecessorum nostro-
 claratur. rum, Sacrarumque Legum morem atque exem-
 pla sequuti, tradita Nobis e Cælo potestate,
 Electionem Hieronymi de Bock in Harlemensem
 Episcopum, a Pseudo - Archiepiscopo Petro
 Joanne, et ab ejus fictis Canonicis factam, nul-
 lam, inanem, nefariam, illegitimam, ac sacrile-
 gam declaramus, eamque rescindimus, dele-

mus, abrogamus. Deinde, sub pœna excommunicationis ipso facto, et sine alia declaratione incurrendæ, mandamus, districtèque indicimus eidem Hieronymo de Bock, ne ullam Episcopalem Jurisdictionem exerceat, ne pro suscipiendis Ordinibus Dimissorias Literas dare, ne Pastores, Missionarios, Ministros, Deservitores, aut alios, quocumque nomine vocentur, ad animarum curam, et Sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis prætextu, constituere ac deputare audeat: ac proinde si quis per ipsius Literas Dimissorias Ecclesiasticos Ordines susceperit, se suspensum, ac propterea irregularitati obnoxium esse sciat, si susceptos ordines exercuerit; Qualescumque vero antedictorum Officiorum deputationes quocumque nomine, sive jam factas sive faciendas, cum omnibus inde sequutis, prorsus irritas; nulliusque momenti declaramus.

§. 5. Præterea, sub eadem pœna excommunicationis ipso facto, et sine alia declaratione incurrendæ, mandamus, tam eidem Hieronymo de Bock, ne se cuiquam Archiepiscopo, aut Episcopo consecrandum, præbeat, quam ipsi Pseudo-Archiepiscopo Petro Joanni, aliisque Archiepiscopis, et Episcopis, ne eundem inane electum Episcopum Harlemensem consecrare audeant. Has autem pœnas decernimus, sine præjudicio illarum, quas tam electus Pseudo-Episcopus, quam Elector Pseudo-Archiepiscopus noverint se incurrisse vigore nostrarum Literarum in forma Brevis xxiv. Junii MDCCXLI.

§. 6. Denique ad vos, dilecti Filii, gaudium et corona nostra, paterni cordis curas cogitationesque convertimus, solícite monentes, atque adhortantes, ut in ea vocatione maneatis, in qua vocati estis, repudiata illorum vafritie, qui incautos pellicere ad se conantur. Date quotidie magis operam, ut seductores intelligant, vos ad verum Christi Domini Ovile, et ad ejus in terris Vicarium pertinere. Spectaculum facti

ANNO
1742.
Ipsique
nulliter
electo in-
terdicitur
exerciti-
um juris-
dictionis
Episco-
palis.

Inhibe-
tur ipsi,
ut Con-
secratio-
nem sus-
cipiat;
aliisque
Episco-
pis, ut
ipsum
consecra-
re audi-
ant.


Adhorta-
tio ad Ca-
tholicos
in Fœd.
Belgio exi-
stentes.

PONT. A. III. estis Mundo, Angelis, et hominibus, qui vos indutos Catholicæ lorica veritatis, et galea salutis, adversus hostes, non minus occulta rabie, quam aperta blandiloquentia insidiosos, strenue pugnare undique circumspiciunt, ac vestram animi fortitudinem, invictamque constantiam eximiis laudibus extollunt; non sine credibili nostro plausu, qui tantam virtutem plurimi facimus, servatamque a vobis Catholicæ Ecclesiæ, Nobis, Romanæque Sedi fidem, singulari amore prosequimur; cujusque pignus Apostolicam Benedictionem vobis, dilecti Filii, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die I. Septembris MDCCXLII. Pontificatus Nostri anno Tertio.

Dat. die
1. Septem-
bris 1742.

J. Vincentius Lucchesinius.

Public. die 28. ejusdem mensis, et anni.



INDULTUM

LXII.

Vacandi operibus servilibus in quibusdam diebus Festis de Præcepto aliàs observari solitis: pro nonnullis Universitatibus Diœcesis Calaguritanæ.

Venerabili Fratri, Episcopo Calaguritano.

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

CUM, sicut quædam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Prædecessor Noster, quæ nulla possunt, ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari; illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum: Eapropter Apostolica hæc Sancta Sedes, pro Paterna erga Universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus Divini Cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus caritatem, ad otium luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientia angore contemnuntur.

§. I. Quoniam autem, sicut pro parte Carrissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper expositum fuit, ipsi Philippo Regi innotuit, in Provincia

Quædam
Disciplinæ
capita
aliquando
temperari
expedit.

Causæ
allatæ pro
obtinenda
reductio-

PONT. A. III. medierum festorum de præcepto.

Ipuscoana, cujus pars in Fraternalitatis Tuæ Diœcesi Calaguritana continetur; præter festos dies in Universalis Ecclesia servari solitos, alios quamplurimos sive pietatis studio, sive quacumque alia de causa præceptos agitari, ita ut quamplurimis ejusdem Provinciæ, et Diœcesis Tuæ hominibus, (qui manu, et labore in sudore vultus vescentes pane suo, ob ingentem festorum dierum numerum, obtenta alendæ vitæ necessitate, vetitis laboribus aditum jam late aperuerunt), si per omnes dies festos hujusmodi a servilibus operibus abstineant, ad vitam lucro sustinendam haudquaquam tempus sufficiat; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Apostolici Indulgenti tenor.

§. 2. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste sustentandam adhibere, quam per severiorem Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos homines specialibus favoribus, et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus etiam ejusdem Philippi Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternalitati Tuæ per præsentem committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus ejusdem Provinciæ in Diœcesi tua existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus Dominicis, Natalis Domini nostri Jesu Christi, et sequenti Sancti Stephani, Circum-

Dies ex-cepti.

cisionis, Epiphaniæ, resurrectionis, et sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, et sequenti itidem diebus Corporis Christi, S. Johannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, Sancti Jacobi, et Commemorationis omnium Sanctorum, præterea quinque dicatis Beatæ Virgini Mariæ Immaculatæ scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, necnon Sancti Patroni; aut Tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat præcepti obligatio, in reliquis diebus Festis, sive per hanc Sanctam Sedem præceptis, sive per Synodales ejusdem Diœcesis Constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa Voti per Majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate nostra Apostolica per Te commutari volumus, præceptis, audita Missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo vacare possint, auctoritate nostra Apostolica concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, præcipias, et mandes.

ANNO
1742.

In reli-
quis con-
ceditur
ut, audita
Missa, o-
peribus
servilibus
vacari pos-
sit.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, Ordinationibus, necnon Provinciæ, et Diœcesis præfatarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Sep-

Clausulæ.

Dat. die 3.
Sept. 1742

PONT. tembris MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno
A. III. Tertio.

D. Card. Passioneus.

Eodem mense Septembri 1742.

*Simile Indultum concessum fuit pro nonnullis
Universitatibus Diœcesis Pampilonensis.*

*Item pro Universitatibus, et hominibus Diœcesis
Pacensis.*

Mense Septembri 1743.

*Simile pro hominibus Civitatis, et Diœcesis Se-
ptensis.*

Mense Septembri 1744.

Simile pro Diœcesi Hispalensi.

Pro Diœcesi Mindoniensi.

Pro Diœcesi Malacitana.

Mense Majo 1745.

*Simile pro Oppido de Olivares nullius Diœcesis
Provinciæ Hispalensis.*

Et pro Civitate, et Diœcesi Vallisoletana.

ORDINATIONES

LXIII.

Omnium Clericorum, et Sacerdotum Ritus Græco - Rutheni a Serviano schismate ad Ecclesiæ sinum redeuntium Episcopo Auxerensi delegantur.

Venerabili Fratri, Matthæo Episcopo Auxeren.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

E SUBLIMI Sedis Apostolicæ specula circumspicientes Dominicum Gregem, a Pastorum Principe tenuitati præcipue nostræ commendatum, a providere curamus, quæ in unaquaque ejus parte, ad salutem, conservandamque spirituales vitam conferre possunt.

§. I. Quod cum propositum sit Nobis, et modo intelligamus, opportunum esse, ut, qui in Dalmatiæ Diocesis a Serviano Schismate ad verum Christi Ovile redierunt, aut redituri sunt, Sacerdotes, et Ecclesiasticæ Hierarchiæ reliquos habeant a Catholico Episcopo consecratos Græco ipsorum Rutheno Ritu; quocirca, ut quotquot inter suæ Gentis Catholicos Clericali Militiæ dare nomen cupiunt, a Schismatico Antistite initiarentur, hanc abruptere absurdam nimis, et Sacris Canonibus vetitam consuetudinem constituimus; adacti metu, ne, non penitus discissa cum morboris Pseudo-Episcopi societate, occulte venenum hauriant, in ceteras Oves dispergendum, nec bona deinceps utantur valetudine.

Procemium.

Causæ præsentis Indulti.

PONT. §. 2. Huic ut occurramus periculo , utque
 A. III. frequentissimæ illorum Parœciæ a Parochis pror-
 Facultas sus Romanæ Catholicæ Ecclesiæ conjunctis ad-
 ordinandi ministrantur , optimum visum est , dare alicui La-
 Græco-Ru tino-Catholico Episcopo , qui eam linguam , et cæ-
 theno ritu remonias calleat , facultatem cooptandi in Ec-
 omnes per clesiasticos Ordines eodem Græco-Rutheno Ritu ,
 Dalmatiam Cle- non solum in propria , sed etiam in alienis Diœ-
 ricanos , cesibus Dalmatiæ , Veneto Imperio subjectis ,
 et Sacer- habito primum consensu ab Ordinariis , quot-
 dotes , quot , Dimissorialibus a proprio Antistite ac-
 serv. ser- ceptis , ejus Populi Parœcias , aliaque Sacra Mi-
 vandis. nisteria curare debent : Quo tempore , atque
 occasione ipsi Latino Episcopo Pontificalia con-
 simili Græco-Rutheno more exercere liceat.
 Episcopo Hanc modo facultatem tantumque munus agen-
 Auxeren- dum tribuimus Fraternitati Tuæ , quam scimus
 si conce- literarii Illyrici sermonis , ab ea Natione ad Sa-
 ditur. cras Functiones adhibiti , peritam esse ; pollere
 simul non mediocri prudentia , ac Religione ;
 unde sperandum sit , eos , quibus manus impo-
 sueris , bene ac solícite officio suo defuncturos
 esse. Id autem ut feliciter peragas , Apostoli-
 cam Benedictionem Tibi , Venerabilis Frater ,
 Dat. die 4. peramanter impertimur. Datum in Arce Gan-
 Oct. 1742. dulphi Albanen. Diœcesis , sub Annulo Piscato-
 ris , die 4 Octobris 1742. Pontificatus Nostri
 Anno III.

J. Vincentius Lucchesinius.

mmmmmm

SACERDOTES

LXIV.

Missam celebrantes non teneri Sacram Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Præmatibus, Archiepiscopis, et Episcopis Italiane

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

CERTIORES effecti, pullulare in nonnullis Italiane Status Diocesisibus controversiam de obligatione, qua controversie Sacerdotes Missas celebrantes adstringantur Eucharistiam ministrare intra easdem fidelibus iis, qui ad ipsam accipiendam paratos se exhibent, ac petunt Sacrificii, cui adstant, participes fieri; Nostro proinde animo reputavimus, gliscenti malo Apostolicæ hujus paginæ documento obviam ire, ne ulterius, haud absque fidelium eorumdem scandalo, progrediatur. Itaque, Venerabiles Fratres, sermonem Nostrum ad Vos convertimus, ut ipsi quoque Pastoralis hac in re Officii partes minime negligatis.

§. I. Ac primo quidem dicendum Nobis occurrit, nemini ex fidelibus in mentem venire posse, Missas privatas, in quibus Sacerdos solus sacram sumit Eucharistiam, propterea veri, perfecti et integri Sacrificii incruenti a Christo Domino instituti rationem amittere, ideoque illicitas esse existimandas. Nec enim ignorant fideles, aut saltem facile edoceri possunt, Sacrosanctum Tridentinum Concilium, innixum Missæ, in quibus solus Sacerdos communicat, improbari nequeunt, ex Conc. Trid.

PONT. doctrinæ, quam perpetua Ecclesiæ Traditio
 A. III. servavit, huic adversantem novam falsamque
 Lutheri sententiam damnasse *sess. 22. cap. 6.*
et can. 8. Si quis dixerit, Missas, in quibus so-
lus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas
esse, ideoque abrogandas: anathema sit.

Ejusdem §. 2. Nihilominus, quandoquidem vetus Ec-
 Concilii, clesiæ praxis, et disciplina, juxta quam fideles
 et Pontificis vo- Missis adstantes participare passim atque in
 tum pro publicis conventibus solebant Sacrosanctum Sa-
 frequenti crificium, institutioni, et exemplo Christi Do-
 fideliu mini omnimode convenit, verba ejusdem Con-
 commu- cilio eo ipso spiritu, quo ab eodem prolata sunt,
 nione ad iteramus: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus,*
 cujuslibet *ut in singulis Missis fideles adstantes, non so-*
 Missæ ce- *lum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eu-*
 lebratio- *charisticæ perceptione communicarent, quo ad eos*
 nem. *sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior prove-*
niret. Utinam autem eo ipso Christianæ pietatis
 fervore, quo primorum sæculorum fideles exar-
 debant, nostrorum quoque temporum homines
 inflammati, avide ad publicam sacram Mensam
 advolare, sanctorumque Mysteriorum solemnita-
 ti non adesse tantum, sed religiose eorundem
 participationem exoptare conspicerentur. Nulla
 certe res est, qua utilius Episcopi, Parochi,
 Confessarii studium suum omne impendere va-
 leant, quam in excitandis fidelibus ad eam
 mentis puritatem sectandam, unde digni red-
 dantur frequenti ad sacram Mensam accessu,
 et non spirituali tantum, sed Sacramentali
 etiam participatione illa Sacrificii, quod a Sa-
 cerdote, tamquam publico Ecclesiæ Ministro,
 non pro se tantum, sed pro ipsis, et ipsorum
 nomine offertur.

Laudatur §. 3. Et quamvis de eodem Sacrificio parti-
 mos parti- cipent, præter eos, quibus a Sacerdote cele-
 cipandi de brante tribuitur in ipsa Missa portio Victimæ
 Sacrificio a se oblatae, ii etiam, quibus Sacerdos Eucha-
 Missæ. ristiam reservari solitam ministrat; non tamen
 idcirco, aut vetuit unquam Ecclesia, aut modo
 vetat, satisfieri ab ipso Sacerdote pietati, et

justæ eorum petitioni , qui Missæ adstantes , ad consortium admitti postulant ejusdem Sacrificii , quod et ipsi pariter offerunt ea ratione , quæ ipsos decere potest : imo probat atque cupit , ne id omittatur , eosque Sacerdotes increparet , quorum culpa , et negligentia fidelibus participatio illa denegaretur.

ANNO
1742.

§. 4. At quoniam in Ecclesia Christiana opus est cuncta ordinate , et congruenter disponi ; Pastores vigilantiam et curam suam conferent , ut ex una parte fidelium pietas minime fraudetur eo accessu , eaque participatione ; ex alia vero ita utrumque sortiatur , quin ulla in laudabilibus aliis institutis oriatur perturbatio , unde facile confusio etiam , et scandalum oriretur. Quare Pastores monere debent eosdem fideles , ut participes esse cupientes sacræ Mensæ , (quod maximopere probandum diximus) studeant tempus , locum , et circumstantias nancisci , quibus et ipsi justorum votorum suorum compotes evadant , nec instituta illa pietatis impediunt. Hisque Pastorum suorum monitis fideles sese dociles præbentes , cavebunt , ne sibi injuriam factam querantur , si quandoque pro tempore , loco , et personis , Episcopus minime opportunum censuerit , a Sacerdote celebrante , Eucharistiam distribui iis , qui adstant ; quibus scilicet eo ipso tempore facilis , et obvia suppetit ratio ad eandem Mensam accedendi , pluribus aliis locis cuivis instructam.

Ad animarum tantum Pastores pertinere , opportunitatem temporum , et locorum , pro communione fidelium , statuere.

§. 5. Haud ægre Episcopi , et Parochi id fidelibus persuadebunt , quoties ipsis significant ex Ecclesiæ disciplina , quæ modo viget , non quidem difficiliorem , sed faciliorem evasisse iisdem participationem , quam optant. Siquidem veteri more in singulis Ecclesiis passim unica Missa celebrabatur , cui fideles adstabant , indeque participabant ; quin a solis propriis Pastoribus , quemadmodum reliqua Sacramenta , ita etiam Eucharistiam licite accipere valebant ; hisce vero temporibus , ex Sacerdotum celebrantium , ex locorum , Altariumque , quibus ea

Hodierna disciplina facillimam præstat SS. Eucharistiæ participationem.

PONT. celebratio publice peragitur, multiplicitate, pa-
 A. III. tet cuilibet facile parabilis sacra Mensa, et ad
 Cui, qui sacrum Convivium admissio. Sin autem iidem
 se aptare fideles ita moniti, importune insisterent pro
 renuit, recipienda Eucharistia in iis temporis, loci,
 male se et personarum circumstantiis, quas excipiendas
 dispositum censuisset Episcopus, Ritualis Romani auctori-
 esse tum esse tate etiam fretus; hæc illorum petitio, utpote
 indicat. nec justa, nec rationabilis, contumacem, ac
 refractarium animum demonstraret, cupidum-
 que perturbationis, ac proinde minime compo-
 situm Eucharistiæ qua par est pietate perci-
 piendæ.

Adhor-
 tatio ad
 animo-
 rum con-
 cordiam.

§. 6. Dum Pastores erga fideles ita se gerent,
 dumque fideles Pastorum dictis pronas ita au-
 res accommodabunt, orietur absque ulla du-
 bietate pax illa perfecta, atque concordia, qua
 capita invicem, et membra magnopere colligari
 decet; desinentque importunæ illæ controversiæ,
 quæ eo tandem tendunt, ut turbas gignant, ac
 scandalum, verique animarum fructus, quo
 nihil Pastori carius esse debet, perniciem. Ver-
 bis itaque Apostoli Pauli ad Corinthios utimur:
Obsecro Vos, Fratres, per nomen Domini No-
stri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et
non sint in Vobis schismata; sitis autem per-
fecti in eodem sensu, et in eadem sententia.

Quæ quidem dum Vobis, Venerabiles Fratres,
 per hæc Apostolica scripta nota esse volumus,
 in felicitatis auspiciam, et Paternæ dilectionis
 pignus, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Dat. die
 13. Nov.
 1742.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem
 die XIII. Novembris MDCCXLII. Pontificatus No-
 stri Anno III.

~~~~~

## LEGES OBSERVANDÆ

LXV.

In Concedendis locationibus bonorum Camerae  
Apostolicæ.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

MOTU PROPRIO ETC.

**E**SSENDO ben gravi le controversie, che con Providen-  
tia Ponti-  
ficis in tol-  
lendis con-  
troversiis  
pregiudizio non meno del pubblico, che del pri-  
vato Interesse, accadono spesse volte nelle deli-  
berazioni degli Appalti de' nostri Beni Camerali,  
a cagione delle competenze, che insorgono tra  
gli Oblatori; Crediamo esser parte della nostra  
suprema vigilanza, e di quel molto desiderio,  
che abbiamo sempre coltivato, di togliere, per  
quanto possibile sia, ogni semenza di litigio il  
porgere alle medesime un convenevole provvedi-  
mento, colla norma fissa, ed invariabile delle se-  
guenti leggi, e determinazioni.

I. Che negli Appalti Camerali, un anno al-  
meno prima, che termini ciaschedun, Appalto, si  
debbano invitare per mezzo de' soliti Editti coloro,  
che vogliono attendervi, a dare ciascheduno per  
un tal giorno determinato l'Offerta sua chiusa,  
e sigillata.

II. Che venuto il giorno prefisso negli Editti,  
debbano aprirsi le Offerte in piena Congregazione  
Camerali, e debba deliberarsi l'Appalto, prout  
de Jure, al maggiore, e miglior Oblatore, salvo  
però sempre alla medesima Congregazione l'ar-  
bitrio di prorogare con altri nuovi Editti il ter-  
mine da offerire, quando creda, che niuna delle  
Offerte, che saranno state date, sia giusta, e  
ragionevole, relativamente allo stato allora pre-  
sente dell' Appalto.

Jubet i.  
Edicta  
pro obla-  
tionibus  
deferen-  
dis ante  
annum  
propoui.  
2. Obla-  
tionibus  
statuta  
die aper-  
tis, loca-  
tionem de  
liberari  
in favo-  
rem  
melioris et po-  
terioris O-  
blatoris,  
salvo ar-  
bitrio pro  
rogandi  
tempus.



PONT. III. *Fatta come sopra la deliberazione dell'*  
 A. III. *Appalto in favore del maggiore, e migliore Obla-*  
 3. Licere *tore, e quella di poi approvata da Noi, e da'*  
 cuilibet *Sommi Pontefici pro tempore nostri Successori,*  
 intra 20. *debba soprassedersi prima di venire alla stipola-*  
 dies obla- *zione dell' Istromento per lo spazio di venti giorni*  
 tionem *continui, da incominciare dal giorno immedia-*  
 augere ad *tamente seguente alla suddetta deliberazione, af-*  
 vicesi- *finchè dentro questi venti giorni possano, tanto*  
 nam et *quelli, che hanno già offerto, e sono rimasti*  
 ultra. *vinti, ed esclusi, quanto ogni altro, che non*  
*abbia prima offerto, aggiungere sopra la detta*  
*maggior Offerta, per la quale è stato deliberato*  
*l'Appalto, purchè quest'aggiunta non sia minore*  
*della Vigesima: E per tal' effetto vogliamo, e*  
*dichiariamo, che in avvenire tutte le deliberazioni*  
*che si faranno di simili Appalti dalla Congre-*  
*gazione Camorale, ancorchè siano successivamente*  
*approvati da Noi, o da' nostri Successori pro*  
*tempore, o in voce, o per rescritto, o anche per*  
*Chirografo speciale, s'intendano sempre fatte, e*  
*approvate col patto Addictionis in diem, durante*  
*il suddetto termine di venti giorni; di maniera*  
*che Quegli, in favor di cui è stato deliberato*  
*l'Appalto, non acquisti dritto alcuno sopra il*  
*medesimo in virtù di detta deliberazione, e rispet-*  
*tivamente approvazione, quante volte dentro il*  
*suddetto termine di venti giorni sopravenga alcun'*  
*altro, che sopra la di lui Offerta aggiunga al-*  
*meno la Vigesima.*

4. Post. IV. *Spirato il termine di detti venti giorni,*  
 20. dies, *se non sarà comparso alcun'altro Oblatore, che*  
 vel Instru- *abbia offerta, come sopra, almeno la Vigesima,*  
 mentum *non averà più luogo a favor della nostra Camera,*  
 confici *il suddetto Privilegio Addictionis in diem, ma*  
 cum prio- *potrà senz' altro indugio, e senza ammettersi*  
 re Obla- *altra Offerta, stipolarsi l' Istromento d' Appalto*  
 tore vel *con Quegli, in favor di cui fu da principio de-*  
 locatio- *liberato. Ma se all' incontro dentro il suddetto*  
 nem deli- *termine di venti giorni saranno comparsi uno, o*  
 berari fa- *più Oblatori, che abbiano aggiunta almeno la*  
 vore offe- *Vigesima; in tal caso dovrà la nostra Camera*  
 rentis Vi- *cesimam.*

godere del suo Privilegio Addictionis in diem, e dovrà la suddetta Congregazione Camerale deliberar nuovamente l' Appalto in favor di Quegli, che avrà aggiunto almeno la Vigesima: E in concorso di più Oblatori sopra la Vigesima, dovrà deliberarlo in favor di Quegli, che sarà a giudizio suo il migliore, e maggior Oblatore.

V. Sarà poi peso di questo Secondo, dopo che sarà stata da Noi, o da' nostri Successori approvata la suddetta nuova deliberazione, denunciare, ed intimare al Primo, con Intimazione eseguita personalmente, l' aggiunta della Vigesima, o di altra maggior somma da lui fatta, e la nuova deliberazione seguita a suo favore; dopo la quale Intimazione si lascerà al suddetto Primo il termine di altri dieci giorni, ad effetto, che possa risolvere, se vuol fare nuova Offerta superiore a quella del Secondo: E quando il Primo dentro il termine delli suddetti altri dieci giorni faccia nuova Offerta superiore a quella del Secondo; in tal caso dovrà a lui restar l' Appalto, senza che possano più riceversi altre nuove Aggiunte, o siano Offerte. Ma quando all' incontro il suddetto Primo, dentro i suddetti dieci giorni non faccia nuova Offerta superiore a quella del Secondo; in tal caso l' Appalto dovrà restare al secondo, e con lui senz' altro indugio potrà stipularsi l' Istromento; così che, passati che siano detti dieci giorni, non dovranno più ammettersi altre nuove Aggiunte, o siano Offerte, nè dal Primo, nè dal altri.

VI. Da questa proibizione di ammettere altre nuove Aggiunte, o siano Offerte, si eccettua il solo caso, che venga alcun' Oblatore, o di quelli, che già siano concorsi, o altri, che non siano concorsi, qual offerisca almeno la Sesta sopra l' ultima maggior Offerta del Primo, o del Secondo; perchè in tal caso la nostra Camera, a titolo di lesione dovrà godere il beneficio della restituzione in Integrum; qual beneficio, a differenza del Privilegio Addictionis in diem, compete al Fisco, ancorchè la cosa non sia più intiera, ancorchè sia stato stipolato l' Istro-

ANNO  
1742.

5. Hoc casu licere prior Oblatori augere oblationem intra 10. dies; sed his elapsis, Instrumentum melioribus conditionibus omnino confici.

6. Si quis tamen sextam partem ultra offerat, competere Camere Apostolicæ restitut. in integrum.

PONT A. III. *mento, è ancorchè l'Appaltatore abbia già preso, e si trovi in possesso attuale della cosa locata; nè altro in tal caso può pretendere il medesimo Appaltatore, che di esser preferito, supplendo ancor lui il giusto prezzo, cioè la medesima Sesta.*

Sed hoc  
iutra tres  
Menses  
tantum a  
die delibe-  
rationis.

*Ma perchè ammettendosi questa restituzione in Integrum senz' alcuna limitazione di tempo, (come saria di ragione,) potrebbe rendersi più difficile alla Camera il trovare idonei Appaltatori, per lo giusto timore, che ogniuno avrebbe, di poter esser cacciato dall' Appalto per questa via di restituzione in Integrum, dopo averlo reso per sua propria diligenza, e industria più fruttuoso del passato; Perciò ordiniamo, che si debba ammettere l' offerta della Sesta, dentro però il solo termine di tre mesi, da incominciare dal giorno, che sarà stato deliberato, come sopra, l' Appalto, o per la via ordinaria, o in virtù del suddetto Privilegio Additionis in diem, al maggiore, e migliore Oblatore; ancorchè questi, dentro il suddetto termine di tre mesi, fosse venuto colla Camera alla stipolazione dell' Istromento, e ancorchè avesse fatto delle spese, o altri preparamenti in qualunque modo necessari per l' esecuzione del medesimo Istromento, o per la buona condotta dell' Appalto: Volendo Noi, che dentro questo termine di tre mesi sia sempre luogo all' offerta della Sesta, e alla recissione del Contratto per via di restituzione in Integrum; e che perciò Quegli, al quale, come sopra, fosse stato deliberato l' Appalto, in caso di detta recissione, non possa pretendere, nè dalla Camera, nè dal nuovo Oblatore il rifacimento di alcuna sorte di spese, che avesse fatte dentro il termine suddetto; ma solamente possa, e debba esser preferito, quando voglia anch' esso supplire la medesima Sesta, o altra maggior somma, che sia stata offerta dal nuovo Oblatore.*

Tunc vero  
priori  
Oblatori  
competere  
prælationem  
cæteris  
paribus,  
non autem  
refectionem  
sumptuum etc.

7. Post  
d. tres  
menses,

*VII. Passati poi li suddetti tre mesi dal giorno della deliberazione, come sopra, non sia più luogo alla recissione del Contratto, ma quello debba restar fermo, e irrevocabile per tutto il*



*tempo convenuto, e secondo la forma, e patti concordati nella deliberazione: E solamente alla Camera rimanga salvo, e preservato il diritto d'impugnare il Contratto, in caso di lesione ultra dimidiam, quatenus de Jure, et prout de Jure, ed a tenore delle Costituzioni Apostoliche, senz' alcuna limitazione di tempo, quando a questa non sia stato da Noi, o da nostri Successori specialmente, e nominatamente derogato.*

VIII. *E finalmente, coll' occasione di questo regolamento sopra gli Appalti Camerali, volendo Noi anche provvedere alli aggravii, che si fanno tutto giorno dagli Appaltatori alli Sudditi del nostro Stato Ecclesiastico, ordiniamo, che nello stipolare gl' Istromenti coi suddetti Appaltatori, niuno ardisca senz' ordine, o Chirografo speciale sottoscritto da Noi, e nostri Successori pro tempore, porre alcun Capitolo, col quale alcuna Gabella, o Privativa cadente sotto l' Appalto, venga in qualunque modo distesa ed ampliata, oltre i casi, e termini prescritti nell' Istituzione di tal Gabella, o Privativa, e diversamente da quello ch' è stato generalmente praticato, ed osservato in tempo de' passati Appaltatori; dichiarando Noi invalido, e nullo qualunque Capitolo d' Istromento, e qualunque Editto, o Bando, che fosse fatto, o che si facesse in contrario.*

*Quali ordini in avvenire vogliamo, ch' esattamente siano osservati in tutte le deliberazioni degli Appalti Camerali, sotto pena della loro nullità, da incorrersi ipso facto, et ipso Jure, senz' altra dichiarazione di Giudice, e che a tenore de' medesimi ordini debba seguire la pubblicazione, e rinnovazione degli Editti, e la stipolazione de' suddetti Appalti, anzi giusta la di loro forma si debbano intender pubblicati gli Editti, consumate le deliberazioni, e stipolati li pubblici Istromenti; perchè così, e non altrimenti ordiniamo, e comandiamo, e come legge vogliamo, che inviolabilmente si osservi per esser così mente, e volontà nostra precisa. Volendo, e decretando, che la presente nostra Cedola di Moto proprio,*

ANNO  
1742.

Contra-  
ctum re-  
sciudi  
non pos-  
se, nisi ex  
causa læ-  
sionis ul-  
tra dimi-  
diam.

8. In Con-  
ditioni-  
bus loca-  
tionum  
nihil addi  
posse, quo  
vectigalia  
ultra le-  
gem eo-  
rum insti-  
tutionis,  
et consue-  
tudiuem  
augean-  
tur.

Clausulæ,  
et Decreta  
irritantia.

PONT. *da ammettersi, e registrarsi in piena Camera;*  
 A. III. *e ne' suoi libri, secondo la Bolla di Pio IV. nostro Predecessore de registrandis, vaglia, e debba avere sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla nostra semplice sottoscrizione, e che non gli si possa mai opporre di surrezione, orrezione, né di alcun altro vizio, o difetto della nostra volontà, ed intenzione; e che così, e non altrimenti, debba sempre nelle cose premesse giudicarsi, definirsi, decidersi, ed interpretarsi dal Reverendissimo Cardinal Camerlengo, da Monsign. Tesoriere Generale, dalla piena Camera, e da qualunque altro Giudice, e Tribunale, sebbene Collegiato, e composto di Reverendissimi Cardinali; togliendo loro, ed a ciascuno di essi la facoltà, ed autorità di giudicare, definire, ed interpretare diversamente; dichiarando fin da ora nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che si facesse, o si tentasse di fare in contrario. Ancorchè non vi sia stato chiamato, citato, né sentito Monsign. Commissario della nostra Camera, o altri, che vi avessero, o pretendessero avervi interesse; e non ostanti le Costituzioni di Paolo II. Paolo IV. e del detto Pio IV. nostri Predecessori de rebus Ecclesiæ, et Camerae non alienandis, ogni, e qualunque Jus, e dritto competente alla nostra Camera, benchè chiuso nel Corpo delle Leggi, la Regola della nostra Cancellaria de Jure quæsito non tollendo, e qualsivisiano altre Costituzioni, ed ordinazioni Apostoliche nostre, e de' nostri Predecessori, usi, stili, consuetudini, Sentenze, Decreti, e Re-Judicata in casi simili, ed ogni altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario; alle quali tutte, e singole, avendone il di loro tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, per il solo effetto suddetto, amplamente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal nostro Palazzo Apostolico Quirinale questo dì 23. Novemb. 1742.*

Sublata  
 secus ju-  
 dicandi  
 facultate.  
 Deroga-  
 tiones.  
 Dat. die  
 23. Nov.  
 1742.

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Registrata in Camera Apostolica die 28.  
 ejusdem mensis, et anni.*

## EPISCOPIS RUTHENIS

LXVI.

Suadet Pontifex, ut unionem Monachorum Sancti Basilii sub unico Proto-Archimandrita promoveant, et foveant.

*Venerabilibus Fratribus, Athanasio Kioviæ Archiepiscopo totius Russiæ Metropolitano, necnon Episcopis Ruthenis, Theodoro Luceoriæ, Feliciano Chelmensi, Hieronymo Premisliæ, et Georgio Pinscensi.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.*

**E**TSI dubitare non possumus, Fratritates Pontificis vestras diligentem daturas operam, ut, debita mens in reverentia, et nulla mora, Decretis pareatur, deman- quæ de consilio Venerabilium Fratrum Nostro- danda pagandæ Fidei negotiis præsentium, nuper Monacho- edidimus pro colligendis in unum Corpus sub rum unio- ne. uno Capite, unaque jurisdictione, Ruthenis Monachis Basilianis; Cum tamen e literis com- muni vestro nomine ad Nos datis perceperimus, modeste vos subvereri, ne in iis quidpiam incommodum vestris consuetudinibus, et privilegiis sancitum fuerit; vos, pro singulari nostra erga vestram Nationem benevolentia, censuimus admonendos, eadem Decreta id solum spectare, ut ipsi Monachi in unum Cœtum coalescentes, atque ita facilius Monastica disciplina instituti, ad suam salutem incumbant, et ad firmiter obstringendos Apostolicæ Sedi Popularem animos.



PONT. §. 1. Quæ sane Decreta eo etiam in venera-  
A. III. tione esse debent, quo inhærent perpetuo Ro-

Eadem manæ Cathedræ proposito; redigendi in unum  
aliàs a S. Ordinem cunctos Ruthenos Basilianos Mona-  
Sede op- chos, eosque subjiciendi uni supremo Præsidi,  
tata fuit. qui e propinquo servari jubeat domesticas leges,  
caveatque ne ulla ex parte Religiosa disciplina  
detrimentum faciat. Quocirca *Unitorum*, ut vo-  
cant, *Ordini*, sub Sanctissimæ Trinitatis no-  
mine militantium, data fuit olim facultas con-  
dendi idoneas huic consilio leges, a Pontifice  
Maximo confirmandas, ejusque auctoritate ro-  
bur habituras. Quod pariter vestra Zamosciensis  
Et a Sy- Synodus luculenter sibi proposuit, testata, in  
modo Za- unum congreganda esse Corpus quotquot Mo-  
moscien- nasteria ad verum Christi Ovile tum redierant,  
decreta. aut reditura forent, quæ in schismate, nulli  
omnium maximo Rectori cohærebant. Id autem  
nemo non videt facilius obtineri, si quicquid  
est Ruthenorum Basilianorum sodalium, totius  
Russiæ Proto-Archimandritæ obediat, ejusque  
imperata faciat. Nec dubitari potest, hanc fuisse  
ejusdem Zamosciensis Concilii mentem, siqui-  
dem Metropolita Leo Kiska, qui, permittente  
Romana Sede, Synodum ipsam congregavit, vix  
ea finem acceperat, scilicet quadragesimo post  
die, cum aliis suæ Gentis Episcopis sedulo po-  
stulavit, ut cunctæ Basilianæ Familiæ supremus  
Præfectus alternatim eligeretur ex Lithuanis, et  
Volimniensibus Monachis; dato documento, ita  
sensusse de uno constituendo Præsidente Zamo-  
sciensium Patrum constitutionem; qua in hunc  
sensus accepta, Synodum confirmavit Aposto-  
lica Sedes, cujus est, de vero Synodali sensu  
judicare.

Episco-  
porum  
jura, et  
Nationis  
Ritus nul-  
lum ex ea  
detrimen-  
tum acce-  
ptura.

§. 2. Quod autem attinet ad vestras modeste  
exhibitâs querelas, iisdem Nostris Decretis im-  
minutum iri Episcopalem jurisdictionem, Mo-  
nachis ab ipsa exemptis; satis erit ad eas se-  
dandas, ut in memoriam revocetis, id antea  
a vobis concessum sponte fuisse, et in OEcum-  
enica Tridentina Synodo expresse comproba-

tum, confirmatumque: quam saluberrimam Synodum libenter a vestro Zamosciensi Conventu, nulla exceptione, venerabunde acceptam, ex ejusque placitis plura sæpius a vobis sancita fuisse, profecto non ignoratis. Nec vobis in mentem veniat reputare, quicquam ibi vestris Ruthenis Ritibus adversari, quos, et quoscumque alios laudabiliter institutos, ubique servandos existimarunt sapientissimi illi Patres; rati, ex incorruptarum Ceremoniarum diversitate, Catholicæ Ecclesiæ decus accedere. Et a Nobis quam maxime alienum est, ab hujusmodi sententia vel minimum discedere.

§. 3. Igitur cum nihil vobis timendum sit, ne, Nostris pronunciatis Decretis, probatæ ab hac Sanctissima Sede consuetudines vestræ vulnus aliquod acceperint; cum vos ipsi sponte decreveritis Monachos sui esse juris; cum iidem illos optaverint in unum coire Ordinem, conspicati, hoc pacto melius consuli Monasticæ disciplinæ, ac Ruthenorum utilitati; quid est, quod Apostolicam benignitatem ad præsidium vestrum invocetis? Hanc autem ad opportuniorem usum reservare poteritis, et quam non semel experti estis, nunquam vobis defuturam existimare; præsertim si ad ipsam conciliandam eximum studium adhibueritis, ut nihil impedimento sit, sæpius nuncupatis decretis nostris debita obedientia exequendis. Quod ut commodius fieri queat, permisimus Nuntio isthic Nostro, tempus idoneum designare ad cogendum Monachorum Conventum, ut ibi, maturo consilio, norma constituatur, qua negotium illud ad exitum perducatur; Interim Fraternalitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxvii. Novembris 1742. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

ANNO  
1742.

Suadetur  
Episco-  
pis, ut ei-  
dem con-  
stituendæ  
non ad-  
versentur

Dat. die  
27. Nov.  
1742.

*J. Vincentius Lucchesinius.*

PONT.  
A. III.

LXVII.

## ELECTO DE NANKIM

Præcipitur, ut, ante consecrationem, juramentum emittat, ad formam Constitutionis supra positæ num. 59.

*Dilecto Filio, Francisco de Sancta Rosa de Viterbio, Electo de Nankim in Indiis Orientalibus*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecte Fili, salutem, et Apostolicam  
Benedictionem.*

Provisio  
facta Ec-  
clesiæ de  
Nankim.

**N**UPER Nos, in Consistorio nostro secreto, Ecclesiæ de Nankim, cui bon. mem. Emanuel de Jesu Maria ultimus illius Episcopus, dum viveret, præsidebat, per obitum ejusdem Emanuelis Episcopi extra Romanam Curiam defuncti, Pastoris solatio destitutæ, de persona tua, Nobis, et Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica providimus. Teque illi in Episcopum præfecimus, et Pastorem; curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiæ de Nankim Tibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo; prout in nostris desuper super plumbo expeditis Literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem Pastoralis officii nostri esse ducimus, Tibi injungere, prout

Præceptum præ-



auctoritate præfata tenore præsentium injungimus, quod, antequam munus Consecrationis suscipias, juramentum illud, quod Missionarii omnes in Sinis degentes jam emisierunt, hoc est de fideliter, integre, et inviolabiliter observando præcepto, ac mandato super Ritibus, et Ceremoniis Sinensibus in Constitutione felicitis recordationis Clementis Papæ XI. Prædecessoris nostri die XIX. Martii MDCCXV. hac de re edita, et in nupera Constitutione nostra, quæ incipit: *Ex quo singulari*, confirmata, contento, similiter emittere, ipsumque juramentum tua subscriptione, et sigillo munitum, vel saltem authenticum illius exemplum, ad Nos quantocius transmittere omnino tenearis. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Forma autem juramenti, quod præstabis, hæc est: *Ego Franciscus de Sancta Rosa de Viterbio Electus de Nankim, præcepto, et mandato super Ritibus, et Ceremoniis Sinensibus in Constitutione piæ mem. Clementis Papæ XI. die XIX. Martii MDCCXV. hac de re edita, qua præsentis juramenti formula præscripta est, contento, ac mihi per integram ejusdem Constitutionis lecturam apprime noto, plene, ac fideliter parebo, illudque exacte, absolute, et inviolabiliter observabo, et absque ulla tergiversatione adimplebo, atque pro virili enitar, ut a meis subditis, aliisve, quorum cura ad me in munere meo spectabit, quantum in me erit, similiter observari, et adimpleri curabo: Ac insuper, quantum in me est, nunquam patiar, ut Ritus, et Ceremoniæ Sinenses in Literis Pastoralibus Patriarchæ Alexandrini Macai datis die IV. Novembris MDCCXXI. permissæ, ac a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XIV. damnatæ, ab eisdem subditis ad praxim deducantur; Si autem (quod Deus avertat) quoquomodo contraverim, toties, quoties id evenerit, pœnis per præfatas Constitutiones impositis me subjectum agnosco, et declaro. Ita, tactis Sacrosanctis Evangeliiis, promitto, voveo, et juro; sic me Deus ad-*

ANNO  
1742.

standi Juramentum et transmittendi ad Sedem Apostolicam.

Formula  
juramenti.

PONT. *juvet, et hæc Sancta Dei Evangelia. Ego Fran.*  
 A. III. *ciscus de Sancta Rosa de Viterbio Electus de*  
*Nankim manu propria.*

Dat. die Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub  
 3. Dec. Annulo Piscatoris die III. Decembris MDCCXLII.  
 1742. Pontificatus Nostri Anno III.

*D. Cardinalis Passioneus.*

FINIS PRIMI VOL.

# INDEX

## INITIORUM SINGULARUM CONSTITUTIONUM

*QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.*

|                                 | <i>Pag.</i> |
|---------------------------------|-------------|
| <b>L</b> ÆTIOIRA. I.            | 1           |
| Ubi primum. II.                 | 7           |
| Maximo ad labores. III.         | 15          |
| Nemo est. IV.                   | 17          |
| Ad Apostolicæ servitutis. V.    | 23          |
| Essendo Noi. VI.                | 28          |
| Quod sancta. VII.               | 37          |
| Decet Romanum Pontificem. VIII. | 47          |
| Ad Passionis. IX.               | 53          |
| Cum ad infrascriptam. X.        | 54          |
| Auget Pastoralem. XI.           | 56          |
| Cum, sicut accepimus. XII.      | 59          |
| Apostolicæ servitutis. XIII.    | 62          |
| Pastoralis Roman. Pont. XIV.    | 69          |
| Sæpe Romanorum Pont. XV.        | 82          |
| Matrimonii perpetuum. XVI.      | 89          |
| Benignitatem Dei. XVII.         | 91          |
| Quod Apostolus. XVIII.          | 95          |
| Non ambigimus. XIX.             | 97          |
| Sacramentum Pœnitentiæ. XX.     | 101         |
| Cum Sacrarum Virginum. XXI.     | 108         |
| Quanta cura. XXII.              | 112         |
| Pro eximia. XXIII.              | 116         |
| Romanæ Ecclesiæ. XXIV.          | 118         |
| Quemadmodum ingenti. XXV.       | 125         |
| Grave, et permolestum. XXVI.    | 127         |
| In suprema. XXVII.              | 132         |
| Quamvis Paternæ. XXVIII.        | 135         |
| Universalis Ecclesiæ. XXIX.     | 140         |



|                                 |     |
|---------------------------------|-----|
| In sublimi. xxx.                | 145 |
| Singularis. xxxi.               | 151 |
| Militares. xxxii.               | 160 |
| Dei miseratione. xxxiii.        | 166 |
| Matrimonia. xxxiv.              | 178 |
| Satis Vobis. xxxv.              | 182 |
| Ad Sepulcra Apostolorum. xxxvi. | 191 |
| Præcipuum. xxxvii.              | 197 |
| Immensa. xxxviii.               | 204 |
| Regularis disciplinæ. xxxix.    | 210 |
| Salutare. xl.                   | 217 |
| Exponi Nobis. xli.              | 223 |
| Etsi minime. xlii.              | 225 |
| Apostolica. xliii.              | 235 |
| Quantum. xliiv.                 | 245 |
| Ad Apostolicæ. xlv.             | 260 |
| De Congregationis. xlvi.        | 266 |
| Pastoralis regiminis. xlvii.    | 268 |
| Ad militantis Ecclesiæ. xlviii. | 275 |
| Quod communi. xlix.             | 295 |
| In virtutibus. l.               | 299 |
| Rationi congruit. li.           | 302 |
| Exponi Nobis. lii.              | 331 |
| A Dilecto Filio. liii.          | 333 |
| Literæ. liv.                    | 335 |
| Cognovimus. lv.                 | 337 |
| Acerbi plane doloris. lvi.      | 338 |
| Etsi Pastoralis. lvii.          | 342 |
| Exponi Nobis. lviii.            | 383 |
| Ex quo. lix.                    | 388 |
| Nihil profecto. lx.             | 423 |
| Quamquam inhærens. lxi.         | 427 |
| Cum sicut. lxii.                | 433 |
| E sublimi. lxiii.               | 437 |
| Certiores effecti. lxiv.        | 439 |
| Essendo ben gravi. lxv.         | 443 |
| Etsi dubitare. lxvi.            | 449 |
| Nuper Nos. lxvii.               | 452 |

## INDEX

ARGUMENTORUM EARUMDEM CONSTITUTIONUM.

ANNO MDCCXL.

PONTIFICATUS ANNO I.

- J**UBILÆUM Universale initio Pontificatus indicitur.  
 II. *Novembris.* 1
- III. Epistola Encyclica commonitoria ad omnes Episcopos. 3. *Decembris.* 7
- IV. Abbreviatoribus de Parco Majori conceditur usus Redimiculi galeri, vulgo *Cordone*, coloris violacei, etiam dimisso Officio. 13. *Septembris.* 15
- V. Congregationi pro Gubernio Civitatis Firmanæ, ejusque comitatu, ab Innocentio XII. erectæ, nova forma constituitur. 20. *Septembris.* 17
- VI. Erectio Congregationis Particularis super promovendis ad Archiepiscopatus, et Episcopatus. 17. *Octobris.* 23
- VII. Prohibetur omnibus Regularibus in Urbe degentibus, exceptis Hospitalariis S. Joannis de Deo, exercitium artis Aromataria pro secularibus, et venditio pharmacorum, et medicamentorum. 14. *Novembris.* 28
- VIII. De Sacris Liminibus Beatorum Apostolorum visitandis. Confirmatur Constitutio Sixti Papæ V., eaque extenditur ad Abbates, aliosque habentes Monasteria, seu Ecclesias cum jurisdictione quasi Episcopali, et Territorio separato. 23. *Novembris.* 37
- IX. Erectio congregationis Particularis nonnullorum Romanæ Curia Prælatorum, Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum adjectæ; pro excipiendis, examinandisque Relationibus

- Episcoporum , Abbatum etc. super statibus suarum Ecclesiarum. 23. *Novembris.* 47
- ix. Indulgentiæ , seu Relaxationes centum dierum de injunctis , seu debitis Pœnitentiis , pro recitantibus flexis genibus singulis Feriis sextis quinques Orationem Dominicam , et toties Salutationem Angelicam , ad sonum Campanæ , hora Tertia post meridiem , in memoriam Passionis , et Agoniæ Domini Nostri JESU Christi. 23. *Decembris.* 53

## ANNO MDCCXLI.

- x. Conceditur P. Guardiano Sancti Sepulchri Ordinis Minorum de Observantia , ut absentibus Episcopis Latini Ritus , valeat conferre Sacramentum Confirmationis cum Oleo , et Chrismate a Catholico Antistite benedictis. 9. *Januarii.* 54
- xi. Consecratio Joannis Petri Meindarts intrusi in Archiepiscopatum Ultrajectensem damnatur , atque excommunicationis et suspensionis censura in ipsum edicitur. 24. *Januarii.* 56
- xii. Declaratur , quod omnes , qui provisi fuerint a S. R. Ecclesiæ Cardinalibus Ordinariis Collatoribus , sive vigore exceptuacionis Regulæ ix. Cancellariæ , sive vigore Indulti Apostolici , de beneficiis Ecclesiasticis vacatis in mensibus Sanctæ Sedi reservatis , et valorem viginti quatuor Ducatorum excedentibus , semper teneantur ad reportandum infra certum tempus novam provisionem a Sede Apostolica. 25. *Januarii.* 59
- xiii. Clericis interdicitur quælibet negotiatio , etiam sub alieno Laici nomine , exceptis Casibus , et circumstantiis in Constitutione expressis , sub pœnis alias contra Clericos negotiatores emanatis : et extenditur pœna spoli ad eos etiam , qui ab illo exempti sunt per indulta personalia , aut generalia , ad effectum testandi , vel transmittendi. 25. *Februarii.* 62
- xiv. Literæ Processus publicatæ die Cœnæ Domini Anno MDCCXLI. 30. *Martii.* 69
- xv. Canonici , et Moniales Ordinis Hospitalarii S. Spiritus , in Hispaniarum , et Poloniæ Regnis com-



- morantes, a jurisdictione Præceptoris Generalis S. Spiritus in Saxia de Urbe eximuntur, et Locorum Ordinariis subjiuntur. 5. *Aprilis.* 82
- xvi. Admonitio ad Episcopos in Polonia Regno constitutos, ut cautius procedant in admittendis Conjugiorum dissolutionibus. 11. *Aprilis.* 89
- xvii. Beatificatio Beati Alexandri Saulii, ex Clericis Regularibus Sancti Pauli Barnabitis nuncupatis, primum Aleria, deinde Papiæ Episcopi. 23. *Aprilis.* 91
- xviii. Approbantur Decreta a Congregatione Cæremoniali particulari edita pro Archiepiscopis, sive Episcopis, et Præsidibus, Gubernatoribus ac Vice-Legatis per Ditionem Ecclesiasticam constitutis. 15. *Maji.* 95
- xix. Providetur abusibus adversus Jejunii Quadragesimalis observantiam invectis. 30. *Maji.* 97
- xx. Innovantur pœnæ adversus Confessarios, qui Pœnitentes ad turpia sollicitant; cum præcepto hujusmodi denunciandi, et reservatione absolutionis quoad calumniatores. Adimitur præterea Sacerdotibus facultas Sacramentum Pœnitentiæ administrandi complicibus in peccato contra castitatem, cum pœnis etc. 1. *Junii.* 101
- xxi. Monialibus in Portugallia, et Algarbiorum Monasteriis rigorosam Clausuram professis, et extra illa degentibus, injungitur reditus ad Claustra, et egressus in posterum prohibetur. 1. *Junii.* 108
- xxii. Mercimonia super eleemosynis Missarum ventantur, sub pœna Censurarum, quarum absolutio Summo Pontifici reservatur. 30. *Junii.* 112
- xxiii. De eodem argumento Breve encyclicum ad episcopos Provincia Pedemontanæ. 30. *Junii.* 116
- xxiv. Confirmatur Militia Sancti Januarii Episcopi, et Martyris a Carolo Rege utriusque Sicilia erecta; ejusque Officialibus, et Militibus plura indulta, et Privilegia conceduntur. 30. *Junii.* 118
- xxv. Jurisdictio in Ægyptios aliosque Ritus Cophitici ad Ecclesiam Catholicam conversos cujuscumque sint Diœcesis, tribuitur Episcopo Hierosolymitano ejusdem Ritus. 4. *Augusti.* 125
- xxvi. Residentia in propriis Diœcesibus Episcopis Hibernia inculcatur. 15. *Augusti.* 127

## PONTIF. ANNO II.

- xxvii. Declaratur unicam comestionem diebus Jejunii ab omnibus servandam esse, etiam ab iis, quibus ob peculiare causas permittitur esus carniū, ovorum etc. 22. *Augusti.* 132
- xxviii. Commissiones causarum ad partes non aliis dirigendas esse statuitur, quam Iudicibus Synodalibus; quorum electio Ordinariis Locorum commendatur, et permittitur fieri extra Synodum, cum consilio Capituli. 26. *Augusti.* 135
- xxix. Cessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur, sub pœna excommunicationis, et nullitatis contractus. 29. *Augusti.* 140
- xxx. Resignationes Beneficiorum cum reservatione Pensionis, et pacto eam cassandi, prohibentur, et annullantur; adjecta pœna privationis Beneficii, inhabilitationis ad alia assequenda, restitutionis pecuniæ etc. et irritantur cassationes, et extinctiones Pensionum, intra sex menses a capta possessione Beneficii obtentæ. 29. *Aug.* 145
- xxxi. Confirmatio Synodi Nationalis Maronitarum, habitæ in Monte Libano anno Domini MDCCXXXVI. 1. *Septembris.* 151
- xxxii. Erectio sex Officiorum Ecclesiasticorum in Ordine Equestri Sancti Georgii Martyris in Bavaria auctoritate Apostolica confirmatur. 6. *Octobris.* 160
- xxxiii. Causarum Matrimonialium iudicia coram quibus, quo ordine, ac forma peragenda sint, constituitur. 3. *Novembris.* 166
- xxxiv. Declaratio cum instructione super Dubiis respicientibus Matrimonia in Hollandia, et Belgio contracta, et contrahenda. 4. *Novembris.* 178
- xxxv. Matrimonia occulta, quibus, et quomodo sint permittenda; quibusque cautelis celebranda, et in actis describenda: quomodo consulendum educationi, et indemnitati Proles. 17. *Novembris.* 182
- xxxvi. Beatificationes Servorum Dei, et Beatorum Canonizationes in Basilica Principis Apostolorum peragi debere statuitur. 23. *Novembris.* 191

- XXXVII. Præscribitur forma, et solemnitas in Exequiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium servanda. 23. *Novembris.* 197
- XXXVIII. Indorum in Provinciis Paraquariæ, Brasiliæ, et ad Flumen *de la Plata* existentium, libertati, et indemnitati, consulitur. 20. *Decembris.* 204

## ANNO MDCCXLII.

- XXXIX. Clausura Monasteriorum quorumcumque Virorum Regularium asseritur, sublata quibuslibet dispensandi facultate. 3. *Januarii.* 210
- XL. De Clausura Monialium: Confirmantur sanctiones Ecclesiasticæ, antea editæ: Revocantur facultates extraordinariæ permittendi ingressum, et egressum è Monasteriis. 3. *Januarii.* 217
- XLI. Indultum pro celebratione Missarum super Trinemibus Militiæ Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani. 15. *Januarii.* 223
- XLII. De Doctrina Christiana Populis tradenda: quæ ratione, et methodo Fidelium indigentix hac in re consulendum sit. 7. *Februarii.* 225
- XLIII. Maronitarum Patriarchæ attribuitur annuum caritativum subsidium; abrogata consuetudine colligendi præstationes pecuniarias in distributione Sacrorum Oleorum: Episcopis Maronitis certæ Sedes assignantur. 14. *Februarii.* 235
- XLIV. Abolitio Tribunalium, et Judicum Particularium ab Innocentio XII. facta confirmatur, et innovatur quoad Judicaturas deinceps erectas: nonnullarum Congregationum, et Tribunalium facultates, et jurisdictiones præfinitur. 15. *Februarii.* 245
- XLV. Dispensationum Matrimonialium causas veraciter exponendas, et ab Executoribus omnino verificandas esse statuitur. 25. *Februarii.* 260
- XLVI. Pro Elevatione Corporis Venerabilis Servi Dei Camilli de Lellis. 5. *Martii.* 266
- XLVII. De non impedienda executione Citationum, Mandatorum, aliarumque Provisionum Romanæ Curix, seu Sedis Apostolicæ. 30. *Martii.* 268



- XLVIII. De Appellationibus, et Inhibitionibus concedendis, vel denegandis. 30. *Martii.* 275
- XLIX. Revocatio peculiaris Statuti Ordinis Patrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, quo ipsis vetitum erat, ne Confessariis extra proprium Ordinem unquam confiteri possent. 30. *Martii.* 295
- L. Beatificatio Beati Camilli de Lellis Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis. 7. *Aprilis.* 299
- LI. Literæ Canonizationis Beatæ Elisabethæ Lusitanorum Reginae. 28. *Aprilis.* 302
- LII. Indultum celebrandi Missas super Triremibus Pontificiis. 28. *Aprilis.* 331
- LIII. Pro institutione Apostolicæ Missionis in Regno Batgao in Magno Thibet. 1. *Maji.* 333
- LIV. Pro Missionis Apostolicæ fundatione in Regno Bittia in Magno Thibet. 1. *Maji.* 335
- LV. Declaratur, quæ fuerit mens Pontificis in Constitutionibus super Jejunio editis. 12. *Maji.* 337
- LVI. Spicarum collectio, post absolutam Messem, pauperibus permittenda. 22. *Maji.* 338
- LVII. De Dogmatibus, et Ritibus ab Italo Græcis tenendis atque servandis. 26. *Maji.* 342
- LVIII. Approbatio publici Cultus ab immemorabili tempore exhibiti Beatæ Joannæ Valesiæ olim Reginae Franciæ, et Fundatrici Ordinis Sanctissimæ Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis. 18. *Junii.* 383
- LIX. De Ritibus, seu Cæremoniis Sinensibus. Confirmatur Constitutio Clementis XI. incip. *Ex illa die.* Permissiones quædam publicatæ a bon. mem. Carolo Ambrosio Mediobarbo patriarcha Alexandrino, reprobantur, et annullantur: Præscribitur nova formula Juramenti a Missionariis præstandi. 11. *Junii.* 388
- LX. Spectacula inverecunda, Festis potissimum diebus frequentari solita, prohibentur. 12. *Augusti.* 423

## PONTIF. ANNO III.

- LXI. Electio Hieronymi de Bock in Episcopum Harlemensem nulla et illicita declaratur, eidemque

inhibetur, ne Consecrationis munus audeat suscipere. 1. *Septembris.*

427

LXII. Indultum vacandi operibus servilibus in quibusdam diebus festis de præcepto aliàs observari solitis, pro nonnullis Universitatibus Diœcesis Calaguritanæ. 3. *Septembris.*

433

LXIII. Ordinationes omnium Clericorum, et Sacerdotum Ritus Græco-Rutheni a Serviano schismate ad Ecclesiæ sinum redeuntium Episcopo Auxerensi delegantur. 4. *Octobris.*

437

LXIV. Sacerdotes Missam celebrantes non teneri Sacram Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare. 13. *Novembris.*

439

LXV. Leges observandæ in concedendis Locationibus bonorum Cameræ Apostolicæ. 23. *Novembris.*


443

LXVI. Episcopis Ruthenis suadet Pontifex, ut unionem Monachorum Sancti Basilii sub unico Proto-Archimandrita promoveant, et foveant. 27. *Novembris.*

449


LXVII. Electo de Nankim præcipitur, ut ante consecrationem juramentum emittat ad formam Constitutionis supra positæ num. 59. 3. *Decembris.*

452









# 10291

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES  
59 QUEEN'S PARK CRESCENT  
TORONTO - 5, CANADA

10296 .



